

728-3.



215836368



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL	
GRANADA	
Sala:	A
Estante:	28
Número:	319





*Comprado el 8.8.1880
R. P. de Monroy*

M A R T I N I
B E C A N I ^{Aiorum}
~~Del coll. del Abad de la Cartuja de Granada~~
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI, *R-9999*
O P V S C V L O R V M
THEOLOGICORVM,

Tomus Quintus.



L V G D V N I ,

Sumpt. ANTONII PILLEHOTTE,
sub signo SS. Trinitatis.

M. D C X X I .

PERMISSV SVPERIORVM.

महाराजा द्वारा देवी का प्रसाद

१९९८-

काशी चंद्र
प्रसाद देवी
प्रसाद देवी

INDEX

OPVSCVLORVM QVÆ
HOC QVINTO TOMO
CONTINENTVR.

- 1 **D**e inuocatione Sanctorum. p. i
2 **D**e vocatione Ministrorum veteris & noui
Testamenti. p. 68
3 De Iudice controuersiarum fidei. p. 97
4 Apologia pro Iudice controuersiarum, contra Gar-
dium. p. 97
5 De fide hæreticis seruanda tractatus. 39
6 De Ecclesia Christi. p. 441
*Subnec̄ebatur septimus tractatus de Rep. Ecclesiasti-
ca contra Marcum Antonium de Dominis. Sed quia tam
in aliis Opusculis de eadem re satis abunde tractatum
est, ad iam dicta superaddere plerisq; viris doctis, super-
uacaneum q̄uisum est.*

INDEX

INDEX SINGVLORVM
CAPITVM : AXIOMATVM
Quæstionum , Argumentorum , & Con-
clusionum quæ hoc quinto tomo singulis
Opusculis tractantur , proponuntur , di-
lñuntur.

OPVSCVLVM I.

De invocatione Sanctorum , propositio.
pag. I.

- V AEST. 1. *An Sancti in veteri Testamento fuerint in cœlo.* pag. 4.
Quæst. 2. *An sancti in veteri Testamento fue-
rint in statu beatitudinis.* pag. 7
3 *In quo loco & statu fuerint Sancti veteris Testamenti ante
Christi mortem.* pag. 15
4 *An Sancti noui Testimenti sint in cœlo & statu beatitudinis.* pag. 22.
5 *An Sancti in cœlo sciant quæ apud nos geruntur,* p. 25
*Argumentum ex Apocalypsi quo probatur , Sanctos scire in
cœlo quæ hic apud nos aguntur.* p. 28
3 *Argumentum ab exemplo Sanctorum in hac vita degen-
tium.* p. 31
3 *Argumentum ab exemplo Angelorum,* p. 34
4 *Ex natura & lege amicitia.* p. 36
3 *Ex authoritate Patrum.* p. 40
Questio 6 *An Sancti intercedant pro nobis.* p. 44
7 *An liceat invocare Sanctos in cœlo existentes.* p. 49
8 *An*

INDEX.

3 An invocatio Sanctorum fiat sine iniuria Dei.	p. 51
9 An invocatio Sanctorum fiat sine iniuria Christi.	p. 52
10 An invocatio Sanctorum sit signum dissidentiae.	p. 54
11 An ideo non licet invocare Sanctos, quia non habemus de hac re praeceptum dominum.	p. 55
12 An invocatio Sanctorum fuerit usurpata in primis Ecclesias.	p. 56
13 An S. Georgius, S. Chrysophorus, S. Hippolytus, S. Ca- tharina (qui invocantur a Catholicis) existerint aliquando in rerum natura.	p. 60
De S. Georgio.	p. 61
De S. Chrysophoro,	p. 63
De S. Hippolyto,	p. 65
De S. Catharina.	p. 66

OPUSCULUM II.

Assertiones de vocatione Ministrorum Ecclesie veteris,
et noui Testamenti. p. 68,

De ordinaria vocatione Ministrorum veteris Testamenti.	p. 69
De extraordinaria Vocatione Ministrorum veteris Testa- menti.	p. 78
De vocatione Ministrorum Ecclesie noui Testamenti; ac pri- mum de ordinaria.	p. 91
De extraordinaria vocatione Ministrorum noui Testamenti,	
p. 85.	
Quod Lutherani & Calvini Ministri non sint legittime a Deo vocati.	p. 87
Non esse immediate missos prima ratio,	p. 90
Secunda ratio.	p. 93
Aliæ rationes.	p. 95
Aliæ theses Miscellanæ.	p. 96

OPVS CVLVM III.

De Iudice Controversiarum. p.97.

- Solam Scripturam non esse iudicem. Primum argumentum ex officio Iudicis.* p.100
- Secundum argumentum ex parte Scripturae.* p.101
- Posterior pars argumenti de scriptura, quoad sensum.* p.106
- Quod scriptura quoad sensum sepe sit obscura, & difficultis intellectu.* p.107
- Causa obscuritatis scripture.* p.114
- Cur Deus voluerit scripturam esse obscuram.* p.129
- Ex scripture obscuritate necesse est oriri multas controversias apud Christianos.* p.133
- Iudex harum controversiarum non potest esse scriptura.* p.136
- 3 *Argumentum ex parte controversiarum.* p.142
- 4 *Argumentum ex usu & praxi veteris Testam. ubi non scriptura, sed Pontifex pro iudice agnoscebatur.* p.147
- Obiectio.* p.153
- 5 *Argumentum. Ex usu & praxi noui Testamenti.* p.156
- 6 *Argumentum. Ex analogia Iudicis controversiarum ciuilium.* p.164
- Examinantur testimonia scripture contra nos allata. Ex Deo.*
- 4.2. & 12.32. p.168
- 2 *Testimonium Isai.8.20. Ad legem magis, & ad testimonium.* p.173.
- 3 *Testim. Matt. 15.6. Coloss. 2.8. & 1. Petr. 1.18.* p.175
- 4 *Testim. Ioan. 5. v. 39. Scrutamini scripturas.* p.180
- 5 *Testim. Act. 17.11. Quotidie scrutantes scripturas, si haec ita se haberent.* p.182
- 6 *Testim. Galat. 14. Si quis euangelizauerit vobis praeter id quod accepistis anathema sit.* p.184
- 7 *Testim. 2. Timoth. 3.16. Omnis scripture diuinitus inspirata, &c.* p.185
& Test.

I N D E X.

8 <i>Testim. Apocal. 22.18. Contestor omni audienti verba prophetiae libri huius, &c.</i>	p. 187
<i>Epilogus eorum quae hactenus dicta sunt.</i>	p. 189
<i>Obiectio popularis contra ea quae hactenus dicta sunt.</i>	p. 190

O P V S C V L V M IV.

Apologia pro Iudice controuersiarum contra Gardium. p. 147.

<i>Cap. 1. Deteguntur vitia à Gardio commissa.</i>	p. 148
1 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 189
2 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 200
3 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 204
4 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 210
5 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 215
6 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 223
7 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 234
8 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 236
9 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 237
10 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 239
11 <i>Vitium Gardij.</i>	p. 246
<i>Cap. 2. Defensio argumentorum Becani contra Gardium.</i>	p. 248
1 <i>Argumentum Becani. Ex officio Iudicis.</i>	p. 248
2 <i>Argumentum Becani. Ex parte Scripturae.</i>	p. 260
3 <i>Argumentum Becani. Ex parte controuersiarum.</i>	p. 270
1 <i>Controuersia. An libri Tobie, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & Macchabaeorum sint canonici, necne.</i>	p. 273
2 <i>Controuersia. Quot sint sacramenta nouae legis.</i>	p. 282
3 <i>Controuersia. An exorcismus, & similes ceremoniae possunt adhiberi in Baptismo.</i>	p. 284
4 <i>Controuersia. An baptizati ab Hereticis, sint rebaptizandi.</i>	p. 288
5 <i>Controuersia. An baptismus una mersione conferri debet.</i>	p. 296

I N D E X.

- 6 Controuersia. An Christiani loco Sabbati debeant colere diem Dominicum. p.297
 7 Controuersia. An B. Maria mäserit virgo post partum. p.298
 8 Controuersia. An Petrus Apostolus fuerit Romana Ecclesiae Episcopus. p.299
 9 Controuersia. An symbolum fidei sit verè Canonicum & Apostolicum. p.300
 10 Controuersia. An in veteri Testamēto fuerit aliquod exterrū remedium pro fœminis contra peccatum originale. p.302.
Aliæ duæ controuersie. p.305
 Quartum argumentum Becani. Ex usu & praxi veteris Testamenti. p.307
 Quintum argumentum Becani. Ex usu & praxi noui Testamenti. p.318
 De controuersia in Concilio Apostolorum decisa. p.319
 De aliis controuersiis quæ poste à decisa sunt. p.325
 Digressio Gardij circa infallibilitatem Ecclesiae, p.332
 Sextum argumentum Becani. Ex analogia Iudicis controuersiarum ciuilium. p.340
 Dissoluuntur argumenta Gardij. p.345
 1 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.346
 Responsio. ibid.
 2 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.350
 Responsio. ibid.
 3 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.352
 Responsio. p.353
 4 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.354
 Responsio. p.355
 5 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.356
 Responsio. p.357
 6 & 7 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.360
 Responsio. p.363
 8 Argumentum Gardij pro Scriptura. p.364
 Responsio. p.365
 9 Argu-

INDEX.

9 Argumentum Gardij pro Scriptura.	p.367
Responso.	p.368
10 Argumentum Gardij pro Scriptura.	p.368
Responso.	p.369
11 Argumentum Gardij pro Scriptura.	p.370
Responso.	p.370
12 Argumentum Gardij pro Scriptura.	p.371
Responso.	p.372
Argumenta Gardij contra Pontificem.	p.375
1 Argumentum Gardij contra Pontificem.	p.375
Responso.	p.376
2 Argumentum Gardij contra Pontificem.	p.379
Responso.	p.380
3 Argumentum Gardij contra Pontificem.	p.385
Responso.	p.386
4 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.387
Responso.	p.388
5 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.401
Responso.	p.402
6 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.406
Responso.	p.407
7 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.411
Responso.	p.412
8 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.414
Responso.	p.415
9 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.417
Responso.	p.418
10 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.420
Responso.	ibid.
11 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.421
Responso.	p.422
12 Argumentum Gardii contra Pontificem.	p.422
Responso.	p.423
Epilogus.	p.425
	OPVSC.

OPVS CVLVM V.

De posteriori parte epistolæ, siue tractatus de fide
hæreticis seruanda. p.427.

Posterior pars eius epistolæ ad Pareum. p.428

*Primum Becani principium. In promissis, pactis, & conuentis
seruanda est fides Manicheis & Donatistis, eti m si verè
hæretici sint, modo promissa pacta & conuenta sint alias
licita & honesta.* p.429

*Secundum Becani principium. Libertas fidei ac religionis planè
illicta est, & Christianæ doctrinae contraria, & Reip. noxia
ac pernicioса.* p.433

*Terium Becani principium, Princeps Catholicus non potest
principere, approbare, aut introducere libertatem religionis,
sed omnibus modis quantum fieri potest impedire. Si tamen
sine maiori detimento boni publici impedire nequeat, potest
eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum maius
malum, quod alioqui sequeretur, Et si pacificatur cum hære-
ticis de toleranda libertate religionis, fides pacti seruanda est.*

p.435.

*4. Becani principium. Promissum vel pactum per vim aut me-
tum iniuste extortum, rescindi potest, si is velit, qui iniuste
vim aut metum passus est.* p.437

Conclusio.

p.438

OPVS CVLVM IV.

De Ecclesia Christi, itemque de Ecclesia Romana quæ
est Catholicorum, & de Reformata, quæ est Luthe-
ranorum, & Caluinistarum. p.441.

Index. ibid.

Conclusiones primæ questionis. ibid.

Conclusiones secunde questionis. p.442

Conclu-

I N D E X.

- Conclusiones tertiae questionis.* ibid.
- De Ecclesia Christi.* p.443
- Questio 1. An vera Christi Ecclesia possit deficere, vel errare in fide.* p.444
- Prima conclusio. Vera Christi Ecclesia in terris, visibilis est.* p.445.
- Secunda conclusio. Hac visibilis Ecclesia est Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, Columna & firmamentum Veritatis.* p.450
- Tertia conclusio. Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest saluari.* p.454
- Quarta conclusio. Hac visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in fide.* p.456
- Aliud argumentum ex Scripturis.* p.459
- Aliud Argumentum ex consensu Patrum.* p.462
- Aliud argumentum ex heresi Donatistarum.* p.467
- Prima obiectio aduersariorum.* p.478
- Secunda obiectio.* p.482
- Tertia obiectio.* p.483
- Quarta obiectio.* p.485
- Quinta conclusio. Magna omnium debet esse Ecclesia authoritas in negotio fidei ac religionis.* p.487
- II. Quest. De Ecclesia Romana.** p.490
- 1 Conclusio. Romana Ecclesia priori modo sumpta, quatenus significat particularem Ecclesiam que Romæ est, fuit olim mater & caput omnium aliarum Ecclesiarum, que toto Orbe erant dispersæ. Et omnes aliae, nisi errare vellent, debebant se illi conformare in fide, de Religione.** p.491
- 2 Conclusio. Romana Ecclesia posteriori modo sumpta, quatenus significat uniuersalem Ecclesiam Christianorum toto Orbe diffusam, fuit olim S. Petro commissa his verbis Pasce oues meas, Itaque Petrus fuit Vicarius Christi, caput, Pastor, & rector totius Ecclesie Catholicæ; cui postea cum pari potestate successerunt Pontifices Romani.** p.493

INDEX.

- 3 *Conclusio. Hac Romana Pontificia, Catholica seu uniuersalis Ecclesia toto Orbe diffusa, quam dixi, Petro & successoribus eius fuisse commissam, nunquam defecit ab ea fide quā primis quingentis annis publicè professa est: ac proinde sicut tunc erat vera Christi Ecclesia, ita ut nunc est.* p.495
- III. Quæst. De Ecclesia quæ præsumitur Reformata.** p.509
- 1 *Conclusio. Ecclesia Reformata, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt, non est una.* p.510
 - 2 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est sancta.* p.512
 - 3 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est Catholica.* p.515
 - 4 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est Apostolica.* p.518
 - 5 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est Sponsa Christi.* p.525
 - 6 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est domus Dei.* p.527
 - 7 *Conclusio. Ecclesia Reformata non est columna & firmamentum Veritatis.* p.539
 - 8 *Conclusio. Ecclesia Reformata dissentit in doctrina ab Antiquis Patribus, qui vixerint in primitiva Ecclesia.* p.542
 - 9 *Conclusio. Ecclesia Reformata non habet doctrinam constantem, sed multis contradictionibus obnoxiam.* p.549
 - 10 *Conclusio. Ecclesia Reformata non habet Ministros bona fama.* p.560
 - 11 *Conclusio. Ministri Ecclesiae Reformatae non sunt legitimè missi, & vocati.* p.563
 - 12 *Conclusio. Ecclesia Lutheranorum & Calvinistarum non est hactenus legitimè propagata.* p.513

DE IN

D E

INVOCATIONE SANCTORVM.

Atholici docent, Sanctos cum Christo
in cœlo regnantes, pie & cum fructu à
nobis inuocari posse: Aduersarij id ne-
gant. Primo, quia cedit in iniuriam Dei,
qui solus vult inuocari, Deuteronomij sexto, v. de-
cimotertio & Matthæi quarto, v. decimo. *Dominum*
Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Secundò, ce-
dit in iniuriam Christi, qui solus est mediator & in-
tercessor pro nobis apud Deum, prima ad Timoth.
2. vers. 5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesu.* Tertio, est signum diffidentiæ, quia quando
confugimus ad Sanctos, videmur dissidere de boni-
tate DEI, quia ipse non sit paratus nos iuuare. Quar-
to, est inutile, quia Sancti non audiunt preces nostras,
quas ad ipsos fundimus, vel ut loquitur Caluinus lib.
3. Institutionum, capite 20. paragrapho 24. non ha-
bent tam longas aures, ut ad nostras voces porrigan-
tur. Quinto, nullum extat præceptum de Inuocatione
Sanctorum. Nihil autem licet facere, quod præce-
ptum non est, Deuteronomij 11. vers. quinquagesimo
nono. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito.* Sexto, hæc
inuocatio noua est, nec in primitiua Ecclesia usur-
pata. Denique multi à Catholicis inuocantur, vt
Sancti, qui nunquam in rerum natura exstiterunt;

Opusc. Tom. V.

A

cuius

cuiusmodi sunt Sanctus Georgius , Sanctus Christophorus, Sanctus Hippolytus, Sancta Catharina, quos Caluinus *Larus* appellat libro tertio Institutionum capite vigesimo, §.27.

2. Hæc argumenta magni fiunt ab aduersariis Sed reuera nullius momenti sunt. Primo , quia pugnant contra quotidianam experientiam. Quotidie experiuntur, Catholici prodeſſe ſibi inuocationem Sanctorum. Nam alij sanitatem corporis, alij donum castitatis , alij profectum in studiis , alij alia beneficia per Sanctorum intercessionem à Deo petunt & impetrant. De qua re legantur authentici Scriptores, Sanctus Ambrosius libro quarto Epifolarum , Epiftola trigesima quarta , quæ eſt de Sancta Agneta, Augustinus libro vigesimo ſecundo de Ciuitate Dei, capite octauo. Theodoreetus libro quinto Historiæ, capite vigesimo quarto. Nilus in epiftola in septima Synodo Act. quarto recitata. Gregorius Turenſis in libro de gloria Martyrum & Confessorum, Gregorius Romanus in libro tertio Dialog. capite ſecundo , & ſequentibus , & alij quamplurimi. Atque hæc experientia efficacissimum pro nobis argumentum eſt.

3. Accedit, quod pleraque , quæ ab aduersariis adferuntur, in ipſos retorqueri poſſint. Quæro enim, An liceat inuocare eos , qui nobiscum in hac vita degunt? Omnino inquiet. Et recte. Nam Apostoli id fecerunt , Colossens. quarto, v. ſecundo. Orationi inſtate, orantes ſimul & pro nobis , ut Deus aperiat nobis oſtium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Et prima Thessalonicensium quinro , v. vigesimo quinto. Fratres orate pro nobis. Et ſecunda Thessalonicens. tertio , v. primo, De cetero fratres orate pro nobis , ut ſermo Dei currat. Et Iacobi quinto , verſ. decimo ſexto

Orate pro iniicem, ut saluemini.

4. Iterum quæro: An hæc inuocatio cedat in iniuriam Dei aut Christi? Itemque, an sit signum diffidentiæ? Nullo modo. Alioqui Apostoli illam non usurpassent. Cur ergo inuocatio quā facimus ad Sanctos in cœlo regnantes, fingitur cedere in iniuria Dei & Christi? aut cur putatur esse signum diffidentiæ? Hic hærent aduersarij, & latibula querunt. Sed in lucem educendi sunt: quod fieri, si legitime explicentur testimonia Scripturæ, quæ ab ipsis allata sunt: Et singula ipsorum argumenta seorsim dissoluantur. Vtrumque præstabo hoc ordine.

1. An Sancti in veteri Testamento fuerint in cœlo?
2. An fuerint in statu beatitudinis seu æternæ gloriæ?
3. Si nec in cœlo, nec in statu beatitudinis fuerunt, in quo ergo loco & statu fuisse credendum est?
4. An sancti in nouo Testamento sint in cœlo & statu beatitudinis?
5. Si ibi sunt, an sciunt, quæ apud nos geruntur?
6. Et si sciunt, an pro nobis intercedant?
7. Et si intercedunt, an liceat ab illis petere, ut intercedant? Vel, quod idem est, an liceat ipsis inuocare?
8. An hæc inuocatio fieri possit sine iniuria Dei?
9. An sine iniuria Christi mediatoris?
10. An sine diffidentia?
11. An ideo omittenda sit, quia præcepta non est?
12. An in primitiua Ecclesia fuerit usurpata?
13. An aliqui Sancti inuocentur à nobis, qui nūquam fuerunt in rerum natura?

His paucis quæstionibus res tota perspicue explicabitur: Et simul cōstatbit, tutius ac utilius esse, inuocare

Sanctos in cœlo regnantes , quam nobiscum in hac vita degentes; duplii de causa. Primo , quia non dubitamus de sanctitate eorum , qui in cœlo sunt: possumus autem dubitare de sanctitate eorum, qui nobiscum sunt. Secundo , quia certum est , illos aptiores esse ad intercedendum , quam hos: tum quia arctiori vinculo cum Deo coniuncti sunt: tum, quia liberi à molestiis huius vitæ , quæ nos sa- pe impediunt, ut orationi vacare vel non liceat , vel non lubeat.

I. QVÆSTIO.

*An Sancti in veteri Testamento fuerint
in cœlo.*

HÆ duæ quæstiones distinguae sunt: Vna , an fuerint in cœlo? Altera: an in statu beatitudinis, seu æternæ gloriæ? Nam prior agit de loco : posterior de statu. Constat autem , neque locum à statu , neque statum à loco necessariam habere dependentiam. Quod triplici exemplo demonstrari potest. Primo, quia Christus in hac vita mortali fuit in statu beatitudinis , non tamen in cœlo. Secundo, Angeli custodes nostri, quando nobiscum versantur , non sunt in cœlo, & tamen sunt in statu beatorum, quia fruuntur clara Dei visione. (Matth.18, 10.) Tertio, Dæmones initio creationis, antequam peccarent, fuerunt in cœlo ; & tamen non erant beati.

2. Quod ergo ad priorem quæstionem attinet, certum est, Sanctos in veteri Testamento non fuisse in cœlo, sed in aliquo alio loco; de quo dicemus q. 3. Ratio est, quia cœlū, propter peccatum primi parentis, fuit

fuit clausum hominibus usque ad mortem Christi; nec ullus ante Christum, illud ingressus est. Quod variis scripturæ testimoniis probari potest.

3 Primò, ex illo Hebr. 6. 20. Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Iesus, secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in eternum. Vbi per interiora velamini, quæ erant in templo Salomonis, intelligitur cœlum & cœlestis gloria, ut explicat interpres illius loci. Est ergo sensus, Christū intrasse cœlū tanquam præcursorem reliquorum; quia scil. primus fuit inter homines, qui post peccatum primi parentis, cœlum ingressus est. Vnde sequitur Sanctos veteris Testamenti ante illum non fuisse ingressos.

4 Secundo, ex illo Hebr. 98. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse viam Sanctorum, adhuc priore Tabernaculo habente statum. Q. d. Per hoc, quod Iudei in veteri Testamento non poterant ingredi in Sanctum Sanctorum, sed solus Pontifex voluit significare Spiritus sanctus, viam ad cœlum non fuisse apertam, quamdiu durauit vetus Testamentum; sed aperiendam per Christum, tempore passionis, quando velum templi scissum est (Mat. 27. v. 51.)

5 Tertio, ex illo Hebr. 10. 19. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam per velamen, id est, carnem suam. Quid clarius? Christus suo sanguine parauit nobis nouam viam ad cœlum, quod antea clausum erat. Ad quod alludens D. Hieron. in Epist. ad Dardanum ait: Sanguis Christi clavis Paradisi est. Et D. Thom. 3. p. q. 49. art. 5. Per passionem Christi aperta est nobis ianua regni cœlestis. Plura Scripturæ & Patrum testimonia citabo q. 3. §. 3. & 4.

6. Dices: Henoch & Helias fuerunt in cœlum



translati, multo ante Christi aduentum. Nam de Henoch sic legimus, Genes. 5.24. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eū Deus, nempe ex terra in cælum.* Quod clarius exprimitur Eccl. 44.16. *Henoch plauit Deo, & translatus est in Paradisum.* Similiter de Helia, 4. Reg. 2.12. *Ascendit Helias per turbinem in cælum.*

7. Respondeo. Hic ynum certum est, alterum incertum. Certum est, nec Henoch, nec Heliam fuisse translatum in cælum, in quo nunc Sancti sunt, sed in aliquem alium locum. Nam cælum, in quo nunc Sancti sunt, clausum fuit hominibus per peccatum primi parentis, usque ad mortem Christi, ut ex Apostolo demonstratum est. Neque testimonia allata contrariū conuincunt. Ex eo enim, quod legimus, Henoch translatum esse in Paradisum, nō sequitur translatum esse in cælum beatorum. Nam Paradisi nomine intelligi potest, vel Paradisus terrestris, in quo Adam fuit; vel aliquid aliud. Nec Christus, cum latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, intellexit cælum beatorū; quia constat Christum eo die non venisse in illud cælum, sed in die Ascensionis. Similiter quod legimus, Heliam per turbinem ascendisse in cælum, nihil aliud significat, quam ex terra subleuatum esse in aërem, & aliò transportatum. Est enim frequens in Scriptura, ut per cælum intelligatur aér, ut Psal. 8.9. *Volucres cæli, & pisces maris.* Et Matth. 6.26. *Respicite volatilia cæli.* Et alibi.

8. Incertum tamen est, in quem locum translati sunt Henoch & Helias. Aliqui putant, in Paradisum terrestrem, ex quo Adam expulsus est, ut D. Thom. 1. p. q. 49. art. 5. ad 2. vbi ait: *Henoch raptus est in Paradisum terrestrem, ubi cum Heliā simul creditur vivere usque ad aduentū Antichristi.* Alij, quia existimat Paradisum illum tempore diluvij fuisse aquis obrutum, & destrutum;

structum; dicunt eos in alio quodam ameno loco versari. Nihil definire possumus. Nec mirum videri debet, nos hoc ignorare. Multa alia ignoramus. Neque nos soli. An non fatetur Apostolus de seipso, ne scire se, in corpore, an extra corpus, raptus fuerit in Paradisum? (2. Cor. 12. 3.) An non testatur Scriptura, nemini unquam constitisse, quo loco Moses sepultus sit? (Deut. 34. 6.) Et dicant, obsecro, qui omnia scire se arbitratur, ex quo loco Helias post raptum, scripsiterit epistolam ad Iotam Regem Iuda? (2. Paral. 21. 12.) Et quis epistolæ illius fuerit nuncius aut badius? Dicant similiter, an currus ille cum equis, quo in cælum vectus est, in cælo adhuc sit? Et quid agant ibi equi, & quo pabulo vescantur? In his & similibus præstat ignorantiam modestè fateri, quam temere aliquid definite.

I I. Q V Æ S T I O.

An Sancti in veteri Testamento fuerint in statu beatitudinis?

1. **D**isputauit de loco. Nunc de statu inquirendū est. De quo Catholici sic sentiunt. 1. Sanctos veteris Testamenti usque ad mortem Christi non fuisse beatos. 2. Cœpisse tamē esse beatos, statim post mortem Christi. 3. Prius igitur fuisse beatos, quam in cælum ingressos: quia post mortem Christi expectarunt 40. dies, antequam cum Christo in cælū ascenderent. Hæc tria per totidem cōclusiones declarabo.

2. **P R I M A C O N C L U S I O.** Sancti veteris Testamenti non fuerunt in statu beatitudinis ante mortem Christi. Ita D. Thom. 3. p. q. 49. art. 5. & q. 52. art. 5. Et probatur ex Apostolo Hebr. 11. 13. ubi ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repro-*

missionibus, sed à longè eas aspicientes. Et infra v. 39.
Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repro-
missionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ut non
sine nobis consummarentur. Ex quo loco manifestè con-
stat, Noë, Abraham, & alios Sanctos veteris Testa-
menti, de quibus loquitur Apostolus, non statim
post hanc vitam accepisse præmium æternæ beatitu-
dinis, quod illis promissum erat, sed debuisse expe-
ctare aduentum Christi.

3. Et ratio duplex est. Vna, quia Deus non voluit
 quenquāadmittere ad statum beatitudinis, nisi prius
 persolutū esset pretium, quo per Christum redempti
 sumus à statu seruitutis, & ad statum libertatis filio-
 rum adoptati. Hoc autem pretiū non fuit persolutū,
 nisi in morte Christi. Tunc enim sanguis ipsius pro
 nobis effusus est. (Coloss.1.14.) Tunc deletum est
 chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & cru-
 ci affixum est, vt loquitur Apostolus ad Coloss.2.14.

4. Altera, quia non decebat, vt Sancti veteris Te-
 stamenti prius adirent hæreditatē æternæ vitæ, quam
 Sancti noui Testamenti: præsertim cum illi fuerint fi-
 lij Synagogæ; hi sint filij Ecclesiæ: Illi filij ancillæ; hi
 filij liberæ, (ad Galat. 4.31.) Decebant igitur expe-
 ctare, ne sine nobis consummarentur, vt Apostolus ait.
 Quo etiam spectat parabola Euangelica de denario
 diuino, qui non prius datus est illis operariis, qui
 summo mane conducti erant ad vineam, quam aliis,
 qui circa horam undecimam accesserant.

5. Contra hāc Conclusionem tria obiici possunt.
 Primo, illud Hebr.11.33. Sancti per fidem vicerunt re-
 gna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Vbi
 sermo est de Sanctis veteris Testamēti. Hi ergo, ante
 aduentum Christi, adepti sunt repromissionem vitæ
 æternæ.

æternæ. RESPONDEO. Iam ante contrariū ostendi ex eodem capite. Nec tamen Apostolus sibi ipsi contrarius est. Distinguit enim duplē promissionem, quæ antiquis Patribus à Deo facta est. Vnā vitæ æternæ, quam nō sunt consecuti ante Christi aduentum, iuxta illud: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromotionem.* Alteram boni alicuius temporalis, quam per fidem consecuti sunt, iuxta illud: *Adepti sunt repromotiones.*

6. Prior promissio erat vna & eadem respectu omnium iustorum: posterior diuersa ac multiplex, & respectu paucorum. Nam Abrahamo promissus fuit filius: Dauidi regnū: Ezechiæ sanitas: aliis aliud quippiam. Illud ergo: *Adepti sunt repromotiones*, non intellegitur de omnibus Sanctis veteris Testamenti, sed de aliquibus tantum, ut hic sit sensus: Aliqui per fidem vicerunt regna, ut Iosue: Alij adepti sunt repromotiones temporales, ut Abraham, Dauid, Ezechias: Alij obtulerunt ora Leonum, ut Sampson, Dauid, Daniel: Alij extinxerunt impetum ignis, ut pueri in fornace Babylonica: Alij aliud fecerunt. Et mox sequitur: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromotiones.* quasi dicat: Quamuis omnes illi fuerint sancti, & singuli per fidem aliquid eximium consecuti sint in hac vita: nemo tamen accepit præmiū vitæ æternæ, quod illis promissum fuit, quia Deus non prius voluit illud donare, quam veniret Christus, cuius merito & intercessione erat donandum. Hoc est, quod ante dixerat, cap. 9. v. 15. *Ut morte eius intercedente, repromotionem accipient, qui vocati sunt, eternaæ hereditatis.*

7. Secundo obiicitur illud Ecclesiast. 11. 27. *Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Hinc enim videtur colligi, vnumquemque

statim post mortem accipere præmium vel pœnam, prout meritus est. Et confirmatur exemplo Lazari & Epulonis: quotum hic cruciatum, ille consolationem statim percepisse legitur. (Luc. 16.25.) Respondeo. Hæc obiectione nihil aliud probat, quam iustos, qui in hac vita affliguntur, statim post hanc vitam percipere gaudium & cōsolationem: Impios vero, qui hic pertinunt voluntatibus, percipere dolorem & cruciatum. Potest autem duplex esse gaudium post hanc vitam. Vnum de superatis miseriis huius vitæ, & simul de securitate æternæ beatitudinis obtinendæ. Alterum de ipsa beatitudine iam obtenta. Igitur in veteri Testamento, Sancti statim post hanc vitam percipiebant prius gaudium: non tamen posterius, nisi post mortem Christi. Sed hinc oritur

8. Tertia obiectione. Impij statim post mortem sunt in æterna damnatione: Ergo & iusti statim in æterna beatitudine. Sic enim seruatur debita proportio. Nā sicut iustitia exigit, ut pœna impiorum, quam quisque meritus est, non differatur; sic etiam de præmio iustorum sentiendum est, iuxta illud Leuit. 19.13. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane.*

9. Respondeo. Hæc proportio non potuit servari in veteri Testamento. Tunc enim erat dispar ratio pœnæ ac præmij: damnationis ac beatitudinis. Quod dupliciter ostendo. Primo, quia via ad pœnā & damnationem iam erat aperta per peccatum primi parentis. (Rom. 5.12.) Via autem ad præmium & beatitudinem nōdum erat aperta, sed aperienda per mortem & satisfactionem Christi. Secundo, quia qui tunc peccabat mortaliter, per se merebantur pœnam & damnationem, sineulla dependentia ab alio. Qui autem bene agebant, non merebatur per se præmium

& beatitudinem, sed dependenter à futuro merito & passione Christi. Hi ergo debebant expectare Christum, antequam acciperent perfectum præmium, quod in clara Dei visione consistit. Illi autem poterant statim puniri, quia sine illa dependentia à futuro tempore, pœnam erant commeriti.

10. SECUND A CONCLVSIO. Sancti veteris Testamenti, statim post mortem Christi, consecuti sunt statum beatitudinis, seu visionis beatificæ. Ita D.Thom. locis citatis. Et ratio sumitur ex dictis, quia sicut Adam suo peccato exclusit nos à beatitudine, ita Christus per suam mortem nos admisit. (Rom.5.18.) Huc spectat illud Hebreor.9. 15. Christus noui Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptione earum prænarrationum, quæ erant sub priori Testamento, re promissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis.

11. Et confirmatur primo, quia Deus, cum sit optimus & liberalissimus, statim confert præmium, si nullum aliunde sit impedimentum: At post mortem Christi, nullum erat impedimentum, nec ex parte Dei, cui iam satisfactum erat à Christo per effusionem proprij sanguinis: nec ex parte Sanctorum, qui ab omni peccato erant expiati, ut suppono: Ergo post mortem Christi datum est illis præmium æternæ beatitudinis.

1. Secundo, idem colligitur ex illo Matth.27. 51. *Velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* Qui locus, tametsi admittat varias interpretationes, ut videre est apud Maldonat. nō male tamē accommodari potest ad nostrum propositū. Significat enim Christo in cruce in oriente, apertam esse ianuam vitæ æternæ, quæ antea per peccatum primi parentis occlu-

occlusa fuerat; & licere omnibus, qui velint, ingredi. Nam velum templi Salomonis, quod prohibebat Iudeis aditum ad Sancta Sanctorum, fuit typus seu figura, quę demonstrabat, non patere accessum nobis ad æternam beatitudinem, nisi per mortem & sanguinem Christi. Quod testatur Apostolus Hebr. 10. 19. cum ait: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem, per velamen, id est, carnem suam.* Videantur Interpretes illius loci.

13. Hoc ipsum fuit significatum per Arcam Testamenti, quę, ut aliqui notā, fuit figura crucis Christi. Nam sicut per Arcam, quam portabant Sacerdotes Araonici, diuisæ sunt aquæ Iordanis, & populo Hebræorum patefactus est aditus ad terram promissionis. (Iosue. 3.14.) ita per crucem Christi, quæ portabat Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, diuisum est velum templi, & populo Dei reserita est ianua seu introitus ad æternam felicitatem, quæ fidelibus promissa est.

14. T E R T I A C O N C L V S I O. Sancti veteris Testamenti, de quibus dictum est, post dies 40. cum Christo in cœlum ascenderunt, qui est proprius beatorum locus. Constat ex illo Eph. 4. 8. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, id est, Christus tanquam victor, & triumphator ascendens in cœlum, duxit secū Patriarchas, Prophetas, aliosque Sanctos veteris Testamenti, qui antea quasi captiui detinebantur, & quos ipse post mortem, cum ad inferos descenderet, è captiuitate liberauerat.* Hinc sequitur, prius fuisse beatos, quam ad cœlum peruenirent. Nam statum beatitudinis adepti sunt statim post mortem Christi, ut dictum est. Deinde expectarunt per

per 40. dies, quibus expletis, vna cum Christo in cœlum assumti sunt.

15. Hic duo solent curiosè à nonnullis inuestigari. Alterum, vbi fuerint per illos 40. dies? Aliqui putant mansisse in Limbo Patrum, de quo paulò post in sequenti questione. Alij, cum Christo conuersatos esse super terram, licet ab hominibus non viderentur. Alij, denique in Paradiso terrestri cum Henoch & Helia tantisper habitasse. Nihil certi definite possumus. Hoc vnum videtur certum, vbi cunque fuerint, fuisse in statu beatitudinis, antequam cum Christo in cœlum ascenderent.

16. Alterum, quinam fuerint illi Sancti? Si generaliter loquamnr, certum est fuisse illos omnes, qui nihil habebant expiandum in Purgatorio. Si speciatim, crediderim eos fuisse, qui commendantur ab Ecclesiastico cap. 44. & sequentibus, vt sunt Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Aaron, Phinees, Iosue, Caleb, Samuel, Nathan, Dauid, Helisœus, Ezechias, Iosias, Ezechiel. Duodecim Prophetę, Zorobabel, Nehemias, Ioseph, Seth, Sem. His addo Latronem cum Christo crucifixum, pueros innocentes ab Herode imperfectos, Ioannem Baptistam. Item Adam & Euam, Job, Tobiam, Melchisedech, Abel, & alios. Denique quos Apostolus Hebr. 11. recenset. Exceptio tamen Henoch & Heliam, qui alibi adhuc commorantur. De quibus supra questione prima §. 7. & 8.

III. QVÆSTIO.

In quo loco & statu fuerint Sancti veteris Testamenti ante Christi mortem.

1. **D**iximus nec in cœlo fuisse, nec in statu æternæ beatitudinis. In quo ergo statu & loco fuisse credendum est? Catholici sic statuunt. 1. fuisse in loco quodam subterraneo. 2. retinuisse fidem, spem, & charitatem. 3. non tamen potuisse mereri per actus fidei, spei & charitatis. 4. fuisse in gratia confirmatos, ut peccare amplius non potuerint. 5. orasse pro se, & pro viuentibus in hac mortali vita, saltem in communi; licet à viuentibus non fuerint inuocati. 6. Perfusos fuisse magno gaudio & consolatione. Singula breuiter explicabo per sequentes conclusiones.

2. **P R I M A C O N C L U S I O.** Sancti veteris Testamenti, vsque ad mortem Christi, detinebantur in quodam loco subterraneo, quem Scriptura variis nominibus appellat. Primo Infernum, vt Genes. 37. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Secundo, lacum sine aqua, vt Zach. 9.11. *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vincitos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Tertio, Sinum Abrahæ, vt Lucæ 16. 22. *Factum est, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Quarto, Carcerem, vt 1. Petr. 3.19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicauit.*

3. Theologi Limbum Patrum vocate solent. Et hic ipse locus est, ad quem anima Christi descendit post mortem. De quo Eph. 4.9. *Descendit in inferiores*

partes terre. Et in Symbolo : Descendit ad inferos. Et August.lib.20. de Ciuitate Dei,c.15. Non absurdè creditur, antiquos Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret. Et Cyprianus in Sermonne de vñctione Chrismatis in fine : Passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensque ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit. Et Hieronymus in cap. 4. ad Ephesios : Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster, Saluatorque descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos viector abduceret.

4. Huc spectat, quod lib.1. Regum cap.28.v.12. legimus, Samuelē viñsum esse de terra ascēdere. Quamuis enim aliqui putent, fuisse imaginem, aut phantasma Samuelis; probabilius tamen est, fuisse ipsum Samuelem, qui ex loco subterraneo, seu ex Limbo Patrum ascenderit, vt annūciaret Sauli, quæ euentura essent in bello cōtra Philistæos suscep̄to. Sic enim sentiunt grauissimi authores, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij apud Bellarminum lib. 4. de Christo cap. 11. Et merito; quia Ecclesiasticus cap. 46. versu 23. expressè dicit, Samuelem post mortem prophetasse. Post hæc, inquit, dormiuit Samuel, & notum fecit Regi (Sauli) & ostendit illi finem vite sue. Ostendit autem, vt habetur 1. Reg.28.v. 19. his verbis : *Cras tu & filij tui mecum eritis, &c.*

5. SECUND A CONCLVSIO. Sancti veteris Testamenti existentes in loco subterraneo seu Limbo Patrum, retinebant fidem, spem & charitatem, vsque ad mortem Christi : At post mortem Christi, solam charitatem. Prior pars patet, quia cūm essent iusti, vt suppono, non poterant

esse sine charitate: Et cum non essent otiosi, non poterant esse sine actu charitatis. Actus autem charitatis, cum sit supernaturalis, requirit aliquam cognitionem supernaturalem & sibi proportionatam. Hæc autem cognitio ante mortem Christi, non poterat esse clara visio diuinæ essentiæ, in qua beatitudo consistit: Ergo debuit esse obscura cognitio fidei. Porro, cum hac cognitione fidei, coniuncta fuit spes futuræ beatitudinis, quam impensè expectabant.

6. Posterior similiter patet, quia post mortem Christi erant beati, ut supra ostensum est: Ergo habebant claram & intuituam Dei visionem, in qua consistit beatitudo. At fides cum sit obscura, non potest manere cum clara visione. Sublata autem fide, tollitur spes. Mansit igitur sola charitas, de qua Apostolus 1. Corinth. 13. 8. *Charitas nunquam excedit, &c.*

7. **TERTIA CONCLUSIO.** Sancti existentes in Limbo Patrium, tametsi retinerent fidem, spem, & charitatem, ut dictum est; non tamen per actus illarum virtutum poterant aliquid mereri de condigno. Ratio est, quia licet illi actus essent boni, laudabiles, & Deo grati; non tamen erant meritorij propter circumstantiam status, in quo exercebantur. Deus enim voluit, ut nullus actus esset meritorius, nisi in hac vita mortali. Hic voluit esse tempus laboris & certaminis, meriti & demeriti; non post hanc vitam. Vnde frequenter hortatur nos Scriptura, ut si quid apud Deum mereri cupimus, id in hac vita faciamus. 2. Corinth. 6. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis.* Et Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et Augustinus in Enchiridio

capite 110. Hic omne meritum comparatur , quo possit post hanc vitam reueari quisquam , vel granari . Nemo autem se speret , quod hic neglexerit , cum obierit , apud Deum pro mereri .

8. QVARTA CONCLUSIO. Idem Sancti sicerant in gratia & charitate confirmati , ut peccare amplius non possent , nec gratiam & charitatem amittere . Erant enim extra statum huius vita mortalis , ac proinde extra statum merendi ac demerendi , ut dictum est . Deus enim statuit , ut talis quisque maneat post hanc vitam , qualis fuit in ipsa morte , cu m ex hac vita decessit , iuxta illud Ecclesiastæ 1 . versu 3 . Si ceciderit lignum ad Austrum , aut ad Aquilonem , in quocunque loco ceciderit , ibi erit . Hic per casum significatur mors : per Austrum status gratiæ : per Aquilonem , status peccati . Sensus ergo est , omnem hominem , vel in gratia , vel in peccato mortali ex hac vita decidere . Et quantum ad hoc , in eo statu , in quo dedit , perpetuo permanere , ut exponit Hieronymus & alij . Sancti igitur veteris Testamenti , quia in statu gratiæ ex hac vita decesserunt , ut supponimus ; non potuerunt gratiam peccando amittere , sed omnino impeccabiles perseverarunt .

9. QVÆRES , Vnde factum sit , quod essent impeccabiles ? Ratio est ; quia constat neminem naturam sua esse impeccabilem , iuxta illud Rom . 3 . 4 . Omnis homo mendax . Vnde ergo impeccabilitas illa , si ex natura non est , prouenire potest ?

RESPONDEO . Si generatim loquamur potest prouenire ex triplici causa . Primo ex vnione hypostatica . Sic solus CHRISTVS est impeccabilis . Secundo , ex visione beatifica . Sic omnes beati sunt impeccabiles . Tertio , ex singulari Dei protectione & gu-

bernatione. Sic Beata Virgo in hac vita , & omnes iusti in Limbo Patrum vel in Purgatorio fuerunt impeccabiles.

10. QUINTA CONCLUSIO. Idem Sancti in Limbo existentes, non solum pro se & redemptione sua, sed etiam pro aliis in hac vita mortali degentibus, obnoxie Deum orabant. Prior pars certa est, quia constat, eos pro se , & redemptione sua orasse cum adhuc essent in hac vita. Isaiæ 45.8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Et cap. 64. 1. *Vt in am disrumperes cœlos, & descenderes.* Et Psalm. 78. 8. *Cito anticipent nos misericordia tua.* Ergo multo magis id fecerunt post hanc vitam, cum ad orandum liberiores & expeditiores essent, propter depositionem corporis, quod deuotionem impedire solet, præfertim cum non minus expectarent tunc Salvatorem, quam ante.

11. Posterior pars aperitè colligitur ex Scriptura. Nam I.2. Machab. c. 15. v. 12. expressè dicitur, Oniam & Ieremiam qui iam defuncti erant, visos esse orare pro omni populo Iudaorum , & in iuersa ciuitate sancta. Eodem spectat illud Ierem. 15. 1. *Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Q. D. Tanta est malitia & ingratisudo populi Iudeorum , ut etiamsi Moses & Samuel (qui tunc erant in Limbo Patrum) pro illo apud me intercederent, non exaudirent illos; cum tamen alias solitus sim eos exaudire, quia mihi charissimi & coiunctissimi sunt. Vide Maldonatum in illum locum.

12. Quæres, an Sancti in Limbo orauerint pro viuentibus in communi tantum , an etiam pro hoc aut illo in particulari : Respondeo. Dupliciter intelligi potest , aliquem pro hoc aut illo orare in particuli-

lari. Primo ut oret pro persona particulari, non tamen in negotio particulari, sed generatim sub hac forma: *Oro seu deprecor pro Petro, ut omnia fœliciter illi succedant.* Secundo, ut oret non solum pro persona particulari, sed etiā in negotio particulari, ad hunc modum: *Oro seu deprecor pro Petro, ut ex febri, quā affigitur, conualescat.* Igitur Sancti in Limbo poterant utroque modo pro viuentibus orare. Priori quidem, quando habebant notitiam alicuius personæ, non tamen in particulari sciebant illius statum aut necessitatem. Posteriori, quando & personam & particularem eius necessitatem cognoscebant. Poterant autem tripliciter cognoscere. Primo, ex ea notitia, quam ex hac vita secum asportauerant; quo pacto diues epulo in inferno sciebat statum & necessitatem suorum fratribus (Lucæ 16.28.) Secundo, ex relatione aliorum hominum, qui quotidie ex hac vita ad illos commigrabant, quo pacto nos, qui Viennæ sumus, multa cognoscimus de negotiis Pragensibus, ex relatione eorum, qui Pragâ Viennam veniunt. Tertio, ex colloquio Angelorum, qui aliquando consolandi causa illos adibant; quo pacto Tobias multa cognouit ab Angelo Raphaële, cum ab illo in regionem Medorum ducebatur. (Tobiæ 6.)

13. Dices, Si Sancti in Limbo orabant pro viuentibus in particulari, sicut iam explicatum est, Ergo viuentes poterant illos inuocare. At nunquam legimus in veteri Testamento, quod viuentes inuocauerint Sanctos in Limbo existentes. Nullus enim legitur dixisse, *Sancte Abraham ora pro nobis*: cum ramen in nouo Testamento confidenter dicamus, *Sancta Maria ora pro nobis*.

14. RESPONDE O. Aliud est Sanctos pro nobis
B 2 orare

orare: aliud, Sanctos à nobis inuocari. Ut ipsi orente pro nobis, non requiritur alia cognitio, quam vel solidus personæ, pro qua orant; vel simul etiam particularis necessitatis, in qua persona constituta est. Ut autem à nobis inuocentur, requiritur alia cognitio, qua nimirum intelligent aut percipient preces nostras, quas ad ipsos fundimus. Et in hac re magna est differentia inter Sanctos veteris ac noui Testamenti. Nam hi, ratione sui status, possunt infallibiliter cognoscere orationes viuentium, quæ ad ipsos diriguntur: Illi ratione sui status, non poterant. Quod fusius explicabo quæst. 5.

15. Hic tamen obiter notandum est, Sanctos dupliciter à nobis inuocari posse. Primo, directè, quod tunc fit, quando oratio nostra immediatè dirigitur ad ipsos Sanctos, ut si dicam, *Sancte Petre ora pro nobis*. Secundo, indirectè, quod tunc fit, quando oratio nostra immediatè dirigitur ad Deum, representando illi merita Sanctorum; ut si dicam, *Domine Deus adiuua nos propter merita Sanctorum tuorum*. Priori modo non fuerunt inuocati Sancti in veteri Testamento, ut dictum est; sed tamen posteriori. Hoc patet exemplo Mosis & Azariae. Nam Moses Exodi 32.1; sic orauit: *Recordare Domine Abraham, Isaac & Jacob seruorum tuorum*. Similiter Azarias in fornace Babylonica, Dan. 3.34. *Ne quæsumus Domine tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuū, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum*.

16. Simile quid fit in rebus humanis. Nam duabus modis possum petere patrocinium aut subsidium alicuius amici apud Imperatorem. Primo, directè, ut si dicam illi: *Obsecro mi Petre, promoue causam meam*

meam apud Cæsaream Maiestatem. Secundo , indirecte , vt si dicam Imperatori : Obsecro, Inuidissime Imperator , praesta mihi hoc beneficium , si non mei causa , saltem in gratiam Petri , quem & scio charum tibi esse ; & , si coram adesset , sine dubio pro me intercederet. In priori casu necesse est , vt Petrus cognoscat meam petitionem : in posteriori , non item.

17. **SEXTA CONCLUSIO.** Sancti existentes in Limbo , carebant omni poena ignis , & magno gaudio ac consolatione afficiebantur : tum ob statum gratiae , in quo sciebant se esse confirmatos : tum ob infallibilem spem futuræ gloriae , quam à venturo Messia expestatabant. Hoc patet exemplo Lazari , de quo dicitur Lucæ 16.25. *Nunc autem hic consolatur. Quæres , An nullam omnino poenam habuerint?* Respondeo. Habuerunt temporalem poenam danni , vt loquuntur Theologi , id est , carentiam visionis beatificæ , usque ad aduentum Christi. Et probabile est ex hac dilatione secutum esse aliquem animi dolorem , vt docet D.Thomas 3.p. quæst. 52. ar. 1. ad 2. Et citat illud Proverb. 13. 12. *Spes , qua differtur , affigit animam.* Vnde D. Gregorius libro 13. Moralium cap. 16. Graue , inquit , tedium electis fuit , post solutionem carnis , adhuc speciem non videre Creatoris. Quod tedium non immerito B.Iob tenebras vocat. Nimirum cum ait cap. 17. vers. 13. *Si sustinuero , infernus domus mea est , & in tenebris strani lectulum meum.*

IV. QVÆSTIO

An Sancti noui Testamenti sint in cœlo & statu beatitudinis?

1. **D**E hac re sunt tres Caluini sententiæ inter se pugnantes. Prima, quod stultum ac temerarium sit inquirere, An Sancti sint in cœlo & cœlesti gloria. Altera, quod omnino sint in cœlo & cœlesti gloria. Tertia, quod expectent cœlestem gloriam usque ad diem iudicij.

2. Primam tradit lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. his verbis: *Valde se torquent multi disputando, quem locum occupent, & an cœlesti gloria fruantur, nec ne. Atqui stultum ac temerarium est, de rebus incognitis altius inquirere, qua Deus nobis scire permittat. Et paulo post: Omnia tenentur suspensa donec Christus appareat Redemptor.*

3. Alteram tradit in Psychopannychia, vbi inter alia sic habet: *Electi Dei, qui ex hac vita transferunt, Deo fruuntur ad satietatem, citra fastidium. Et ibidem: In cœlesti Ierusalem Deus pacis dat se videtur suis pacificis, iuxta Christi promissum. Et alibi, ut paulo post videbimus.*

4. Tertiam tradit lib. 3. Inst. c. 25. §. 6. Scriptura, inquit, *vbiique iubet nos pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloria coronam eousque differt. Et ibidem: Animalia piorum, militia labore perfundæ, fruitionem promissæ gloriae expectant.*

5. Catholici constanter docent cum Patribus Concilij Tridentini, Sanctos noui Testamenti, si nihil purgandum aut expiandum habeant, regnare cum Christo in cœlo, & frui cœlesti beatitudine. Ratio est,

est, quia nō debent esse deterioris conditionis, quām Sancti veteris Testamenti. At hi statim post mortem Christi admissi sunt ad cælum & cælestem gloriam, ut supra ostensum est: Ergo etiam Sancti noui Testamenti statim admittuntur.

6. Et confirmatur primo ex Apostolo 2 Cor. 5. 1. vbit ait: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod edificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, eternam in cælis, id est: Quando ex hoc mortali corpore discedimus, sumus cū Deo in cælis.* An statim? Omniō. Sequitur enim; *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & praesentes esse ad Dominum.* Vbi vi-des hæc duo connexa esse: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Et similiter hæc duo: *Dum peregrinamur à corpore, praesentes sumus ad Dominum.* At Sancti, qui in nouo Testamento moriuntur, peregrinantur à corpore: Ergo praesentes sunt ad Dominum.

7. Hoc testimonio conuictus est Caluinus in Psychopannychia, vbi ait: *Vt nihil addamus, verba Apostoli sine interprete hoc loquuntur, nos sensuros Dei praesentiam, cum ab hoc corpore separabimur: iam nō per fidem ambulaturos, sed per speciem, quoniam hoc terræ pondus, quo premimur, nos à Deo, quasi maceris longo interuallo separat.*

8. Secundo confirmatur ex eodem Apostolo, Philip. 1. 23. *Coarctor, inquit, è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, magis necessarium propter vos, quasi dicat: Ex una parte cupio mori, ut possim esse cum Christo: ex altera cupio vivere, ut possim vobis professe.* Hoc non diceret, si Sancti post hanc vitam

non statim essent cum Christo, sed alibi delitesceret usque ad diem iudicij. Vnde Caluinus in Commentario illius loci scribit: *Paulus aperte testatur, nos frui Christi presentia, cum dissoluimur.*

9. Idem docent Patres Graeci & Latini apud Bellarminum lib. i. de Sanctis, cap. 4. & 5. Et ratio est, quia Deus, si aliunde nihil obstat, pronior est ad miserendum & remunerandum, quam ad puniendum, Psal 144.9. *Sua vis Dominus uniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.* Et hoc sensu dicunt Theologi, Deum punire impios citra condignum, & remunerari iustos ultra condignum. At impios statim punit post hanc vitam in inferno (Luc. 16.22.) Ergo etiam iustis, si aliunde nihil obstat, statim post hanc vitam confert praemium in celo. At certum est, nihil iam obstat: tum quia celum per Christi sanguinem apertum est: tum etiam, quia Sancti veteris Testamenti pridem illud ingressi sunt. Cur ergo Sancti noui Testamenti non statim ingrediantur, praesertim si nihil in Purgatorio expiandum habent? Non video causam dilationis.

10. Dices, Praemia non solent distribui, nisi praemiso examine & iudicio: sed in nouissimo primum die fiet examen & iudicium (Matth. 25. 31.) Ergo tunc primum distribuenda sunt praemia. R E S P O N D E O. Duplex est iudicium: Alterum particulare post hanc vitam, in quo distribuuntur praemia & poenae animarum. Et de hoc multi interpretantur illud Hebræor. 9.27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Alterum generale in nouissimo die, in quo distribuentur praemia & poenae corporum. De quo Matth. 24.30. *Tunc parebit signum Filii hominis in celo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt*

Filium

Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate. De utroque iudicio scribit Augustinus lib.2.de anima & eius origine, cap.4. D.Thomas 3.p.q.59.artic.5.& alij passim.

11. Dices 2. Anima Christi non ascendit in cælum , nisi resumpto prius corpore : Ergo nec animæ Sanctorū debent ascendere,nisi resumptis prius corporibus , quod fiet in fine mundi ; alioqui discipuli essent supra Magistrum ; & servi supra Dominum. Respondeo. Contrarium potius sequitur. Nam ex speciali priuilegio factum est , quod Christus ante generalem corporum resurrectionem , resumpserit corpus suum gloriosum : quod priuilegium debebatur illi , ratione vniōnis hypostaticæ. Et ex ea parte superauit suos discipulos ac seruos.

V. Q V A E S T I O.

An Sancti in cælo sciant, quæ apud nos geruntur.

1. **N**ON est quæstio , An simpliciter & absolute sciant omnia , quæ apud nos sunt ; sed an sciant ea , quæ ad ipsos aliquo modo spectant ? cuiusmodi , inter cætera , sunt etiam orationes nostræ , quæ ad ipsos diriguntur. Aduersarij negant. Primo , quia Scriptura dicit , solum Deum nosse cogitationes nostras : mortuos verò nihil scire de nobis , vt 3.Reg. 8.9. Tu nosti sors cor omnium filiorum hominum . Et Ecclesiastæ 9.5. Videntes sciunt se morituros : mortui vero nihil nouerunt amplius . Et Iob 14.21. Sine nobiles fuerint filii eius , siue ignobiles , non inteliger , nempe post mortem . Et Isaiae 63.16. Abraham nescivit nos , & Israël ignorauit nos .

2. Deinde, quærit Caluinus lib. 3. Instit. cap. 20. §.
 24. vnde constet nobis, Sanctos habere tam longas
 aures, quæ ad nostras voces porrigantur; & oculos tam
 perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent? Quid
 Catholici sentiat, breuiter explicandum est per duas
 conclusiones; quarum prima ager de Angelis: poste-
 rior de aliis Sanctis.

3. PRIMA CONCLVSIO. Angeli cognoscunt ea, quæ apud nos geruntur. Hoc cōcedunt aduersarij. Et probatur clarissimis Scripturæ testimoniis. Primo, quia cognoscunt nostras orationes, & illas Deo offerunt, ut de se faretur Angelus Raphaël, Tob. 12. 12. his verbis: *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* (Vide Augustinum epist. 120. ad Honoratum, cap. 29.) Et de alio Ange-
 lo legimus Apocal. 8. 3. *Alius Angelus venit, & sterit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angelii coram Deo.

4. Secundo cognoscunt internam conuersionem & pœnitentiam peccatoris. Lucæ 15. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Et infra v. 10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

5. Tertio, cognoscunt omnem cultum, quem Deo exhibemus. Psal. 137. 1. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Visitatum est in Scripturis, facere aliquid in conspectu Dei, in conspectu Angelorum, in conspectu hominum, id est, inspiciente Deo, Angelis, hominibus. Quem modum loquendi usurpat etiam Caluinus

uinus lib. 5. Instit. c. 14. §. 1. cùm ait, nos in v̄su seu perceptione Sacramentorum, testari coram Angelis nostram erga Deum pietatem.

6. Quarto, cognoscunt habitum & honestatem mulierum in publicis conuentibus, vbi fit oratio. 1. Corinth. 11. 5. *Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite, detur pat caput suum.* Et infra v. 10. *Ideo debet mulier velamen habere supra caput propter Angelos.* Vel, vt alij legunt: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Vtriusque tamen lectionis idem est sensus quasi dicat: Mulier cùm orat, debet esse velato capite propter Angelos, vt habeat illos testes & inspectores sui pudoris & obedientiae erga virum. Nam velamen, quod mulier gestat in capite, significat, eam subiectam esse potestati viri: Et virum quasi insidere & dominari ipsius capiti. Vide Chrysostomum, Theophylactum, Theodoretum, Anselmum, & D. Thom. in Comment. illius loci.

7. SECUND A CONCLVSIO. Non soli Angeli, sed etiam alij Sancti in cœlo viuentes cognoscunt ea, quæ apud nos geruntur: præsertim nostras orationes, quas ad ipsos fundimus, & necessitates, in quibus versamur. Hoc varijs argumentis probari potest. Primum sumitur ex Apocalypsi Ioannis. Alterum ab exemplo Sanctorum in hac vita degentium. Tertium ab exemplo Angelorum. Quartum ex natura & lege amicitiae, qua Sancti in cœlo, Deo intimè coniuncti sunt. Quintum ex autoritate Patrum. Singula seorsim proponam, ac deinde respondebo ad testimonia Scripturæ in contrarium allata.

I. ARGUMENTVM.

Ex Apocalypsi Ioannis.

8. PRimum argumentum sic propono: Ioannes in Apocalypsi expressè tradit, Sanctos in cælo nō solum cognoscere nostrās orationes, sed etiam Deo offerre. Nam cap. 5. v. 1. sic habet: *Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortē, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, neque respicere illum.* Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi: *Ne fleueris: ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, &c. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

9. Hic describit Ioannes visionem suam, quam habuit in raptu, quæ erat huiusmodi. Deus Pater se-debat in throno cælesti, & tenebat in manu dextra librum septem sigillis signatum, quem nemo poterat aperire seu interpretari, nisi Christus, qui est Agnus pro nobis occisus. Cùm ergo is librum aperuisset, adorauerunt illum quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores, qui habebat phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

10. Mul

ro. Multa hic disputari solent. 1. de libro septem sigillis signato. 2. de quatuor animalibus. 3. de viginti quatuor senioribus. 4. de phialis aureis, quæ erant plenæ odoramentorum. Sed non omnia sunt huius loci. Solum duo posteriora spectant ad nostrum propositum. Igitur per viginti quatuor seniores intelliguntur Sancti Veteris ac Novi Testamenti, qui tunc temporis cum Christo erant in cœlesti gloria: non quidem omnes, sed præcipui. De quibus haec tradit Ioannes. Primo, quod fuerint circumamicti vestimentis albis. (cap. 4. v. 4.) Secundo, quod habuerint aureas coronas in capitibus. (ibidem.) Tertio, quod fuerint redempti sanguine Christi ex omnibus tribus, & lingua, & populo, & natione. (cap. 5. v. 9.) Quarto, quod præter illos fuerint multi alij Sancti in cœlo, (cap. 7. v. 13.)

11. Hi igitur seniores, id est, præcipui Sancti, qui tunc regnabant cum Christo, habebant in manibus phalias aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, id est, offerebant Deo orationes eorum, qui in hac vita mortali degebant: non secus, quam Angeli, qui idem dicuntur præstare. Tobiae cap. 12. v. 12. & Apocalyp. 8. v. 3. ut supra ostensum est.

12. Vbi tria notanda sunt. Primum, Ioannem alludere ad ritum & consuetudinem templi Salomonis, in quo coram altari ponebantur phialæ aureæ & argenteæ plenæ odoramentorum. Nam Salomon curauit fieri centum phalias ex auro purissimo. (2. Paralipomenon 4. 8. & 22.) Et post captiuitatem Babylonitam, cum Cyrus restitueret Iudeis vasæ aureæ & argenteæ, quæ abstulerat Nabuchodonosor, numeratae sunt aureæ phialæ triginta, & argenteæ mille.

mille. (1.Esdr.1.9.) Huc spectat illud Zachariæ 14.
 20. *Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, id est: Tam multi erūt lebetes in templo ad conquendas cernes victimarum, quām multæ phialæ ad odorem Deo offerendum.*

13. Alterum, per odoramenta, quæ erant in phialis, Ioannem aptissimè interpretatum esse orationes iustorum in hac vita: Et quidem dupli ci de causa. Primo, quia orationes iustorum ascendunt sursum, non secus, quām odoramenta. Secundo, quia sunt suauissimi odoris coram Deo. Vtunque significat Propheta, cùm ait, Psal. 140. 2: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

14. Tertium, orationes iustorum fuisse à senioribus oblatas Deo in phialis aureis: idque etiam dupli ci de causa. Primo, quia orationes iustorum procedunt ex charitate, quæ significatur per aurum. Sicut enim aurum inter metalla, sic charitas inter virtutes præstantissima est. Secundo, orationes iustorum sunt maximi pretij apud Deum, sicut aurum apud homines.

15. Atque hæc habentur in priori parte illius quinti capitil in Apocalypsi. In posteriori, refert Ioannes, triplicem gratiarum actionem fuisse oblatam Christo, eo quod librum signatum septem sigillis aperuisset Primam à viginti quatuor senioribus. Alteram ab Angelis. Teriam ab omni creatura, quæ est in cœlo, & in terra, & sub terra. Et postea, quatuor animalia dixisse, Amen. Vbi iterum notandum est, per quatuor animalia (ut multi interpretantur) intelligi quatuor Euangelistas: vel certè aliquos alios cum Christo in cœlo regnantes. Hi ergo, quicunque tandem fuerint, suo applausu approbarunt orationem

& gratiarum actionem, quæ fiebat ab ijs, non solum, qui in cœlo, sed etiam qui in terra, & sub terra erant. Vnde identidem sequitur, Sanctos in cœlo non ignorare, quæ apud nos fiunt.

II. ARGUMENTVM.

*Ab exemplo Sanctorum in hac vita
degentium.*

16. Secundum argumentum est tale. Quidquid conceditur Sanctis in hac vita degentibus, hoc multo magis conceditur Sanctis in cœlo regnantibus, præsertim si illorum statui non repugnet, sed potius consentaneum sit: At Sanctis in hac vita degentibus conceditur, ut cognoscant occulta aliorum desideria, machinationes & opera, etiam absentium: Ergo multo magis id conceditur Sanctis in cœlo regnantibus, cum illorum statui non repugnet, sed cōsentaneum sit. Maior videtur per se nota. Minor probatur varijs exemplis ex Scriptura desumptis.

17. Primo, quia Samuël cognouit omnia, quæ erant in corde Saülis. Regum 9.19. Et responuit Samuël Sauli dicens: Omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudiūstertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuenientur sunt.

18. Secundo, Elisæus sciuit omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata. 4. Reg. 5.25. Et dixit Elisæus: Vnde venis Giezi? Qui respondit: Non iuit seruum tuus quoquam. At ille ait: Nonne eorū meū in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?

Nunc

Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oves & boves, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhæredit tibi, & semini tuo, usque in sempiternum.

19. Tertio, idem Eliseus sciebat omnia secreta consilia Regis Syriæ, & reuelabat ea Regi Israël. 4. Regum 6.8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël, consiliumque iniit cum seruis suis, dicens: In loco illo, & illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei ad Regem Israël, dicens: Caue, ne transcas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque Rex Israël ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & preoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel, neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro hacre: & conuocatis seruis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israël? Dixitque unus serisorum eius: Nequaquam Domine mi Rex, sed Eliseus Propheta, qui est in Israël, indicat Regi Israël omnia verba, quecunque locutus fueris in conclavi tuo.

20. Quarto, Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris, & interpretationem illius. Dan. 2.26. Et dixit Rex Danieli: Putasne verè potes mihi indicare somnum, quod vidi, & interpretationem eius? Et respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, Magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo reuelans mysteria. Qui etiam reuelauit Danieli, vt ibidem sequitur.

21. Quinto, Petrus Apostolus sciebat occultam fraudem Ananiæ & Sapphiræ circa pretium agri. Act. 5. 1. Vir quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscientia uxore sua: & adferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare

dare de precio agri? Omitto similia exempla, quæ paſim occurunt.

22. Ex quibus omnibus sic concludo: Si Samuel, Elisæus, Daniel, Petrus, & alij potuerunt in hac vita mortali cognoscere occulta cōſilia, conatus, & actio-nes aliorum, etiam absentium; certè poterunt & nūc cognoscere, cum in cælo ſunt. Nec enim verisimile est, in exilio fuisse melioris conditionis, quām nunc ſint in patria: Et remotos à conspectu Dei, cognouisse multa ex Dei reuelatione, quæ nunc in aula & præſentia Dei cogantur ignorare. Absit. Reclamat bonitas Dei: reclamat recta ratio: reclamat exemplum viginti quatuor seniorum, de quibus ſupra dictum eſt.

23. Dices, Ex toto hoc diſcurſu nihil aliud ſequitur, quām quod huiusmodi cognitio, ſicut in hac vita paucis confeſſa eſt, ſic etiam in cælo paucis concedi poſſit. Ex quo non licet inferre, quod omnibus in cælo existentibus ſit communis. R E S P O N D E O. Hoc optimè licet inferre, ſi diuinum conſilium & prouidentiam in hac re ſpectemus. Nam quod Deus in hac vita ſolet paucis & raro concedere, per modū priuilegij tranſenntis; hoc in altera concedit omnibus per modum doni permanentis.

24. Exemplum habemus in Christo, cui ſpeciatim in hac vita, pro breui tempore, quædam confeſſa ſunt, quoad vſum & exercitium. Primo, ut fa- cies eius ſplenderet ſicut Sol. (Matth. 17.2.) Secundo, ut ambularet ſuper aquas. (Matth. 14.25.) Tertio, ut clauſas ianuas penetraret. (Ioan. 20.19.) Quarto, ut ſubito euaneſceret ex oculis hominum, & quaſi inui- ſibilis eſſet. (Lucæ 24.31.)

25. Hæc & similia concedentur omnibus Sanctis
Opusc. Tom. V. C post

post diem iudicij. Tunc enim habebunt corpora gloriosa , cum his quatuor dotibus, claritate , subtilitate, agilitate,& impassibilitate, ut docent Theologi in 4. distinet. 44.& 49. De quibus extant expressa Scripturæ testimonia: De claritate, Matthæi 13. 43. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol. De impassibilitate. 1. Corinth. 15. 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem , & mortale hoc, immortalitatem. De agilitate Sap. 3. 7. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurreret. De omnibus simul 31. Cor. 15. 44. Seminatur in corruptione , surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmitate , surget in virtute : seminatur corpus animale , surget corpus spirituale.

. 26. Igitur sicut hæ dotes corporis , quæ in hac vita paucissimis & rarissimè conceduntur, in cœlo omnibus concedentur , non ad breue tempus , sed perpetuo : sic etiam , seruata proportione de dotibus animi dicendum est. In hac vita paucis & raro conceditur , cognoscere occultas aliorum cogitationes & desideria ; quod in cœlo commune est omnibus. In hac vita concessum est Mosi & Paulo (vt multi putant) videre essentiam Dei,in cœlo omnes vident. In hac vita Stephanus Protomartyr vidit Filium hominis stantem à dextris Dei(Acto. 7. 55.)in cœlo omnes fruuntur hac visione. Et sic de similibus. Rationem huius rei clarius explicabo inferius in 4. Argumento.

III. ARGUMENTVM.

Ab exemplo Angelorum.

. 27. **T**ertium est hoc: Quidquid conuenit Angelis ratione beatitudinis , hoc etiam conuenit aliis

aliis Sāctis in cœlo existentibus, qui & ipsi beati sunt: At Angeli, ratione beatitudinis, cognoscunt ea, quæ apud nos geruntur: Ergo etiam alij Sancti in cœlo existentes ea cognoscunt.

28. Maior patet, quia Angeli, tametsi in natura differant ab aliis Sanctis, tamen in beatitudine nō differunt, sed æquales sunt iuxta illud Christi, Lucæ 20.25. *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; nubent, neq; ducent uxores: neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei.* Ergo quidquid competit Angelis ratione beatitudinis quatenus sunt filij Dei; hoc etiam aliis competere necesse est, qui in eodem statu sunt.

29. Minor probatur: quia quod Angeli infallibiliter cognoscant ea, quæ apud nos sunt, præsertim internas preces, contritionem & pænitentiam, hoc non habent ex solis naturæ viribus, (alioqui etiam Dæmones, qui in natura illis æquales sunt, infallibiliter ea cognoscerent, quod falsum est) sed habent ex statu beatitudinis. At in hoc statu, ut dixi, non differunt ab aliis Sanctis. Ergo & alij Sancti, ratione sui status, possunt idem præstare.

30. Simile est in Consistorio Imperatoris, in quo multi sunt Consiliarij. Tametsi enim alij ab aliis differant, quoad nativam originem & nobilitatem, cum alij nati sint Comites, alij Barones, alij plebei; omnes tamen æquales sunt, quoad statum, in quo versantur, quia omnes sunt in arcano Consilio Imperatoris, & æqualem in dicenda sententia libertatem & potestatem habent. Ex quo recte sequitur, quidquid secreti cognoscit unus, ratione sui status, hoc etiam alios cognoscere, qui in eodem statu sunt.

31. Dices, Quod Angeli cognoscant nostras

orationes & necessitates , hoc non videntur habere ratione beatitudinis , sed ratione officij . Cùm enim ex officio sint custodes hominum , necesse est eos cognoscere , quæ circa homines fiunt . R E S P O N D E O . Contrarium verum est . Quod ex eo patet , quia si haberent notitiam illam ratione solius officij , iam soli Angeli custodes , qui nobiscum versantur , haberent illam notitiam ; non item reliqui , qui in cœlo sunt . Hoc autem falsum est . Nam de illis , qui in cœlo sunt , dictum est Lucæ 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quod intelligendum est de Angelis in cœlo existentibus , ut patet ex verbis præcedentibus , quæ sic habent : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Hinc infero , si omnes Angeli , siue in cœlo , siue in terra sint , cognoscunt internas nostras cogitationes & affectiones , quod non habeant eam notitiam ex eo præcisè , quia custodes nostri sunt ; sed ex eo , quia beati sunt . Quod deinceps magis explicabo .

IV. ARGUMENTVM.

Ex natura & lege amicitiae.

32. **Q**uartum argumentū sic propono . Lex amicitiae requirit , ut amicorum omnia sint communia , non solum quoad bona externa , quibus se mutuo iuvant in necessitate , sed etiam quoad interna consilia & secreta , quæ sibi inuicem , quantum exigit cuiusque status & conditio , solent communicare . Hanc legem non modo cōmēdant Ethnici Philosophi , sed etiā Christus in Euangelio , cùm ait , Ioan . 15. 15. *Iam non dico vos seruos , quia seruus nescit , quid faciat*

faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Cùm ergo Sancti in cælo sint amici Dei, & intimè cum illo coniuncti ; lex amicitiæ requirit, vt Deus, qui omnia nouit, non patiatur amicos suos ignorare ea, quæ apud nos sunt, præsertim orationes nostras, quæ ad ipsos diriguntur.

33. **D I C E S ,** Si hoc argumentum conuincit, planè sequitur, non solum Sanctos in cælo cognoscere nostras orationes, sed etiam Sanctos in limbo cognouisse. Nam & illi erant amici Dei, ac proinde Deus ex lege amicitiæ debebat illis reuelare orationes, quæ ad ipsos fundebantur.

34. **R E S P O N D E O .** Amicitia duplex est. Vna inter æquales, vt inter Principes, vel ciues, vel milites, vel agricolas. Altera inter inæquales, vt inter Deum & homines, inter Principē & inferiores Principe. Prior vocatur amicitia æqualitatis : posterior excellentiæ seu proportionis. De hac nos agimus. Igitur lex amicitiæ, quæ inter inæquales est, hoc requirit, vt bona amicorum sint communia, non simpliciter & absolutè, sed seruata proportione cuiusque status ac conditionis. Hoc patet primo in amicitia humana. Nam Princeps, qui habet varios amicos, quorum alij nobiles, alij plebei sunt ; itémque alij domestici, alij extranei ; nō tenetur ex lege amicitiæ, æqualiter omnibus sua bona communicare, sed vnicuique iuxta exigentiam sui status ac ordinis.

35. Idem fit in amicitiæ diuina. Nam & Deus habet varia amicorum genera : Alios in hac vita mortali : alios in limbo vel purgatorio : alios in cælesti beatitudine. Horum omnium status diuersus est. Nam primi sunt in statu obscuræ fidei. (1. Cor. 13. 12.)

cum periculo excidendi ab amicitia , si peccent . (Rom.ii.20.) Secundi sunt etiam in statu obscuræ fidei , sed sine periculo peccandi , ut quæstio.3.conclus . 4. explicatum est . Tertij sunt in statu claræ visionis , quia Deum præfentes contemplantur , & omnis misericordia expertes sunt . Apoc.22.5.

36. Propter hanc statuum diuersitatem , Deus non æqualiter communicat illis sua bona , sed seruat proportionem . Nā illis , qui in cœlo sunt , immediatè donat seipsum per clarā & intuitiuā visionē diuinę essentiæ , in qua omne bonū perfectissimè continetur . Cæteris verò nō cōmunicat seipsum clarè & immediatè , sed obscurè & mediatè : idq; partim per creaturas , in quibus aliquo modo relucet ipsius bonitas & sapientia (Rom.i.20.) partim per fidem , quam ex auditu percipiunt . (Rom.10.17.)

37. Hinc facile declarari iam potest , quod quærebatur , quare scilicet Sancti in cœlo cognoscant nostras orationes , quas sancti in Limbo non cognoscebant , cum & illi essent amici Dei ? Causa hæc est . Nā Sancti in cœlo clarè & intuitiuè vident diuinam essentiam , in qua , tanquam in viuo speculo , creaturæ omnes repræsentantur . Sicut ergo is , qui speculum corporeum intuetur , clarè & distinctè videt , quæ in illo apparent ; sic Sancti , qui essentiam diuinam intuēt , clarè & distinctè vident creaturas in illo apparentes . Hoc interest , quod speculum corporeū , quale apud nos est , naturaliter ac necessario ostendat ea omnia , quæ in ipso repræsentantur , quia non habet libertatem seu potestatem , ut quædam ex iis occultet , & quædam manifestet . At Deus , in quo omnes creaturæ , tanquam in viuo exemplari continentur , potest quasdam nobis manifestare , quasdam occultare , prout ipsi visum est . Hinc à Theologis vocatur speculum

lum voluntarium. Omnes tamen Sancti in eo speculo clare intuentur, quæ aliquo modo ad ipsos pertinent; ac proinde etiam orationes, quæ ad ipsos funduntur.

38. Alia fuit ratio Sanctorum in limbo existentium. Nam illi non erant in statu claræ visionis, sed in statu obscuræ fidei; ac proinde non poterat quicquam cognoscere in essentia diuina, tanquam in speculo repræsentantè; sed quidquid cognoscebant, aliunde debebant accipere. Ac potissimum, ut supra dixi, ex triplici capite. Primo ex ea notitia, quam ex hac vita secum asportauerant. Secundo, ex relatione aliorum hominum, qui ex hac vita ad illos veniebāt. Tertio, ex colloquio Angelorum, qui aliquando consolandi causa illos adibant. At ex nullo horum capitum poterant semper & infallibiliter cognoscere orationes viuentium. Non ex primo, quia Abraham ex ea notitia, quam secum ex hac vita in limbū asportauerat, non potuit scire, quid reliqui in hac vita degentes, post mortem ipsius, essent petituri. Nec ex secundo, quia qui ex hac vita veniebant ad limbum, non poterant Abrahāmo referre, quid quisque oraret, vel oratus esset in hac vita. Nec ex tertio, quia Angeli non semper erant in limbo: Ergo non semper poterant ibi manifestare, quid fieret in terra.

39. Dices, Saltem aliquando poterant. Respondeo. Hoc concedimus: Nec est contra nos. Dices 2. Deus poterat id præstare. Respondeo. Poterat quidem, sed non constat factum esse. Si tamen aduersarij factum esse contendant, non repugnabimus: sed sic potius ratiocinabimur: Si Sancti in limbo cognouerunt orationes viuentium ex peculiari

Dei reuelatione , cur Sancti in cælo non cognoscant ? Quæ hactenus dicta sunt , deinceps auctoritate Patrum confirmabimus.

V. ARGUMENTVM.

Ex auctoritate Patrum.

40. **A**ugustinus lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 29. de hac re ita scribit : Si Propheta Eliseus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus ; quanto magis Sancti videbunt omnia, etiam unde sunt corpore absentes ? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus : Ex parte, inquit, scimus, & ex parte prophetamus : cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.

41. Ad hoc confirmandum profert illud 1. Cor. 13. 11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, euacuavi, quæ erant parvuli. Videlicet nūc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Et mox subiungit : Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vita, quasi parvuli ad iuuenem, vidit tamen Eliseus accipientem munera seruum suum, ubi ipse non erat : ita ne, cum venerit, quod perfectum est, illi Sancti ad ea quæ vindenda sunt, oculis corporeis, quibus Eliseus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt ? Nam secundum Interpretes 70. ista sunt ad Giezi verba Prophetæ : Nonne cor meum tecum ibat, & noui quod conuersus est vir de curru suo obtulam tibi, & accepisti pecuniam ? &c. Sicut autem ex Hebreo interpretatus est presbyter Hieronymus : Nonne cor meum, inquit, in præsenti erat,

erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Corde ergo suo se dixit hoc vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, diuinitus. Sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus?

42. Prosper Aquitanicus lib.1. de vita contemplativa, cap.4. *Hæc est contemplativa vita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione peruerent, beatis Angelis similes erunt, & simul cum Deo sine fine regnabunt. Quod hic crediderūt, ibi videbunt, sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, &c. Ibi eis exuberabit tanta letitia, tanta cælestium gratia gaudiorum, ut & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales. Et infra: Nec latebit tam perfectè beatos aliquid secretorum, qui quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt Deum.*

43. Gregorius Magnus lib.4. Dialog. cap.33. *Quia in illa æterna hæreditate omnes communi claritate Deum conspicunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?*

44. Beda ad cap.16. Lucæ: *Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. Cui simile est illud Alcuini de diuinis officiis, cap.39. Nec dubitandum est, fidelium petitiones à spiritibus iustorum sciri, quia qui intus claritatem Dei vident, non est credendum, quia sit aliquid foris, quod ignorent. Plura testimonia citabo quæst.12.*

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

45. **S**vpereft, vt excutiantur testimonia Scripturæ contra nos allata. Primum est 3. Reg. 8.39. *Tu nōsti solus cor omnium filiorum hominum.* Respondeo. Multa soli Deo tribuūtur, quæ etiam aliis conueniunt, sed diuerso sensu. v. g. Solus Deus dicitur bonus. (Matth. 19.17.) Solus iustus. (2. Machab. 1. 25.) Solus pius. (Apocal. 15.4.) Solus potens & immortalis. (1. Timoth. 5.15.) Solus faciens mirabilia. (Psal. 71.18.) Et tamen hæc omnia cōueniunt etiam hominibus : non quidem per essentiam, vt Deo, sed per participationem. Nam Deus ista omnia habet à se : homines à Deo. Idem est in nostro casu. Solus Deus dicitur nosse corda hominum, quia solus ex se nouit. Nihilominus & alij possunt nosse, non quidem ex se & virtute sua, sed accepta à Deo cognitione aut reuelatione.

46. Alterum est Ecclesiastæ 9.5. *Viuentes sciunt se morituros : mortui vero nihil norunt amplius.* In quem locum sic scribit Lutherus : *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant.* Et planè credo non esse in Scriptura locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum, contra Sanctorum iuocationem. **R E S P O N D E O.** Quid sentiat Salomon, ex pleno contextu petendum est, qui sic habet : *Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.* Melior est canis viuus leone mortuo. *Viuentes enim sciunt se esse morituros : mortui vero nihil nouerunt amplius, nec habent ultra mercedem.* quasi dicat : Si spectemus negotium æternæ salutis, de eo in hac vita laborandum est, non post mortem. Nam hæc vita utilior est ad merendum, quam tempus post mortem. *Quamdiu enim hic viuimus, cogitamus nos mori*

morituros, ac proinde possumus agere pœnitentiam, quod mortui non possunt. Nam mortui nullum amplius norunt remedium, quod possit illis prodesse ad vitæ emendationem, aut quo possint mereri aliquid apud Deum. Vide quæ supra dicta sunt q. 3. concl. 3.

47. Tertium est Iob 14. 21. *Siue nobiles fuerint filii eius, siue ignobiles, non intelliget.* R E S P O N D E O. Gregorius lib. 12. Moral. cap. 14. interpretatur hunc locum de hominibus carnalibus, qui in hac vita valde solliciti sunt de suis filiis: & post hanc vitā, quando sunt in inferno, nihil prodest illis filiorum status aut conditio, quia tunc nesciūt, an filij bene vel male se gerant in hac vita. Verba Gregorij sunt hæc: *Sicut hi, qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur, nesciunt.* Quod tamen de animalibus sanctis sentiendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Iob nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amauerunt: ut, siue nobiles, siue ignobiles sint filij, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.

48. Quartum est Isaiae 63. 16. *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos.* R E S P O N D E O. Ex hoc loco nihil aliud possunt colligere aduersarij (quantum attinet ad præsentem quæstionem) quam quod Abraham & Iacob, tunc temporis ignorauerint, quid in hac vita gereretur. Quod, et si concedatur, non est contra nos. Nam Abraham & Iacob non erāt tunc in cælesti gloria, sed in limbo. Nos autē hic disputamus de Sanctis in cælesti gloria existentibus.

49. An autem ille sit sensus istius loci, merito
quæri

quæri potest. Videtur aliis esse , vt patet ex antecedentibus & consequentibus, quæ sic habent: *Attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo, &c. Tu enim Pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos: Tu Domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum.* Q. d. Merito configimus ad te, ô Pater cœlestis, quia Abraham & Iacob non possunt nos liberare, sed tu solus. Vel, ut Hieronymus interpretatur. Abraham & Iacob non agnoscunt nos amplius pro suis filijs, propter peccata nostra.

50. Quod attinet ad Caluinum , ego vicissim quæro , an Paulus habuerit tam longas aures , vt ad illam Christi vocem porrigerentur : *Saule, Saule, quid me persequeris?* præsertim cum Caluinus dicat , Chistum in cœlo existentem hanc vocem emisisse. Item, an Stephanus habuerit oculos tam perspicaces, vt potuerit dicere: *Vide oculos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Addo Sanctos in cœlo non indigere oculis & auribus corporalibus ad cognoscendum ea, quæ apud nos geruntur, sicut nec Angeli indigent. Sufficit notitia intellectua , quam habent ex intuitu diuinæ essentiæ, vt dictum est.

VI. QVÆSTIO.

An Sancti intercedant pro nobis?

Hic dissentient aduersarij. Nam Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanae art. 21. docet hæc tria. Primo, constare ex Scripturis, quod Angeli orent pro nobis. Secundo, non constare ex Scripturis, quod alij Sancti orent pro nobis. Tertio; Si tamen orant pro nobis , non orare nisi geno

generatim pro Ecclesia. Aliter sentiunt Rex Angliae in Monitoria Præfatione, & Guilielmus Toskerus in Duello. Aiant Sanctos nec generatim, nec speciatim pro nobis orare. Ratio illorum est, quia gaudium cœlestis, quo fruatur in cœlo, non permittit illos cogitare de nobis, aut ad res nostras attendere. Est enim tantum gaudium, ut plane auocet mentem à rebus inferioribus, & fixam teneat in contemplatione filius diuinitatis, cuius aspectu perfruuntur.

2. Catholici sic statuunt. Primo, Angelos non solum generatim, sed etiam in causis ac necessitatibus particularibus, nostri curam gerere, & pro nobis orare. Hoc patet primo ex illo Zachariæ 1. 12. *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usque quando non misereberis Ierusalem & urbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Vbi orat Angelus pro restauratione Ierusalem & aliarum urbium, quæ tempore captiuitatis Babylonicae fuerant à Nabuchodonosore deuastatae.*

3. Deinde ex iis Scripturæ locis, vbi Angeli dicuntur nostras orationes Deo offerre, vt Tobiæ 12. 12. & Apocal. 8. 3. Nam eo ipso, quod nostras orationes Deo offerunt, censentur etiam suas adiungere, vt nostræ facilius à Deo exaudiantur.

4. Præterea ex Daniele cap. 18. vbi introducuntur quatuor Angelii, quorum unus erat Princeps Persarum; alter Græcorum; tertius captiuarum in Perside; quartus populi Dei. Singuli gerabant curam eorum quos habebant sibi commissos. Denique ex aliis locis, vbi agitur de custodia Angelorum.

5. Secundò statuunt, Sanctos qui olim in Limbo erant, ut minimum generatim orasse pro viuentibus. Hoc supra ostensum est exemplo Oniae & Ieremiæ,

qui

qui orant pro populo & templo Iudæorum (lib. 2.
Machab. c. 15. v. 12. & seqq.)

6. Tertiò, Sanctos qui nunc in cœlo sunt, orare pro nobis in particulari, sicut & Angeli faciunt. Nam sicut Angeli offerunt orationes nostras Deo, sic & ipsos facere, supra demonstratum est exemplo virginis quatuor seniorum. (Apoc 5.8.)

7. Accedit ratio, quæ sumitur ex duobus principijs. Vnum est, quod Sancti in cœlo sigillatim cognoscant nostras necessitates, ut dictum est. Alterum, quod vinculo charitatis & benevolentiae nobis coniuncti sint. Sumus enim membra unius Ecclesiæ Christi: Illi quidem membra Ecclesiæ triumphantis in cœlo: nos autem, militantis in terra. Sicut ergo illi, qui in hac vita nobiscum agunt, & nobis charitate coniuncti sunt, libenter nos iuuant in nostris necessitatibus; sic etiam de Sanctis in cœlo, & quidem potiori iure, sentiendum est. Non enim minus illi nos amant, quam qui in terris sunt.

8. Et sane, si diues Epulo in inferno fuit sollicitus pro fratribus suis, quanto magis Sancti in cœlo pro nobis: Et, si Onias & Ieremias, cum nondum essent beati, orabant pro populo Iudæorum, quanto magis nunc, cum beati sunt, pro omnibus orare pertinendum est?

9. Idem docent antiqui Patres. Origenes hom. 3. in Canticis: *Omnis Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis atque interuenientu suo apud Deum, non erit inconveniens. Scriptum est enim in Machabæorum libris ita: Hic est Ieremias Proph. Dei, qui semper orat pro populo.*

10. Athanasius de interpretatione Psalmorum

ad

ad Marcellinum: Verum cauendum, ne quis Psalmos sa-
cularibus ad loquendum verbis ornet, néue conetur dictio-
nes immutare, aut omnino aliud pro alio substituere, sed
simpliciter, ut scripta sunt, recitet & psallat, ut Sancti, qui
ista verba suppeditarunt, sua esse agnoscentes, comprecentur
nobiscum, ut potius Spiritus Sanctus, qui ita locutus est in
Sanctis, conspiciens ibi sua verba resonare, nostram operam
coadiuuet.

11. Gregorius Nyssenus oratione funebri in Mel-
letium Episcopum: In adytis ac penetralibus sacerdos
est, in interioribus veli, quo praecursor pro nobis ingressus est
Christus. Reliquit carnis tegumentum: non amplius signo
& umbra cœlestium seruit, sed in ipsam rerum imaginem
intuetur: non amplius per speculum, atque per transennam
& enigma, sed ipse facie cum facie collata intercedit apud
Deum. Intercedit autem pro nobis, & pro populis erratis.

12. Cyprianus lib. 1. ad Cornelium, in fine: Me-
mores nostri inuicem simus, concordes atq[ue] unanimes, ut tro-
big[ue] pro nobis semper oremus, pressuras atq[ue] angustias mu-
tua charitate releuemus. Et si quis hinc nostrum prior di-
uinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud
Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris
apud misericordiam Patris non cessat oratio.

13. Hieronymus contra Vigilantium c. 3. Dicis
in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare pos-
sumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio
exaudienda oratio; præsertim cum Martyres, ultionem sui
sanguinis obsecrantes, impetrare non quinerint. Si Apostoli
& Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro
ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto ma-
gis post coronas, victorias & triumphos? Vnus homo Moses
sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam
& Stephanus, imitator Domini sui, & primus Martyr

in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuagintasex sibi dicit in nauis animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangeliū crediderunt, mutire non poterit.

14. Augustinus in expositione Ps. 85. sub finem: *Dominus noſter Iesu Christus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipsorum, niſi cum transierit gemitus noster.*

15. Nec desunt aduersarij, qui idem sentiant. Lutherus in responsione ad condemnationem doctrinalem Louaniensium: *Non negaui inquam, nos meritis & precibus Sanctorum quantumlibet imperfectis iuari, &c.* (Tomo prima Ienensi, Anno 1584. pagina 472.)

16. Ioannes Oecolampadius ad Serm. Chrysostomi de Iuuentio & Maximo Martyribus: *Sancti in cælis sua adhuc charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere.*

17. Philippus Melanchthon in Locis communibus Manlij fol. 151. *Dicam tibi manifestum testimoniū ex novo Testamento, probans quod mortui sint solliciti de Ecclesia & nobis. Ita enim ait Mattheus: Helias & Moses loquebantur cum Christo de rebus futuris. Non dubium est, quin Sancti ipsi, qui sunt in cælo, nostri cura in terra viuentium afficiantur.*

18. Ioannes Brentius ad cap. 16. Lucæ; *Ergo ne mortui intercedunt pro viuis? Certe negari non potest, quin hi, qui viuunt cum Christo, bene cupiant Ecclesię & membris eius. Si enim Angeli orant pro nobis, quemadmodum Zachiarias*

charias testatur, & si Christus ipse apud Patrem pro nobis intercedit, quomodo non & Sancti afficerentur erga nos in Christo & per Christum charitate, & optarent nobis à Deo fæcilia quæque?

19. Ratio autem, quæ initio in contrarium allata est, in ipsos authores retorqueri potest. Nam si visio diuinitatis, & gaudium quod ex ea sequitur, obstarét, quo minus Sancti possint nostri curam gerere, & ad res nostras attendere; plane sequeretur, nec Christum secundum humanitatem, nec Angelos custodes, cum & ipsi videant diuinitatem, & cœlesti gaudio perfruātur, posse curam nostri gerere, nec ad res nostras attendere. Quod tamen nemo dixerit.

VII. QVÆSTIO.

An liceat inuocare Sanctos in cœlo existentes.

1. **T**Ametsi aliqui ex aduersariis concedant, Sanctos pro nobis orare seu intercedere, ut iam ostensum est; negant tamen rectè à nobis inuocari posse. Quare: quia putant hanc inuocationem vel cedere in iniuriam Dei, vel in iniuriam Christi, vel esse signum diffidentie, vel aliquid simile. Quæ omnia refutabimus in sequentibus quæstionibus. Nunc generatim ex dictis sic concludo: Si Sancti intelligunt nostras orationes, & pro sua charitate parati sunt nos iuuare, & apud Deum pro nobis intercedere, cur nobis non liceat ab ipsis petere, ut hoc faciant? Petierūt hoc maiores nostri ante nos, ut q. 12. demonstrabo.

2. Et habemus exemplum in Scripturis. Nam Apoc. 1.4. sic legimus Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu Opus. Tom. V.* D throni

throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, pri-mogenitus mortuorum. Quo loco Ioannes precatur fi-delibus in Asia, & pacem & gratiā à Deo Patre à septē Angelis, & à Christo Iesu Redemptore nostro. Vnde sic argumentor: Sicut illi inuocant Deum & Christum, qui à Deo & Christo petunt aliquod bonum spirituale, siue pro se, siue pro aliis; sic etiam inuocant Angelos, qui ab Angelis petunt aliquod bonum spirituale: At Ioannes pro fidelibus in Asia petit aliquod eiusmodi bonum, nempe pacem & gratiam, non so-lum à Deo & Christo, sed etiam ab Angelis: Ergo in-uocat Deum, Christum, & Angelos.

3. Diuerso tamen modo ab illis petit. A Deo, tanquam authore omnium bonorum. Iacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio.* A Christo, tanquam ab eo, qui per suam mortem meruit nobis omne bonum spirituale. Eph. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, id est, per merita Christi.* Ab Angelis, tanquam ab iis, qui in ciusmodi negotio curam nostri habent. Hebr. 1. 14. *Omnis sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.*

4. D I C E S. Per septem spiritus, de quibus lo-quitur Ioannes, non intelliguntur Angeli, sed Spiritus sanctus septiformis, qui confert nobis septem dona: Vel certè, dona ipsa, quæ à Spiritu sancto conferuntur. Respondeo. Ita aliqui putant. Sed alij rectius intelligunt septem Angelos, quorum frequēs in Scriptura mentio est. Ratio sumitur ex illis verbis: *Qui in conspectu throni Dei sunt.* Nā ista verba si vsum Scriptu

Scripturæ species, conueniunt illis tantum, qui Deo assistunt & ministrant, quales sunt Angeli, ut patet Tobiae 2.15. *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astantur ante Dominum.* Et Apoc. 8. 2. *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.* Et alibi saepius.

5. At nusquam legimus, quod Spiritus S. aut dona Spiritus sancti dicantur esse in conspectu throni Dei. Imo absurdè loqueretur, qui diceret, Spiritum S. esse in conspectu throni D. i., cum ipse sit Deus, & sedeat in throno Dei, in cuius conspectu sunt Angeli. Äquè absurdè loqueretur, qui diceret, dona Spiritus sancti esse in conspectu throni Dei, cum eiusmodi dona sint in nobis, qui in hac vita degimus, & procul absamus à conspectu throni Dei. Vide Riberam ad cap. 1. Apoc.

VIII. QVÆSTIO.

An inuocatio Sanctorum fiat sine iniuria Dei?

1. **A**Duersarij ex hoc capite sic argumentantur: Solus Deus vult inuocari, iuxta illud Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Ergo Catholici faciunt iniuriā Deo, quando inuocant Sanctos.

2. RESPONDEO 1. Hoc argumentum retorqui potest in aduersarios, hoc modo. Solus Deus vult inuocari, iuxta Scripturam citatam: Ergo aduersarij faciunt iniuriā Deo, qui inuocant Sanctos in hac vita existētes. Et apostolus fecit iniuriā Deo, cūm scripsit Thessalonicensibus: *Fratres orate pro nobis.* Et similiter Iacobus cum Christianos hortatus est: *Orate pro inuicem, ut saluemini.*

.3 Respondeo 2. Illa verba: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, sic debent intelligi: Non adorabis falsos Deos, sicut gentiles faciunt, sed vnum verum Deum, cui soli, tanquam vero Deo, diuinum cultum exhibebis. Qui sensus clarè exprimitur, Exodi 20.3. *Non habebis Deos alienos coram me. Non adorabis eos, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus.*

4. Sicut ergo contra hoc præceptum non peccant illi, qui petunt suffragia viuentium in terra: ita nec illi, qui petunt suffragia viuentium in cœlo. Et ratio est, quia neutri adorant eos, tanquam Deos, sed petunt intercessionem eorum apud verum Deum. At petere intercessionem apud verum Deum, non est colere aut adorare falsos Deos. Sicut petere intercessionem Aulicorum apud Imperatorem, non est cole-re Aulicos, tanquam Imperatores, sed tanquam amicos & domesticos Imperatoris. Res vulgo nota est.

I X. Q V Ä S T I O.

An Inuocatio Sanctorum fiat sine iniuria Christi?

1. **N**on fieri probant aduersarij, hoc modo. Christus est vnicus Mediator noster, per quem habemus accessum ad Patrem. (Ephes. 2. 18. & 1. Timoth. 2. 5.) Ergo non est recurrendum ad Sanctos. Hoc enim cedit in iniuriam Christi, quasi ipsius intercessio non sufficiat, sed egeat auxilio Sanctorum.

2. R E S P O N D E O 1. Hoc argumentum æquè procedit de Sanctis huius vitæ, ac alterius. Si ergo propterea quia Christus est vnicus Mediator noster, non liceret recurrere ad Sanctos in cœlo existentes;

non

non liceret eadem ratione recurrere ad eos, qui nobiscum viuunt; quod tamen est contra aduersarios. Si autem sine vlla iniuria Christi Mediatoris possimus inuocare Sanctos nobiscum degentes, (vt reuera possumus) cur non similiter Sanctos in cœlo triumphantes? Non enim apparet, cur hoc magis sit CHRISTO iniuriosum, quam illud.

3. RESPONDEO 2. Christus dicitur vnicus Mediator noster, non quia solus est, sed quia principalis est. Et quidem quatuor ob causas est principalis. Primo, quia non tantum officio, sed etiam natura Mediator est, seu medius inter Deum & hominem, cum utriusque naturæ sit particeps. Secundo, quia nos Deo reconciliauit, non deprecando tantum, sed condignum premium & satisfactionem exhibendo. Tertio, quia hoc fecit ex propriis. Habebat enim vim illam ex se, id est, ex natura suæ personæ. Quarto, quia est Mediator omnium, quantum est ex parte ipsius. Pro omnibus enim mortuus est.

4. At Sancti sunt tantum Mediatores secundarij, quia nec ex propriis reconciliant nos Deo: nec per modum solutionis, sed deprecationis; neque respectu omnium, sed aliquorum. Recte tamen dicuntur Mediatores, quia verè intercedunt, pro nobis deprecando, & Dei dona nobis imperando. Sicut Moses dicitur sequester & medius inter Deum & populum. (Deut. 5.5.) quia scilicet pro populo ad Deum locutus est, & pactum Dei ad populum detulit.

5. Neque hæc intercessio, seu mediatio, vt ita dicam, vlo modo obscurat officium Mediatoris Christi. Primo, quia intercessio viuentium in terris non obscurat illud, vt dictum est: Ergo nec intercessio Sanctorum in cœlo existentium. Secundo, quia

sicut nos pro nobisipsis possumus orare Deum, sine iniuria Christi: sic Sancti nobiscum possunt idem praestare. Adhibentur enim quasi comprecatores, ut nostris orationibus suas adiungant. Tertio, quia omnem vim intercedendi & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Christi. Vnde potius ad honorem ipsius cedit, quod ipse sit principalis Mediator, & alij sint secundarij, qui ab ipso in omnibus dependeant. Sicut cedit ad honorem Regis, quod alij omnes, si quid recte faciunt in Republica, ipsius imperio & authoritate faciant.

X. Q V A E S T I O.

*An inuocatio Sanctorum sit signum
diffidentiae?*

1. **A**ffirmant aduersarij; Quia videmur diffidere de bonitate Dei, quando ad Sanctos confugimus, praesertim cum ipse paratus sit nos iuuare: Et hortetur nos Apostolus, ut cum fiducia ad eum accedamus. (Hebr. 4. 16.)

2. Catholici contra sentiunt. Primo, quia sicut Paulus Apostolus non diffidebat de bonitate Dei, quando petebat suffragia viuentium in terra; ita neque nos, quando petimus suffragia viuentium in celo. Secundo, quia licet Deus paratus sit nos audire, quando soli illum accedimus, tamen magis paratus est, quando cum amicis ipsius illum accedimus.

3. Et sanè in hac re imitamur exempla Scripturæ. Nam Job 42. 8. dicit Deus ad amicos Job: *Ite ad seruum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis.* Job autem seruus meus orabit pro vobis faciem eius suscipiam,

ut non vobis imputetur stultitia.

4. Item, Genes. 20.7. dicit Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *Nunc ergo redde viro suo, (id est, Abrahamo) uxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & vineas.*

5. Item, Act. 7.59. Stephanus orauit pro persecutoribus suis, inter quos erat Saulus: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et exauditus est. Vnde Augustinus serm. i. de Sanctis: Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. In his exemplis nullum est signum diffidentiae.*

X I. QVÆSTIO.

An ideo non liceat invocare Sanctos, quia non habemus de hac re præceptum diuinum?

1. **S**ic sentiunt aliqui ex aduersariis, & nominatim Sacellanus Regis Angliae in responsione ad Apologiæ Cardinalis Bellarmini. Et probant ex illo Deut. 12.32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.*

2. Sed errant. Nam multa sunt, quæ legitimè fieri possunt, & tamen à Deo præcepta non sunt. Cuiusmodi sunt hæc. 1. Seruare virginitatem. 2. Dare omnia pauperibus. 3. Sæpius quotidie flexis genibus orare. 4. Sacros Ordines suscipere. 5. Agros colere, aut mercaturam exercere.

3. Nec deest luculentum exemplum in Scriptura. Nam legimus apud Ieremiam, cap. 35. Rechabitas cum tota sua posteritate semper abstinuisse à vino, nunquam ædificasse domos, nec plantasse vineas; ideoque à Deo fuisse commendatos: Et tamen nullo præcepto diuino ad id præstandum erant obligati, sed tantum humano.

4. Illud porrò ex Deuter. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito*, non debet generatim accipi pro qua cunque re, quam facimus; sed speciatim pro sacrificio, ut sensus sit: *Quod tibi præcipio, hoc tantum offerto in sacrificium, & non aliud.* Videatur textus illius loci.

XII. QVÆSTIO.

An iuocatio Sanctorum fuerit usurpata in primitiva Ecclesia?

1. **N**Egant aduersarij: Et inter se dissentunt. Nam Philippus Melanchthon in Apologia Cōfessionis Augustanæ artic. 21 dicit veteres Scriptores ante Gregorium, nullam fecisse mentionem iuocationis Sanctorum. At Kemnitius in Examine Concilij Tridentini, sess. 22. affirmat iuocationem Sanctorum cœpisse post tempora Augustini, qui vixit ducentis ferè annis ante Gregorium. Et in eodem Examine, sess. 25. ait, authorem iuocationis B. Mariæ fuisse Petrum Gnaphæum, circa annum Christi 480.

2. Quæ omnia aperi è falsa sunt. Nam & ipse Augustinus, & alij Augustino antiquiores disertè scribunt de iuocatione Sanctorum, vt patet ex ipsorum verbis & testimoniis, quæ sequuntur.

3. Origenes in tractatu, qui inscribitur Threni seu planctus: *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari uniuersos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum prepter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei, vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordiis eius pro me misero, &c.*

4. Nectarius Constantinopolitanus oratione de S. Theodoro Martyre: *O splendor Martyrum, & decus Sancto*

Sanctorum. O verè Dei donum. O custos & inuictissime defensor fidelium, ne obliuiscaris nostra paupertatis & humilitatis; sed semper pro nobis intercedere ne te plegeat, ô vir imprimis admirande, &c.

5. Ephrem Serm.de sanctis Martyribus: *Precamur beatissimi Martyres, qui pro Domino Saluatore, proque illius charitate sponte tormenta subiistis, atque adeo familiarius Deo coniuncti estis, ut pro nobis miseris, & peccatoribus, & negligentie squalore sordentibus Dominū interpellare dignemini, ut superueniat in nos gratia Christi, que corda nostra radio sanctæ charitatis illustret, &c.*

6. Gregorius Nazianzenus oratione in Cypri-
num, in fine: *Tu verò nos ab alto propitius respice, no-
strumque sermonem ac vitam dirige, & sanctum ouile hoc
passe, aut unà rege ac reliqua, quantum possibile est, ad
meliora dispone, molestosque lupos, syllabarum & verbo-
rum venatores illos abige: ac sanctæ Trinitatis, cui nunc
astas, splendorem nobis perfectiorem & clariorem gratifi-
care, quam adoramus, quam glorificamus, &c.*

7. Item oratione in laudem Basilij Magni, in fine:
*Tu autem sacrum ac diuinum caput, ex alto nos respice,
& carnis stimulum, instructionem nostram à Deo nobis
datam, aut tuis siste precibus, aut fortiter me ferre persua-
de, tot amque vitam nobis in melius permuta, &c.*

8. Gregorius Nyssenus oratione in laudem sancti
Theodori Martyris, circa finem: *Multorum beneficiorum
indigemus: intercede ac deprecare pro patria apud
communem Regem & Dominum, &c. Timemus afflictio-
nes: expectamus pericula: non longè absunt scelesti Scythæ,
bellum aduersum nos parturiētes. Ut miles, propugna pro
nobis: Ut Martyr, pro conservis utere libertate loquendi,
&c. Pete pacem, ut hi publici conuentus non desinant: ne
debacchetur atque grasseatur aduersus templia altaria ve-*

rabiosus ac sceleratus barbarus: ne conculceret sancta profanans & impius. Nos enim etiam quod incolumes & integri conseruati sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis praesidium atque securitatem. Quod si maiori etiam opus fuerit aduocatio-ne ac deprecatione, fratrum tuorum Martyrum coge cho-rum, & cum omnibus in tua deprecare. Multorum insto-rum preces, multitudinum ac populorum peccata luant. Admone Petrum, excita Paulum, &c.

9. Ambrosius in libro de Viduis, circa medium: Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidiū dari sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerint peccata, lauerunt. Iste enim sunt Dei Martyres, nostri praesules, speculatores vita, actuūque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostra infirmitatis adhibere, &c.

10. Hieronymus epist. 27. ad Eustochium Virginem de Epitaphio Paulæ matris, cap. 14. Vale, ô Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuua. Fides & operatua Christo te sociant: præsens facilius, quod postulas, impetrabis.

11. Chrysostomus homil. 26. in epistolam poste-riorem ad Corinthios, non longè à fine: Quin sepul-chra seruorum Crucifixi regiis aulis sunt splendidiora, nō ædificiorum amplitudine ac splendore, sed quod multo amplius est, conuenientium studio. Nam & ipse ille purpura induitus, peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu posito, consistit, Sanctos rogans, ut sibi apud Dñm patrocinentur: Et tabernaculorum artificem (id est, Paulum Apostolum) ac pisca-torem (Petrum) patronos etiam mortuos precatur, ipse diadema gestans. Audebisne igitur,

igitur, dic quæso, horum Dominum dicere mortuum, cuius famuli etiam mortui, huius mundi Regum sunt Patroni? Atque id cernat quis non Romæ tantum fieri, sed etiam Constantinopoli.

12. Hi omnes Patres Augustino antiquiores sunt. Vnde constat aduersarios vel mentiri, vel ut minimū errare, cùm aiunt, Inuocationem Sanctorum cœpisse post Augustinum. Iam verò, quid ipse August. sentiat. notissimū est. Nam in lib. Meditationum c. 2 4. sic scribit: *Fœlices Sancti Dei omnes, qui iam pertransiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistiſtis ad portū perpetuæ quietis, securitatis & pacis: securi & tranquilli, semperque festiui atque gaudentes: Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estoſte de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estoſte de nostra multipli miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satia- mini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis. Estoſte iugiter me- mores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in fallo hu- ius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Et paulo post: Intercedite, orate constanter atque indeſinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus.*

13. Et ibidem c. 40. *Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & Mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum. S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphaël, Sancti Chori Angelorum atque Archangelorū, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum, omniumque iustorum: per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare presumo, ut pro me culpabili, ipsi Deo supplicare dignemini, &c.*

14. Et lib. 7. de Baptismo contra Donatistas c. 1. inuocat Sanctum Cyprianum, his verbis: *Adiuuet itaque nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona eius imitemur.* Et lib. 22. de Circuitate Dei cap. 8. refert miracula, quibus Sanctorum inuocatio confirmata est. Hæc legant aduersarij, & intelligent se in errore versari.

XIII. QVÆSTIO.

An S. Georgius, S. Christophorus, S. Hippolytus, S. Catharina (qui inuocantur à Catholicis) existierint aliquando in rerum natura?

1. **A** Liqui ex aduersarijs negant vnquam exstitisse. Et quidem Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanae art. 21. de S. Christophoro sic scribit: *Christophorum pinxit aliquis vir prudens, ut significaret per allegoriam, magnum oportere robur animi esse in his, qui ferrent Christum, id est, qui docerent Euangelium, aut confiterentur, quia necesse sit subire maxima pericula.* Deinde stolidi Monachi apud populum docuerunt inuocare Christophorum, quasi talis Polypheus aliquando exstisset.

2. Et Caluinus lib. 3. Inst. c. 20. §. 27. Georgium & Hippolytum appellat laruas. Et Raynoldus Caluinius lib. 1. de Roman. idol. ait, illos, sicut & Christophorum ac Catharinam, vocari laruas à Calui- no, eò quod nunquam exstiterint in rerum natura. Similia habent Kemnitius in 3. parte Examinis, Franciscus Gomatus, & alij recentiores.

3. Ratio ipsorum est, quia multa scribuntur de Georgio, Christophoro, Hippolyto & Catharina, quæ ficta, fabulosa & apocrypha sunt. Quæ sanè ratio nulla est. Nam multa etiam fabulosa scripta sunt de Anchise, Ænea, Hectore: Multa etiā de Lutherō & Caluino, quæ Lutherani & Caluinistæ figmenta esse contendunt. An hinc liceat inferre, Anchisem, Æneam, Hectorem, Lutherum & Caluinum, nunquam extitisse in rerum natura? Nullo modo.

4. Aliud est non extitisse Sanctos illos, de quibus agimus: aliud, historias quasdā, quæ de ipsis scriptæ sunt, apocryphas & incertas esse. Hoc posterius concessero, non illud prius. Sicut Gelasius Papa apud Gratianum (c. Sancta Romana. distinct. 15.) concedit Librum de infantia Saluatoris, Itinerarium Petri Apostoli, Euangeliū Thadæi, & similia scripta, quæ ibi recenset, esse apocrypha: non tamen concedit Salvatorem, Petrum & Thadæum, nunquam extitisse in rerum natura. Hæc generatim dicta sint. Nunc de singulis seorsim agam, cum nostro SERARIO.

De Sancto Georgio.

Sicut non aliunde probari potest, Constantinum, Arcadium & Honorium Imperatores aliquando in rerum natura fuisse, nisi ex probatis authoribus, qui id testantur; sic etiam de nostris Sanctis statuendum est. Sunt autem & plurimi, & probatissimi autores, qui testantur S. Georgium aliquando extitisse.

1. Græci in suo Martyrologio, ubi eum μεγαλομάρτυρα καὶ τριπλασίον, id est, magnum Martyrem & quasi antesignanum appellant.

2. Æthiopes in Missa, vbi vocatur *Sydis honoris*,
seu *Stella splendida*.
3. Latini in Martyrologijs, Missalibus, & Ritua-
libus omnib's.

4. Vrbs Diospolis s. u Lydda, vbi Martyrio af-
fectus est. Nam ibi exstat Templum S. Georgij, vt
constat ex Gulielmo Tyrio lib. 7. belli sacri.

5. Iustinianus Imperator, qui in honorem S. Geor-
gij Basilicam ædificauit, teste Procopio lib. 1. ædific.
Iustiniani.

5. Manuel Commenus, qui in Orientali Eccle-
sia Festum S. Georgij obseruari voluit, vt patet ex
quadam ipsius Constitutione, quæ sic habet, Feriatus
est 23. Aprilis, quippe quia tum magnificus *Martyr Georgius* honoretur.

7. Sidonius Episcopus Moguntinus, qui eidem
S. Georgio templum erexit, quod sœpe visitaui. De
quo Venantius Fortunatus libro 1. Epigram. 13. sic
canit :

*Martyris egregij pollens micat aula Georgi,
Cuius in hunc mundum spargitur altus honor.
Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis,
Confessus Christum, duxit ad astra caput.
Qui virtute potens, Orientis in arce sepultus,
Ecce sub occiduo cardine præbet opem.*

*Ergo memento preces & reddere dona viator:
Obtinet hic meritis quod petit alma fides.*

*Condidit Antistes Sidonius ista decenter,
Proficiant animæ, que noua templa, sue.*

8. Gelasius Papa loco supra citato, vbi tametsi
narrationem quandam de S. Georgio dicat esse apo-
crypham & incertam; tamen ipsum Georgium reci-
pit in numerum Martyrum.

9. S. Gregorius Magnus lib. 9. epist. 68. ad Marianum Abbatem expressè scribit se velle, ut Ecclesia S. Georgij restauretur.

10. Gregorius Turonensis in lib. de gloria Martyrum, c. 101. agit de Reliquijs & miraculis S. Georgij.

11. Basilius Magnus in Liturgia orat Deum per intercessionem tum aliorum Sanctorū, tum etiam S. Georgij, ut patet ex Arabico exemplari Iosephi Scaligeri, quod à Victorio Sialach Latinè conuersum est.

12. S. Germanus, Ierosolymam profectus, accepit brachium S. Georgij à Iustina Imperatrice, & cum magna veneratione Parisios detulit, teste Aimoño lib. 2. de gestis Francorum, cap. 20. & libro 3. cap. 9.

13. Zacharias Pontifex inuenit caput S. Georgij cum inscriptione nominis, & in Templo eiusdem Martyris reposuit, ut patet ex vitis Pontificum.

14. S. Anno exstruxit templum in honorem S. Georgij, quod adhuc Coloniae Agrippinæ celeberrimum visitur.

15. Nicephorus Imperator implorauit opem S. Georgij, & victoriam in bello obtinuit, teste Cedreno in Compendio historiarum.

16. Idem fecit Chunibertus Francorum Rex, apud Paulum Diaconum lib. 6. de gestis Longobardorum, c. 5. Et Edoüardus tertius Anglorum Rex, & alij plures. Vide Nicephorum lib. 7. cap. 15. Baronium Tom. 7. Annal. Serarium in Litaneuticis, libro secundo, quæst. 20.

De S. Christophoro.

ADuersarij tria obiiciunt contra hunc Sanctum. Primo, quod nomen Christophori non sit proprium

prium, sed appellatiuum. Secundo, quod historia ipsius non sit certa. Tertio, quod pingatur instar alicuius Gigantis. Vnde Daniel Chaimerus Caluinista in Epistolis Iesuiti. is, pag. 46. *Quis, inquit, posset Christophorum negare portentum esse?* Et Melanchthon loco supra citato, itemque Chyträus in Onomastico, per Iudibrium vocant illum Polyphemum.

Sed multo, & antiquiores, & meliores Authores defendunt S. Christophorum contra huiusmodi obträchtantium dicacitatem.

1. Sanctus Eulogius in Martyrio alterius cuiusdam Christophori, à Saracenis interfecti.

2. Sanctus Gregorius Magnus lib. 8. Epist. 33.

3. Beda, Ado, & Usuardus in Martyrologio, die 25. Iulij.

4. Martyrologium Romanum, in quo sic legimus: *In Lycia S. Christophori Martyris, qui sub Decio ferreis virginis attritus, & à flammæ estuantis incendio Christi virtute sanatus, ad ultimum sagittarum ictibus confosus, Martyrium capitis obtruncatione compleuit.*

5. Græci in Menologio, ad diem 7. Idus Maias.

6. Ecclesia Hispanica. Nam Cordubæ fuit Templum & Monasterium S. Christophori.

7. Ruggerus Fuldensis, ex quo Vicelius scripsit Epitomen vitæ S. Christophori in suo Hagioglio.

8. Antiqua Ludouici Imperatoris Litania, quæ adhuc exstat Francofurti in Archiuo S. Bartholomæi.

9. Petrus Damianus scripsit pulchrum Sermonem de S. Christophoro, qui est serm. 34. in 2. Tom.

Nec obstanta argumenta contraria. Primo, quia multa sunt nomina appellatiua, quæ tanquam propria vulgo usurpantur, ut Christophorus, Christianus, Theophilus, Philippus, Philæ mon.

Secundo,

Secundo, tametsi quædam in historia S. Christophori sint incerta, non ideo negandum est, S. Christophorum aliquando fuisse in rerum natura. Nam multa etiam incerta sunt in historiis aliorum Sanctorum, quos propterea tamen non reiicimus.

Tertiò, de pictura S. Christophori, itemque de statuta, gigantea scribunt Baronius in Martyrologio, Hieronymus Vida in Hymnis, Ioannes Molanus de picturis cap. 23. & alij. Ac certum est, multos etiam hoc tempore esse gigantes, ac proinde fieri potuisse, ut & Sanctus Chrystoporus in gigantea fuerit mole ac quantitate. Incertum tamen, an re ipsa fuerit.

De S. Hippolyto.

I. NOs agnoscimus tres Sanctos Hippolitos. Primum Antiochenum Presbyterum, de quo in Martyrologiis die 29. Ianuarij. Alterum Portuensem Episcopum, de quo die 22. Augusti. Tertium, qui pingitur ab equis distractus, ideoque & nomine & re Hippolitus est. Hunc tertium negant aduersarij. Sed multi pro illo sunt testes.

1. Prudentius in libro de coronis, vbi inter cætera de hoc Hippolyto iam equis alligato, sic scribit:
Ultima vox audita vi i venerabilis hæc est:

Hirapiant artus, tu rape Christe animam,

2. Beda, Vsuardus, & Ado in Martyrologiis.

3. Martyrologium Romanum.

Obiiciunt aduersarij, fuisse apud gentiles quendam Hippolytum Thesei filium, quem Ouidius in Metamorphosi, & Euripides in Phædra, scribunt ab equis dilaceratum esse. Sed hoc non obstat, quo minus apud Christianos etiam fuerit aliis Hippolytus, qui eodem genere mortis affectus sit. Imo gentilis ille, pu-

tatur fuisse occasio, cur noster Christianus simili casu
nificinæ ab Ethnico tyrannico adiudicaretur, ut refert
Prudentius loco citato, his versibus:
Ille supernatâ residens ceruice, quis, inquit.

Divitum: affirmant dicier Hippolytum.

Ergo sit Hippolitus: qualia turbetque ingales.

Interea que feris dilaceratus equis.

De S. Catharina.

ET hanc reiiciunt aduersarij. Et quidem Daniel Chamierus: *Quæ, inquit, quæso illa est Catharina, nisi idolum fictum ad instar ethnicae Palladis?* Sed illam agnoscunt & prædicant, qui sequuntur.

1. Græci in Menologio, die 24. Nouemb.

2. Latini in Martyrologio Romano.

3. Euthymius in Psal. 44. Explicans illum versum: *Delectauerunt te filiae Regum,* sic addit: *Qualis fuit sanctissima Catharina.*

4. Sanctus Paulus Eleanus, ut patet ex ipsius vita apud Baronium Tom. 10. Annalium.

5. S. Bonaventura in serm. de S. Catharina,

6. S. Anthonius in hist. part. 1. tit. 8. cap. 1.

7. Sepulchrum S. Catharinæ, quod etiam nunc visitatur in monte Sinai.

8. Templum ibi constructum: sicut & alia in aliis locis, quam plurima.

9. Monachi, qui assidue in illo monte Deum laudant, & S. Catharinam colunt.

10. Dies festus qui in ipsius honorem toto Orbe celebratur.

11. Academiæ, quæ illam studiosorum patronam elegerunt.

12. Sigilla, quibus Academiæ multis in locis vntutur.

13. Reli-

13. Reliquiae & miracula, de quibus Thomas Cantipratensis lib.2.cap.59. Cæsarius l.7.c.22. & lib.8.cap.8. & 9.

Hæc totius Christiani Orbis testimonia pluris valere debent apud prudentem Lectorem, quam paticorum hominum, qui nuper exorti sunt contradicendi studium & arrogantia. Plura videantur apud Serarium loco citato,

E 2 - A S S E R



ASSERTIONES
D E V O C A T I O N E
M I N I S T R O R V M E C C L E S I A E
V E T E R I S E T N O V I
T e s t a m e n t i ,

*Authore, eodem R. P. MARTINO
BECANO.*

A S S E R T I O I .

POpulus Dei, tam in veteri, quam in nouo Testamento, duobus modis regi ac gubernari solet. Primo, in rebus politicis quæ ad externam Reip. pacem & tranquillitatem spectant. Hoc fit per reges, Principes, & alios Magistratus seculares. Secundo, in rebus fidei ac religionis, quæ salute in animæ non concernant. Hoc fit per Ministros Ecclesiæ, de quibus nunc agimus.

I I .

In utroque gubernandi genere, necessaria est legitima vocatio. Nam neque Reges & Principes seculares possunt usurpare regimen temporale, neque Ministri Ecclesiæ, Ecclesiasticum, nisi legitimo titulo ad hoc officium deputati & admissi sint. Et, si aliter faciant, priores quidem appellantur Tyranni: posteriores vero, fures & latrones, iuxta illud Christi, Ioann. 10. v. 1. *Qui non intrat per ostium in ouile omium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.*

Hoc

III.

Hoc loco, relicta Regum ac Principum sæcularium vocatione, tantum agam de Vocatione Ministrorum Ecclesiæ, de qua Scriptura sic loquitur. Heb. 5.v.4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, itaquam Aaron. Et Romanorū 10.v. 15. Quonodo vero predicabunt, nisi mittantur? Et Ieremiac 23.v.21. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & prophetabant.*

IV.

Agam autem hoc ordine. 1. De ordinaria & extraordinaria Vocatione Ministrorum Ecclesiæ veteris Testamenti. 2. de ordinaria & extraordinaria Vocatione Ministrorum Ecclesiæ noui testamenti. 3. Quod Ministri Lutherani & Caluiniani, nec ordinaria, nec extraordinaria Vocatione legitimè vocati sint; ac proinde quod qui illos audiunt, patiantur se decipi.

*De ordinaria Vocatione Ministrorum veteris
Testamenti,*

V.

DVplex solet distingui Vocatio. Vna ordinaria, quæ sit à Deo, mediante consensu & cooperazione eorum hominū, quorum interest: quo pacto Parochus vocatur ex cōsensu Episcopi: Episcopus ex consensu Pontificis; Pontifex ex consensu Cardinalium. Altera extraordinaria: quæ immedieate fit à solo Deo: quo pacto vocati sunt Moses, Prophetæ, Apostoli.

VI.

Igitur in veteri Testamento Ministri Ecclesiæ, qui ordinariè vocabantur, erant triplices. 1. Pontifex

fex, seu suminus sacerdos. 2. Alij Sacerdotes inferiores. 3. Leuitæ. Omnes de tribu Levi, quæ speciatim cultui diuino erat destinata. Nu. 3. v. 1. & 2. cap. 8. v. 13.

VII.

In illorum Vocatione multa spectari possunt. 1. Electio seu designatio certæ personæ. 2. Purificatio præcedens consecrationem. 3. Ipsa consecratio. 4. Applicatio ad usum ministerij. 5. Potestas & officium ministerij.

VIII.

Electio seu designatio personæ fiebat per hæreditariam successionem. Nam filij succedebant parentibus: quo pacto Aaroni successit Eleazar; Eleazar o Phinees, & sic deinceps. (Ecclesiast. 45. v. 7.)

IX.

In purificatione seruabantur ritus à Deo præscripti. Cuiusmodi erant hi. 1. Aspersio aquæ lustralis. 2. Rasio pilorum. 3. Lotio corporis & vestium. 4. oblatia sacrificij pro peccato. (Nume. 8. v. 6. & Exod. 29. v. 4.)

X.

Post purificationem sequebatur consecratio. Et quidem Leuitæ consecrabatur hoc modo. 1. separabantur de medio filiorum Israël. 2. Pontifex offerebat illos Deo in ministerium Tabernaculi, & pro illis orabat, ut bene fungerentur suo officio. (Nu. 8. v. 9.) Cum hoc modo iam essent consecrati, applicabantur ad usum ministerij, eo ipso, quod intromitterentur in Tabernaculum fœderis Domini. (Nu. 8. v. 22.)

XI.

Pontificis autem & Sacerdotum consecratio perficiebatur. 1. hoc modo. 1. post lotionem, Pontifex ornatii Pontificali, & Sacerdotes Sacerdotali inducebantur. (Exodi 29. vers. 4.) Deinde Pontifex vngebatur oleo unctionis

Anunctionis in capite; non item sacerdotes. (Exodi 29. v. 7.) Tertio, tam Pontifex, quam Sacerdotes in extremo auriculae dextræ, & similiter in pollici manus ac pedis dextri, tingebantur sanguine arietis immolati. (Exodi 29. v. 20.) Quarto, non solum Pontifex & Sacerdotes, sed etiam vestes eorum, sanguine arietis, & oleo unctionis aspergebantur. (Ibidem, v. 21.) Denique, multa ex canistro panum, & ex ariete immolato, dabantur illis in manus, ut ea leuarent coram Domino. Quo signo, non solum dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad usum ministerij, quod potissimum consistebat in sacrificando. (Ibidem v. 22. & seq.)

XII.

Cæterum, ut maiot esset solennitas huius actionis, triplex in ea sacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hostiam pro peccato. 2. Aries in holocaustum. 3. Aries alter in hostiam pacificā. (Exodi 29. v. 1; & Leuit. 9. v. 2.)

XIII.

Cur vero tot ceremoniæ adhibitæ fuerint in consecratione Pontificis & Sacerdotum, tres causæ assignari possunt. Una ex parte officij Sacerdotalis. Altera ex parte Pontificis & sacerdotum. Tertia ex parte populi seu subditorum.

XIV.

Igitur prima causa est, quia Deus, tot ritibus ac solemnitatibus, voluit ostendere præstantiam, dignitatem & sanctitatem officij Sacerdotalis. Et quod nemo ad officium tam sanctum ac diuinum deberet accedere, nisi prius speciatim à Deo electus, & publicè coram populo in hunc finem esset consecratus. Hinc grauisimè puniti sunt, qui ingesserunt se in officium Sacerdotale, cum non essent consecrati. Exemplum habe-

mus in Chore, Ieroboam, & Ozia. Chore viuus à terra
absortus est. (Num. 16. v. 31.) Ieroboamo manus reper-
te exaruit, (3. Reg. 13. v. 4.) Ozias lepra percussus est.
(2. Paralip. 26. v. 19.)

X V.

Altera causa est, vt ipsi met Pontifices & Sacerdotes
ex illis ritibus ac ceremoniis caperent duplice m
utilatem. Primo quidem, vt meminissent se debere esse
sanctos, & puros coram Domino, qui ad tam san-
ctum & purum ministerium electi à Deo & consecra-
ti essent. Deinde, vt in aduersitatibus & periculis, quæ
sæpe occurruunt in tali officio, possent seipso solari &
erigere. Nam sicut illi qui præfunt aliis in rebus tépo-
ralibus, sæpe vel à suis subditis, vel ab hostibus affli-
guntur; sic multo magis contingit illis, qui in cura
animatorum principatum tenent.

X VI.

Hoc in veteri testamento experti sunt Aaron, Za-
charias, Azarias, Et in novo, Apostoli. Matth. 10. v. 16.
Ecce ego mitto vos siue oves in medio luporum. Et Ioan. 16.
v. 2. *Venit hora ut omnis qui interficiet vos, arbitretur obse-
quium se præstare Deo.* Et nominatim S. Paulus. 2. Cor 22.
v. 23 *In laboribus plurimi, in carcerebus abundantius, in pla-
gis supra modum, in mortibus frequenter. Ter uirgis casus sum,
semel lapidatus sum ter naufragium feci, &c.*

X VII.

Cum etgo huiusmodi viri, tot miseriis expositi sint,
necessè est, vt habeant aliquid, quo se solentur, ne one-
ri succumbant. Id in veteri testamento factum est per
solennes ritus ac ceremonias, quibus Sacerdotes &
Pontifices ex mandato Dei consecrabantur. Nam inde
certò illis constabat, se à Deo speciatim electos ac de-
signatos esse, vt in tali officio Deo ministrarent, ac
proinde

proinde, ut omnia aduersa, quæ tali officio annexa es-
sent, libenti ac forti animo sustinerent. Ex quo ulterius facile sibi persuadebant, quidquid ratione Voca-
tionis acerbum ac molestum eueniret, non nisi in bonum exitum, diuina ordinatione, cessurum.

XVIII.

Tertia causa est, ut etiam subditi ex tali ceremoniarum solennitate fructum aliquem perciperent. Qui quidem fructus erat duplex. Alter, quod ex publica consecratione certò agnoscerent suos Pastores, quibus ipsorum salus commissa esset. Alter, quod scirent, quantum honorem & reuerentiam, propter sanctitatem officij, præstare illis oporteret.

XIX.

Nunc venio ad officium & potestatem Ministerum. Pontifex habebat quædam officia communia cum aliis Sacerdotibus: quædam sibi propria ac pecunioria. Communia erant hæc decem.

Primum offerre victimas seu sacrificia super altare holocausti. (Leuit. 1. v. 2. & 3.)

Secundum, in eodem altari, in usum sacrificiorum, alere seu nutrire perpetuum ignem, subiiciendo illi quotidie ligna. (Leu. 6. v. 12.)

Tertium, bis quotidie, nempe mane & vespere, ponere & adolere incensum super altare thymiamatis. (Exodi 30. v. 1. Erant enim duo altaria legitima: Vnum holocausti, in quo victimæ, seu sacrificia offerebatur. Alterum thymiamatis, in quo aromata suavissimi odoris incendebantur. Hoc aureum: illud æreum.

Quartum, bis quotidie, affuso oleo olivarum, concinnare lucernas, quæ erant in candelabro aureo, iuxta altare thymiamatis. (Exodi 25. v. 27. & Leuit. 24. v. 2.)

74 DE VOCATIONE MINISTRORUM

Quintum, singulis Sabbatis duodecim panes calidos ponere super mensam propositionis, & veteres inde remouere ac comedere (Exodi 25. v. 23. & Leuit. 24. v. 5.)

Sextum immolare vaccam rufam extra castra. (Nu. 19. v. 3.) Ex cineribus huius vaccæ fiebat aqua lustrationis, seu expiationis.

Septimum, adiurare mulieres in casu Zelotypiæ, (Num. 5. v. 11.) vbi etiam describitur ritus adiurandi.

Octauum, discernere inter leprā & lepram, (Leuit. 13. per totum, & Deut. 17. v. 8. Priori loco continetur modus discernendi.

Nonum, expiare seu mundare leprosos, puerperas, menstruosas, & seminifluos. (Leuit. 12. & seq.)

Decimum, Legem Dei scire, interpretari; & alios docere. (Aggæi 2. v. 12. & Malachiæ 2. v. 7.) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.*

X X.

Propria erant hæc quatuor. Primum, semel in anno nimirum in solenni die expiationis, seu propitiacionis, introite in Sanctuarium, seu in Sancta Sanctorum, (Heb. 9. v. 7. Et instituere publicam expiationem totius populi ab omnibus peccatis & immunditiis toto anno contraëis. (Leuitici 19. per totum.)

X X I.

Vbi notandum est, duplēcēm fuisse expiationēm in veteri testamento. Una priuatam & particularem, quia vel leprosi, vel puerperæ, vel alij, qui haberent aliquam immunditiam legalem, expiari solent. Alteram publicam & vniuersalem, qua tota multitudo seu Ecclesia Israëlitarum mundabatur.

Prior fiebat sèpè in anno: posterior de qua hic agimus, semel duntaxat. Prior à quo quis sacerdote: posterior

tior à solo Pontifice. Prior extra Sanctuarium, posterior partim in Sanctuario, partim extra.

Fiebat autem hoc ritu. Primo, totus populus eo die cessabat ab omni opere seruili, & ieunabat usque ad vesperam. 2. Pontifex lauabat se aqua, & induebat vestes Pontificales. 3. Antequam inciperet publicam expiationem, præmittebat tres alias, quæ tamen publicæ subseruiebant. Unam sui ipsius & familiæ suæ, oblatione vituli pro peccato, & arietis in holocaustum. Alteram Tabernaculi & sanctuarij, partim vapore seu nebula accensorum aromatum; partim septena aspersione sanguinis ex immolato vitulo & hirco. Tertiam altaris thymiatis, sola aspersione sanguinis.

XXII.

His peractis, sequebatur publica expiatio, hoc modo: Pontifex, qui ab initio miserat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter viuus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu multitudinis, & posita utraque manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates & peccata filiorum Israël, eaque capiti astantis Hirci imprecabatur; & sic mittebat eum in desertum, quasi auferentem & portantem peccata totius populi. Vnde Hircis seu caper Emissarius dictus est. Hæc omnia prolixè habentur Leuit. 16.

Secundum officium Pontificis erat, consecrare Leuitas & Sacerdotes, iuxta eum ritum, qui describitur Exodi 29. Lenit. 8. & Num. 8. De quo ritu superiorius actum est.

Tertium, in controversiis legalibus agere supremū Iudicem, & pronunciare ultimam sententiam, cui omnes sub pœna mortis tenebatur obedire & acquiescere,

(Deut.

Quartum,in rebus gerendis,quæ maioris momenti essent,consulere Deum,& ab eo responsum accipere. Hoc officium distinguitur à præcedenti. Nam aliud est , interpretari legem , & ex eius interpretari legem , & ex eius interpretatione controversias legales dirimere:Aliud verò, sciscitari à Deo , an hoc vel illud negotium suscipiendum sit : de quo hic agimus.

XXIII.

Igitur in V. T. si quando circa res agendas aliqua dubitatio maioris momenti oriebatur , recurrentum erat ad Pontificem,qui consulebat Deum , & accepto ab eo responso , docebat alios quid faciendum esset. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Vna eorum,qui volebant rem aliquam maioris momenti aggredi. Nam antequam hoc facerent, tenebantur accedere Pontificem , & ab eo consilium petere. Altera Pontificis,qui debebat rem illam Deo proponere , & ab eo sciscitari,recténe,an secus suscipi posset. (Num. 27.v.21.)

XXIV.

Sic Dauid Rex,cum intellexisset insidias sibi parati à Saule , accessit Abiathar Pontificem , & per eum quæsiuit à Deo , an tutò posset morari in vrbe Ceila? Et,an ciues Ceilitæ essent eum tradituri Sauli?(1.Reg. 23.v.9.)

Idem Dauid alio tempore,per eundem Pontificem consuluit Deum,an deberet persequi Amalecitas, qui spoliauerant & succenderant oppidum Siceleg. (1. Reg.30.v.6.)

Quod autem Dauidi familiare fuerit , hoc modo Deum interrogare,patet 1.Regum 22.v.15. vbi Achimelech

melech Pontifex accusatus apud Saulem , quod Dauidi adhæreret, & pro eo Dominum consuluisse, respondit Regi: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* Q. D. Sæpe ante hæc tempora id feci. Nihil noui facio.

XXV.

Aliis porro , qui negligebant consulere Deum per Pontificem, male succedebat. Ac primo, Iosue & alij Principes filiorum Israël , decepti sunt à Gabaonitis, eò quod fœdus cum illis pacti essent, non consulto prius Deo. Iosue 9. v. 14.

Secundò, Saul elatus victoria, & præfusus suis viribus, cum vellet, in consulto Deo, Philistæos persequi, monitus à Pontifice est, ne id faceret. Et cum postea consuluisse Deum , nullum responsum ab eo impetravit. Itaque non potuit vti victoria, sicut animo destinauerat. (I. Reg. 14. v. 36.)

Tertio, filij Israël pugnaturi cum Benjamitis, consuluerunt quidem Deum per Pontificem , sed tamen, quia magis confidebant suis copiis, quam Dei oraculo , multi ex iis cæsi ac fugati sunt. (Iudicum 20. v. 22.)

XXVI.

Quæres, quomodo vel ritu solitus sit Pontifex consulere Deum in huiusmodi casibus? Respondeo. Aliter Moses , qui erat extraordinarius Pontifex , aliter alij, qui erant ordinarij, soliti sunt id facere. Moses ingressus Tabernaculum fœderis , facie ad faciem cum Deo loquebatur , sicut solet homo cum amico loqui. (Exodi 33. v. 11.) Alij Pontifices , qui postea secuti sunt, induiti Ephod , loquebantur cum Deo , non quidem facie ad faciem , sed aliquo alio peculiari modo , qui tamen apud Scriptores & Interpretes non satis compertus est.

De extraordinaria Vocatione Ministerorum veteris
Testamenti.

XXVII.

Extraordinariè vocabantur illi ut dixi, qui à solo Deo, sine ministerio aliorum hominum vocabantur: quo pacto vocati sunt Moses ad officium Pontificale; Helias & alij Prophetæ ad docendum & arguendum populum.

Hæc Vocatio, quia fiebat à solo Deo, debebat ita fieri, ut populo euidéter cōstaret, talem vel talem Propheṭā docendi causa, ad se m̄issum à Deo esse Ideoque; nescire erat, huiusmodi Vocationem aliquo euidenti signo, vel miraculo authenticè comprobari. Quod semper etiam factum est.

XXVIII.

Et quidem de Missione Mosis sic loquitur Scriptura, Exodi 3. & 4. Moses pascebatur oves, & apparuit ei Dominus in flamma ignis, & ait: *Veni, & mittam te ad Pharonem, ut educas filios Israel de Aegypto.* Respondens autem Moses, ait *Non credent mihi, neque audient vocem meam. sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Dixit ergo ad eum: *Quid est, quod tenes in manu tua?* Respondit: *Virga:* Dixitque Dominus: *Proice eam in terram.* Proiecit, & versa est in Colubrum. Dixitque Dominus: *Extende manum tuam & apprehende caudam eius;* Extendit & tenuit, versaque est in virgam. Vi credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum vestrum. Dixitque Dominus rursum: *Mitte manum tuam in sinum tuum.* Quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar niuis. Retrahe ait manum tuam: Retraxit & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non credidis

crediderint inquit tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aida, & quidquid hauseris de flumine, vertetur in sanguinem, &c.

XXIX.

Ex his verbis perspicuum est, Missionem quae immediatè à solo Deo fit, per se non sufficere, nec acceptari à populo, nisi evidenti miraculo, vel etiam pluribus, si opus est, à Deo confirmata sit.

Hæc autem confirmatio ex dupli causa necessaria est. Primo ex parte eius, qui mittitur. Si enim afferat quidam, à Deo se missum esse, sed tamen probare non possit, tanquam impostor repelletur. Secundo, ex parte eorum, ad quos mittitur. Nam & illi, si prudenter rem estimant, non temere credent à Deo missum esse, nisi probati id possit. Et, si deficiat probatio, non aliqui, quām Seductoris loco hominem habituri sunt. Hoc significauit Moses cum dixit: *Non credent mihi, neque audient vocē meā, sed dicent; Non apparuit tibi Dominus.*

XXX.

Idem solet contingere in missione humana. Nam si Imperator mittat aliquē Moguntiam aut Coloniā, ut Commissarium agat, non audebit comparere, nec si compareret, acceptabitur, nisi exhibeat authenticum testimonium, quo doceat, autoritate Imperatoria se missum esse.

XXXI.

Quod dixi de Mose, de aliis quoque Prophetis dicendum est: Omnes suam missionem miraculis apud populum confirmarunt. Et qui id facere potuerunt, pro legitimis Dei Ministris habiti sunt: qui secus, tanquam impostores reieci.

Multæ

Multa eius rei extant exempla. Ex iis pauca accipere. Tempore Achab Regis, fuit dissertatio inter He liam & Prophetas Baal. Tam hi, quam ille, legitimè se missos affirmabant. Quo cumentu? Helias, conuocato vniuerso populo, qui in viramque partem claudicabat, non alio argumento usus est, quam quod diceret, se suam missionem euidenti miraculo comprobare posse: Prophetas Baal non posse.

Quod etiam factum est hoc modo. Duo boues in frusta concisi, & super ligna positi sunt in holocaustum: alter pro Helia, alter pro Prophetis Baal. Hi inuocato nomine Deorum suorum, non potuerunt de cœlo impetrare ignem, quo holocaustum consumetur. Helias, inuocato Deo Israël, impetravit. Itaque holocaustum ab eo positum, igne de cœlo misso, consumptum est.

Quo miraculo permotus populus, imperfectis Prophetis Baal, velut impostoribus, Heliam tanquam à Deo missum acceptauit. (3. Reg. 18. v. 20.) Auxerunt fidem & alia miracula, quæ ab eo patrata sunt.

X X X I I.

Heliam secutus est Helisæus: qui & ipse variis miraculis autoritatem sibi astruxit. Porro reliqui Prophetæ, qui de venturo Christo vaticinati sunt, sua quoque vaticinia euidenter comprobarunt. De quibus Rupertus in Prologo in Oseam sic scribit: Cum Prophetæ mitterentur ad prænunciandum de longinquῳ Christi aduentum simul etiam de propinquῳ datum vel iniunctum est illis, prophetare illud, in quo citius veraces comprobari possent, scilicet immineniem ab Assyriis Israëli captiuitatem: itēq; instantem Iude quoque Babylonis transmigrationē: & præterea, nonnulla etiā minora, quæ literis eorū legimus inseria. Cum igitur citò cuemisset captiuitas seu transmigratio illa, sicut per illos

illo: veritas prophetica predixerat, p' am constitit, quod vera-
iter fuissent locuti in nomine Domini, & quod Dominus
misisset eos. Atque ita completa propheta pars, illud quoque
quod reliquum vel maximum erat de promissione & aduentu
Messiae, verum fore conuincebat.

XXXII.

Similia habet Hieronymus in cap. 37. Isaiae, super
illa verba: *Tibi autem hoc erit signum: vbi sic ait: Idcirco vel
maxime Prophetæ apud populum, sermonum suorum habe-
bant fidem, quia non solum de his post secula futura erant, sed
etiam quæ incontinenti, & post non grande temporis spaciū
essent implenda, memorabant; ut quod intra biennium & Rex
Assyrius interiret, & urbi Hierusalem securitas redderetur.*
Vide eundem in c.7. Amos in principio, & Chrysost.
hom. 11. in Matth. Atque hæc sufficiente de Vocatione
Ministrorum veteris Testamenti.

*De Vocatione Ministrorum Ecclesiæ noui Testamenti:
Ac primum de Ordinaria.*

XXXIV.

Ministri Ecclesiæ Ecclesiæ noui Testamenti, gene-
rali nomine vocantur Clerici. Eorum varia sunt
genera. 1. Episcopi, inter quos eminent Pontifex. 2. Pres-
byteri seu Sacerdotes, non Episcopi. 3. Diaconi. 4. Sub-
diaconi. 5. reliqui inferiores, ut Acoluthi, Exorcistæ,
Lectores, Ostiarij. -

Nos hic potissimum agimus de Episcopis, Presby-
teris & Diaconis, quorum aperta fit mentio in scriptis
Apostolorum. Igitur, quod ad Ordinariam eorum Vo-
cationem attinet, eadem ferè spectari in ea possunt,
quæ in Vocatione Ministrorum veteris Testamenti. 1.

Electio, seu designatio certæ personæ. 1. purificatio. 2. consecratio seu ordinatio. 4. applicatio ad usum ministerij, quam nos in nouo Testamento Missionem appellamus. 5. potestas & officium.

XXXV.

Et quidem Electio seu designatio certæ personæ ad ministerium Ecclesiasticum, non sit in Ecclesia Christi per naturalem propagationem, sicut fiebat in Synagoga: sed propriè spectat ad ipsum Clerum, cuius est idoneas personas eligere & designare: tametsi ex concessione & conniuentia Cleri, possit aliquando permitti Laicis. (Bellarmin. lib. 1. de Clericis ca. 2. & 7.)

XXXVI.

Purificatio verò, si præcisè spectemus ius diuinum noui Testamenti, non necessario est externa & ceremonialis, sicut in lege Mosaica; sed interna & spirituallis, quæ potissimum consistit in pura conscientia, & digna animi dispositione ad tam sacrum officium suscipiendum & obeundum. Quam puritatem significabant, non modo externæ Iudæorum purificationes, de quibus supra; sed etiam lotio pedum, quam Christus adhibuit Apostolis, antequam illis Sacerdotij dignitatem conferret.

XXXVII.

Ipsa porro Ordinatio, iuxta ritum Euangelicum; fieri debet ab Episcopo per manum impositionem, & nullo modo ab homine laico vel sæculari. Quod variis modis demonstrari potest.

XXXVIII.

Primo, quia Ministri nouæ legis non sunt inferioris conditionis, quam Ministri Mosaici: At hi non poterant consecrari à laicis, sed à solis Sacerdotibus, ut supra ostensum est: Ergo nec illi possunt.

XXXIX.

XXXIX.

Secundò, quia quotquot tempore Apostolorum ordinati sunt per manuum impositionem, semper ab Episcopis, nunquam à laicis ordinatos esse, constat ex Scriptura. Sic Stephanus, Philippus, Prochorus, Niccanor, Timon, & Nicolaus, ab Apostolis, qui Episcopi erant, in Diaconos ordinati sunt. (Actorum 6. v. 6.) Sic Presbyteri Lycaoniæ à Paulo & Barnaba ordinati sunt Actorum 14. Sic Timotheus à cætu Episcoporum ordinatus est. 1. Timoth. 4. versu 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij.* Sic alij ab ipso Timotheo ordinati sunt. 1. Timoth. 5. v. 22. *Manus cito nemini imposueris.*

XL.

Tertiò, idem post tempora Apostolorum seruatum est. Hoc constat ex canonibus Apostolorum: quorum primus sic habet: *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis, ordinetur. Secundus sic: Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.*

Item Ex Generali Synodo Nicæna prima, Can. 4. *Episcopum oportet ab omnibus Episcopis (si fieri potest) qui sunt in prouincia eius, ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in unum esse congregati, &c.*

Similia habentur in aliis Conciliis posterioribus. Quod autem Episcopus in ordinatione Ministrorum debeat adhibere impositionem manuum, cōstat etiam ex variis Conciliis, Patribus, & perpetua Ecclesiæ praxi ac consuetudine. Neque ullus id negat.

XLI.

Notandum tamen est, manuum impositionē in novo Testamēto, ad varios effectus solitā esse adhiberi. Primo, ad sanādos ægrotos. Marci 16. v. 18. *Super ægros ma-*

nus imponent, & bene habebunt.

Secundò, ad impertiendam benedictionem. Matth. 19. v. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret. Et Marci 10. v. 16. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eis.

Tertiò, ad fælicem comprecationem. Sic aliqui intelligunt illud: Act. 13. v. 3, Tunc ieunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos, nempe Paulum & Barnabam.

Quartò, ad Spiritum Sanctum conferendum. Act. 8. v. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Et Act. 19. v. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.

Quintò, ad conferendam gratiam in ordinatione Ministrorum. 2. Tim. 1. v. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Eodem spectant testimonia, quæ thesi 74. allata sunt.

X L I I .

Atque hæc sufficient de Ordinatione. Sequitur Missio, quæ differt ab Ordinatione. Nam in Ordinatione confertur potestas Ordinis: cuiusmodi est potestas Baptizandi, consecrandi Eucharistiam, remittendi peccata. In Missione confertur iurisdictio in Ordine ad executionem, id est, assignantur subditi, quos illi, qui dicuntur mitti, debeant docere, gubernare, Sacramenta administrare. Sic Parochi dicuntur mitti in Parochiam, quando assignantur illis Parochiani: Episcopi in Episcopatum, quando assignantur Diæcesani. Sic Apostoli missi sunt in omnem terrā, quādo omnes populi ac gentes à Christo illis assignabātur. De qua Missione loquitur Scriptura. Matth. 10. v. 16. Ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et cap. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &

Spiritus

Spiritus Sancti. Et Marci 16.v.15. Euntes in mundum universum, predicate Euangelium omni creaturæ. Et Rom. 10. v.15. Quomodo predicabunt, nisi mittantur?

X L I I I.

Est autem magnum discrimen inter Episcopos & Presbyteros, ex parte potestatis & officij. Tamen si enim pares sint in potestate, consecrandi Eucharistiam; tamen in multis Episcopi sunt superiores. 1. quia maiorem habent, iurisdictionem. 2. quia possunt conferre Sacramentum Confirmationis, ordinare Ministros, consecrare Templa & altaria, quæ Presbyteri non possunt. Vide Damasum Epist. 3. Gregorium III. in Epistola ad Bonifacium, S. Leonem in Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ.

De extraordinaria Vocatione Ministerorum noui Testamenti.

X L I V.

Constat Apostolos extraordinariè vocatos ac miseros esse, ad prædicandum Christi Euangeliū, & Sacra menta ab eo instituta administranda. Qui tamen sicut supra de Mose & Prophetis dictum est, suam Vocationem & Missionem multis signis ac prodigiis, coram vniuerso mundo, debuerunt contestari.

Res omnibus nota est. Locuti sunt variis linguis in die Pentecostes. Dæmonia expulerunt: mortuos ad vitam reuocarunt: omnia morborum genera, vel verbo, vel umbra, vel semicinectio curarunt. Et ut semel complectar omnia: Prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. (Marc. 16.v.20.)

Quod etiam speciatim de se testatur Paulus, Rom.

15. v. 19. cum ait, se gentibus Euangelium persuasificare
in virtute signorum & prodigiorum. Et 2. Corinth. 12. v. 12.
*Signa, inquit, Apostolatus mei facta sunt super vos in signis,
& prodigiis, & virtutibus.*

XL V.

Et quid dico de Apostolis? Ipse met Christus non aliter persuadere potuit, à Deo Patre se missum esse, nisi per miracula. Habebat quidem ipse pro se vaticinia omnium Prophetarum. (Lucæ 24. v. 27.) Habebat testimonium Ioannis Baptistæ: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Habebat testimonium Patris cœlestis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audiue.* Et tamen inter tot Missionis suæ præsidia adhuc opus erat miraculis. Nec alio potentiori, quam miraculorum subsidio usus est apud Iudeos, ut se Filium Dei comprobaret.

De quo ipse sic loquitur, Ioan. 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & creditatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et rursus c. 14. v. 31. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Alioqui propter opera ipsa credite. Et alibi sæpius.

XL VI.

Dices, Etiam Ioannes Baptista extraordinariè missus est ad baptizandum & prædicandum; & tamen suam Missionem nullo miraculo confirmavit. Nullum enim miraculum ab eo factum legimus. Respondeo: Tametsi ipse nullum miraculum fecerit: Deus tamen multis miraculis illius sanctitatem, Vocationem & Missionem testatus est. Primo, quia natus fuit ex matre sterili. 2. quia adhuc clausus utero materno, ad præsentiam B. Virginis, præ gaudio exultauit. 3. quia mater ipsius Elisabeth Spiritu Sancto repleta est. 4. quia pater,

pater , qui antea mutus erat , viua voce prophetauit. Hæc & similia , quæ circa illius nativitatem contigerunt, manifestè portendebant, quid de eo in posterum esset sentiendum. Vnde vicini præ admiratione dicebant: *Quis putas puer iste erit? Accedebat summa virtus au-*steritas, vaticinium Isaïæ, & alia eiusdem generis.

*Quod Lutherani & Calviniani Ministri non sunt legi-
timè à Deo vocati.*

X L V I I.

Hoc facile ex dictis probari potest. Nam potestas & iurisdictio , quæ confertur Ministris Ecclesiæ, vel confertur illis à Deo, mediante Episcopo , & tunc dicuntur ordinariè vocati & missi: vel immedia- tè à solo Deo , & tunc dicuntur extraordinariè vocati & missi. Neutro modo confertur Ministris Lutheranis & Calvinianis.

X L V I I I.

Non priori modo : quod dupliciter ostendo. Primo quia Lutheri ipse , qui est parens omnium Ministeriorum Lutherorum , non est collata potestas & iurisdictio ab Episcopo. Tametsi enim ante defectionem (cum adhuc monachus esset) à Catholicis Episcopo Sacerdos seu Presbyter ordinatus sit, ac proinde ab eo acceperit potestatem consecrandi Eucharistiam ; non tamen accepit ab eo potestatem & iurisdictionem reformati religionem & statum Ecclesiæ in tota Saxonie & vicinis partibus ; nec abroganda Festa, ieunia, vota monastica; nec comburendi ius Canonicum: nec oppugnandi doctrinam Catholicorum. A quo ergo accepit?

Secundò, Alij Ministri Lutherani, qui vel Lutherò posteriores sunt, vel simul cum illo vixerant duplices. Nam aliqui ex illis, ab Episcopis Catholicis Sacerdotes ordinati sunt, & postea à fide Catholica ad Lutheranam transferunt, ut Munsterus, Oecolampadius, Pellicanus, Bucerus: alij non sunt à Catholicis ordinati. De prioribus idem dicendum est, quòd de Lutherò. Posteriores verò, à quo ordinati sunt? Non à Catholicis Episcopis, ut suppono. Nec à Lutherò, quia ipse non fuit Episcopus. Nec ab aliis Ministris Lutheranis, quia nec ipsi Episcopi sunt. Aut si sunt, à quo ordinati sunt? Nec à sacerdotali Magistratu, quia is non habet potestatem ordinandi. Nec à communi plebe, propter eandem causam. A quo ergo?

L

Vt magis appareat vis huius argumenti, duo quæram ex-Lutheranis. Vnum est: An ipsi putent, Episcopos Catholicos habere legitimam potestatem ordinandi Sacerdotes, & alios Ecclesiæ Ministros, necne? Si habent potestatem, sequitur in Ecclesia Catholica veros esse Episcopos & Sacerdotes: Et consequenter, verum Eucharistiæ Sacramentum ab illis confici & administrari. Si non habent, sequitur Lutherū, Munsterum, Oecolampadiū, Pellicanū, qui à Catholicis Episcopis ordinati sunt, non fuisse legitime ordinatos, ac proinde non fuisse veros Sacerdotes: Nec verum Eucharistiæ Sacramentum ab iis confici potuisse. Imo sequitur, tempore defectionis Lutheri, nullum in Orbe Christiano fuisse legitimum Episcopum aut Sacerdotem. A quo ergo ipse ordinatus & missus est: Loquor de Missione, quæ ab homine fit. Nam de altera, quæ immediatè à solo Deo fit, paulo post dicam.

L I.

L I.

Alterum est: An putent, vlos vnquam fuisse legitimos Episcopos & Sacerdotes in Ecclesia Christi, à temporibus Apostolorum vsque ad tempora Lutheri, qui ab alio, quam ab Episcopo ordinati sunt? Si putant fuisse aliquos, quero, qui illi fuerint quo tempore vixerint, quas Ecclesias administrauerint, à quo sacram Ordinationem acceperint? Si nullus fuit, cur ipsi, contempta Christiani Orbis perpetua consuetudine, nouitatem sectantur, & ab hominibus sacerdularibus, vel aliis, qui Episcopi non sunt, ad Ministerium mitti se sinunt?

L II.

Pudendum est, quod dicam: sed tamen dissimulare non possum. Adeo nihil antiqui moris & pietatis est apud Lutheranos & Caluinistas in hoc Ministerio Ecclesiastico, de quo agimus, ut opifices, Ludimagistri, Aduocati, ad nutum alicuius Comitis aut Baronis, & non raro, ad imperium alicuius foeminae, publicè cathedram ascendere, & Ministerium usurpare non erubescant. Et rursum, si aliter Dominis visum sit, Ministerium deferere, & ad opificium redire cogantur.

L III.

Nou*i* etiam, qui in ipso Ministerij exercitio, tanta seruitute suis Dominis temporalibus obnoxij sunt, ut sine ipsorum expresso cōsensu, nec Ministerium suum tueri, nec Lutheranam religionem defendere, nec illius defendendæ causâ cum Catholicis, vel voce, vel calamo disputare audeant. In qua re duplex peccatum est. Alterum Dominorum sacerdularium, qui arrogant sibi potestatem, quam non habent. Alterum Prædicantium, qui & autoritatem Ecclesiasticam prosti-tuunt, & homini plus tribuunt, quam Deo, cuius ta-

men Ministros se profitentur.

Longè aliter Apostoli, qui in simili causa dicebant:
Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. (Act. 5.v.
 29.)

L I V.

Hactenus de priori Vocationis modo, qui quidem
 fit à Deo, sed tamen mediante consensu & cooperatio-
 ne eorum hominum, ad quos spectat. Nunc proban-
 dum est, Ministros Lutheranos & Caluinianos nō esse
 vocatos posteriori modo, id est, non esse immediatè à
 Deo missos ad docendum populum, reformandam Ec-
 clesiam, Sacra menta administranda. Quod variis ra-
 tionibus probari potest.

Prima Ratio.

L V.

Qvicunque hactenus vel in veteri, vel in novo Te-
 stamento à Deo immediatè vocati & missi sunt,
 debuerunt coram populo suam vocationem & missio-
 nem aliquo eudenti miraculo cōprobare, & qui non
 potuerunt probare, pro falsis Prophetis & impostori-
 bus habiti sunt, ut hactenus explicatum est: At neque
 alij Ministri Lutherani & Caluiniani possunt ullo eui-
 denti signo vel miraculo probare, se immediatè à Deo
 vocatos & missos esse: Ergo pro falsis Prophetis & im-
 postoribus habendi sunt.

L VI.

Nec enim verisimile est, plus illis, quam Prophetis
 & Apostolis, priuilegij concessum esse. Si ergo Pro-
 phetis, si Apostolis, si Christo ipsi creditum non est,
 nisi

nisi euidenti miraculo se missos esse conuincerent; quomodo Luther & Caluino credam, qui nullo modo conuincere id possunt?

L V I I .

Dicent forte, satis euidens diuinæ Missionis signum esse, quod infiniti prope homines, statim à principio, doctrinam Lutheri & Caluini amplexi sint. Inde enim colligi posse, doctrinam fuisse efficacem & diuinitus inspiratam. Sed frustra. Nam etiam in veteri Testamento, infiniti prope homines adhærebant falsis Prophetis, tamen inde non poterat colligi, vel ipsos à Deo missos, vel eorum vaticinia diuinitus fuisse inspirata. Contrarium potius colligitur, quod sic ostendo. Inter veros & falsos Prophetas hoc erat discrimen. Veri prædicebant iram & vindictam Dei propter peccata hominum; euersiones urbium, direptionem bonorum, captiuitates populorum, & similia incommoda, quæ amatoribus huius mundi ingrata sunt. Falsi omnia contraria vaticinabantur, ut pacem, victoriam, fœlicitatem, rerum omnium abundantiam: & ideo à plerisque libenter audiebantur.

L V I I I .

De his loquitur Ieremias cap. 14. v. 13. *Et dixi. Domine Deus, Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & famæ non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto.* Et dixit Dominus ad me: *Falso Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.* Idcirco hec dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes (*Gladius & famæ non erit in terra hac*) in gladio & fame consumentur Prophetæ illi. Vide plura 3. Reg. 22. & alibi.

L I X .

LIX.

Simile est de veris & falsis Apostolis. Veri Apostoli, qui à Christo missi sunt, proponunt res difficiles arduas, carni ac sensui humano repugnantes. Et perpetuò clamant: *Pœnitentiam agite: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: Abstinete à carnalibus desiderijs: Sobrii estote & vigilate.* At Lutherus & Caluinus, qui veri Apostoli non sunt, contrario modo procedunt. Abrogant ieunia:oderunt castitatem:concedunt libidines, & quidquid carni allubescit. Eorum vox est: *Sola fides iustificat: Bona opera non profund: Decalogus obseruari non potest: Crescite & multiplicamini: Si non vult uxor, veniat ancilla.* Hanc vocem plerique libentius audiunt, quam vocem Christi & Apostolorum. Ad quos spectat illud Rom.8.v. 5. *Qui secundum carnem sunt, qua carnis sunt, sapiunt.*

L X.

Atque hinc appareat, omnia conuenire Luthero & Caluino, quæ de falsis Prophetis scripta sunt. Nam primo, falsi Prophetæ dicebant se missos à Deo. Secundo, non poterant probare se missos. Tertio, semper fausta, & quæ populo grata erant, vaticinabantur. Similiter noui illi Prophetæ. Longè aliter veri Prophetæ & Apostoli. Hi non verbis tantum, sed signis & virtutibus probabant se missos: Nec quæ hominibus blanda & grata, sed quæ Deo accepta erant, annunciantur. Vnde Paulus ad Galatas 1.10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

Secunda

Secunda Ratio.

L X I.

Qvicunque haec tenus immediatè à solo Deo missi sunt ad instruendum populum in fide ac religione, ita fuerunt diuinitus illustrati, & à Spiritu S. directi, ut nullū vñquam mendacium, errorem aut falsitatem populo proposuerint; At Lutherus & Caluinus multa mendacia, errores & falsitates populo proposuerunt: Ergo non fuerunt immediate à Deo missi ad instruendum populum in fide & religione.

Maior propositio patet inductione, quia Moses, Prophetæ, Apostoli, Christus, nihil falsum aut erroneum docuerunt. Quod de singulis testatur Christus. De Mose Ioan. 5. v. 46. Si crederitis Moysi, crederebis & mihi: de me enim ille scripsit. De Prophetis, Luc. 24. v. 25. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. De seipso, Ioan. 6. v. 14. Ego sum via, veritas & vita.

L X II.

Et ratio est, quia constat Deum non posse mentiri aut falsum dicere. Si ergo aliquis affereret à Deo immediatè se missum esse ad docendam veritatem, & vel semel deprehenderetur mentiri, aut falsum dicere, iam tota ipsius missio merito redderetur suspecta: Et prudenter indicaremus, si in uno puncto nos decepisset, in aliis quoque posse decipere. Quod fatetur Lutherus in assertione art. 25. cum ait: Prorsus in nullo alio verbo vobis credimus, donec hoc mendacium dilueritis. Suspecti, inquam, eritis in omnibus, semel comprehensi in tam crassa temeritate, &c.

L X III.

L X I I I .

Iam verò Lutherus & Caluinus non semel, sed sàpe in errore & falsitate deprehensi sunt. Nam, ut alia præterream, Lutherus docuit hominem in nulla actione, nec bona, nec mala, habere usum liberi arbitrij; sed à Deo tam ad bene, quam ad male operadum, fatali quadam necessitate compelli. Sic enim scribit in assertione art. 36. *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quipiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus.* Quod & Poëta voluit, quando dixit: *Certâ stant omnia lege.*

L X I V .

Similiter Caluinus docuit, Deum esse authorem peccati. (lib. 1. instit. c. 18. §. 3.) Deum ab æterno prædestinasse plerosque homines ad æternam mortem & damnationem, sineulla ipsorum culpa aut merito; solum quia ipsis ita placuit. (lib. 3. cap. 21. §. 1. & c. 23. §. 2. & alibi.) Deum mandare, urgere & incitare Satanam, ut miseros homines ad peccatum inducat. (lib. 1. c. 18. §. 1. & 2. Item lib. 2. c. 4. §. 2. & 5.)

L X V .

Hos Lutheri & Caluinii errores merito detestamur. Primo, quia in Deum sunt impij & blasphemij. 2. quia hominibus horrorem ac desperationem incutiunt. 3. quia tollunt è medio omnes consolationes, exhortationes, mandata, prohibitions, Indices, tribunalia, totam denique politiam. Nam hæc omnia frustra sunt, si homo non habet liberum arbitrium. Quis credat autores eiusmodi errorum immediate à Deo missos ad docendum esse?

Aliæ Rationes.

L X V I .

Tertia ratio. Lutherus à Diabolo accepit doctrinam suam de abroganda Missa : Ergo ad docendum non est missus à Deo. Hoc argumentum fusè prosequitur Nicolaus Serarius in libro, *De Lutheri Magistro*: Et in altero , quem opposuit Apologiæ Friderici Balduini Ministri Saxonici, qui frustra conatus est Lutherum ab hac ignominia liberare.

L X V I I .

Quarta, Lutherus & Caluinus affirmant, nihil credendum esse, nisi quod scriptum est in Verbo Dei : At ibi non est scriptum , eos à Deo ad reformandam Ecclesiam missos esse : Ergo secundum ipsorum sententiam, hoc credendum non est.

L X V I I I .

Quinta , Deus non solet homines publica infamia notatos mittere ad docendum populum: At Lutherus & Caluinus fuerunt publica infamia notati: Ergo non est verisimile , à Deo missos esse ad docendum populum. Minor patet, quia is iure Cæsareo, infamis est, *qui nuptias cum eo constituit, quam uxorem ducere, vel non potest, vel fas non est.* (L. Quid ergo, ff. De his, qui notantur infamia.) At Lutherus constituit nuptias cum Moniali, quam uxorem ducere non poterat,nec fas erat: Ergo iure Cæsareo fuit infamis. Et in ea infamia mansit usque ad finem vitæ ; quia quas nuptias Monachus cum Moniali sacrilegè contraxit,in iis postea perseuerauit.

L X I X .

Idem , ex alio capite, dico de Caluino. Is enim & facto

facto & iure infamis est, qui ob graue flagitium publico iudicio condemnatur. (L. 1. ff. De his qui notantur infamia.) At Caluinus Nouioduni in Picardia, propter crimen Sodomiæ publico iudicio condemnatus fuit ad pœnam ignis (quæ tamen pœna, per intercessionem Episcopi, in vſtulationem ferri carentis mutata est.) Ergo iure & facto fuit infamis. Vide Bolsecum, Medicum Lugdunensem, in vita Caluini cap. 5. & alios.

L X X.

Ex dictis colligo, Ministros Lutheranos & Caluinianos ..on esse legitimos Ecclesiæ Christi Pastores, quia nec à Deo immediate missi sunt; nec ab ullo Episcopo iurisdictionem acceperunt. Videant subditæ, an illorum curæ tutò committere se possint. Nos meliori loco sumus. Nam in nostra Ecclesia, non solum nostro, sed etiam Lutherorum iudicio, legitimi Sacerdotes & Episcopi ordinantur.


 ALIA THESES MISCELLANÆ.

- 1 Intellectus creatus lumine gloria eleuatus capax est visionis beatificæ.
- 2 Essentia diuina oculis corporis videri non potest.
- 3 Tres sunt personæ diuinae, & una natura.
- 4 Primum peccatum primi parentis, traducitur per originem in posteros.
- 5 Ex hominibus, ordinario generationis modo ab Adamo descendenteribus, sola Dei Mater peccatum originale non contraxit.
- 6 Efficacitas gratiæ non est sita in Physica prædeterminata

- 7 *Adamo per peccatum non lapsus, Christus non fuisse incarnatus.*
 8 *In Christo sunt duas naturae, una persona.*



DE IUDICE CONTRO- VERSiarum.

A GIMVS de Iudice Controversiarum in negotio fidei ac religionis. De quo aliter aduersarij sentiunt : aliter Catholici. Aduersarij, ut plurimum , docent , solam , Scripturam esse normam & Iudicem Controversiarum fidei ac religionis: Et ex ea sola , seclusis traditionibus & autoritate Ecclesiæ, controversias omnes finiri ac decidi posse: Hoc probant tripliciter.

2 Primò, quia Deus in veteri Testamento remittit Iudeos ad solam Scripturam , tanquam ad Iudicem, Isaiæ 8. 20. *Ad legem & testimonium.* Idem facit Christus in novo , Ioan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.* Et hoc Christi consilium fecuti sunt Beroënses ; de quibus Scriptum est, Act. 17. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.*

3 Secundò, Deus in V. T. mandauit , vt nihil adderetur ad Scripturam, Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Et c. 12. 32. *Quod precipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nee minuas.* Similiter Christus & Apostoli in noua lege , damnant omnes Traditiones , & sola Scriptura volunt nos esse contentos , vt Matth. 15. 6. *Irritum fecistis mandatum*

Dei propter Traditionem vestram. Et Galat. 1. 13. Persequenda
bar Ecclesiam Dei, abundantius amulatores existens pater-
narum nostrarum Traditionum. Et Coloss. 2. v. 8. Videte, ne
quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam, se-
cundum Traditionem hominum.

4 Tertiò, Paulus disertè fatetur, solam Scripturam
per se sufficere 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuini-
tus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corri-
piendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei,
ad omne opus bonum instructus.* Hinc idem Apostolus
execratur illos, qui aliquid putant Scripturæ addendū
esse, Galat. 1. 9. *Si quis Evangelizauerit vobis præter id,
quod accepistis anathema sit.* Quod etiam facit Ioannes
Apoc. 12. 18. *Contestor omni audienti verba prophetæ libri
huius: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum pla-
gas scriptas in libro isto.* Sic Aduersarij.

5 Catholici distinguunt inter Iudicem & Normam:
Iudicem vocant, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundum quam fertur sententia à
Iudice. Posita hac distinctione, tria docent. 1. Ecclesiastim esse Iudicem Controversiarum. 2. Normam, quod
sequitur Ecclesia in ferenda sententia non esse solam
Scripturam, sed Scripturam & Traditionem simul. 3.
Ecclesiam iuxta hanc Normam, dupliciter sententiam
pronunciate posse: vel per Pontificem, qui est Pastor
Ecclesiæ: vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ
repræsentant Ecclesiam. Et utroque modo sententiam
esse infallibilem. Nam neque Pontificem in fide erra-
re posse, cui in Petro dictum est: *Ego pro te rogaui, ut non
deficiat fides tua:* Neque Concilia legitimè celebrata
propter illam Christi promissionem: *Ecce ego vobis
sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

6 Ad hanc sententiam confitmandam, & priorem
refel

refellendam, utar sex argumentis, quibus perspicue demonstrabo, solam Scripturam Controversiarum Iudicem esse non posse. Primum sumetur ex officio Iudicis, quod Scripturæ non competit. Secundum ex parte ipsius Scripturæ, in qua duo spectanda sunt: Litera & sensus. Litera occidit, teste Apostolo. Sensus saepè obscurus ac intellectu difficilis est, ut alio Iudice ac interprete opus sit. Tertium ex parte Controversiarum, de quārum Iudice quæstio est. Nam aliquæ controversiæ sunt, quæ ex Scriptura dirimi non possunt, cum nulla de iis in Scriptura fiat mentio. Quartum ex usu & praxi Veteris Test. ubi non Scriptura, sed Pontifex pro Iudice agnoscebatur. Quintum ex simili uſu & praxi Noui Test. Sextum ex analogia Iudicis Controversiarum ciuilium & politicarum. Nam Iudex eiusmodi Controversiarum non est Lex scripta sed Princeps, aut Consistorium Principis.

7 Deinde examinabo testimonia Scripturæ, initio contra nos allata. Ex quorum examine seu discussione, tria licebit colligere. 1. Quædam ex illis non tam aduersariis, quam nobis patrocinari: præsertim illud, quo maximè gloriantur, *Scrutamini Scripturas.* 2. Quædam nihil ad rem facere, de qua agimus. 3. Aduersarios, qui in Scriptura victoriam querunt, sensum & mentem Scripturæ penitus ignorare. Incipiam à nostris argumentis.

Solam Scripturam non esse Iudicem.

PRIMVM ARGUMENTVM.

Ex officio Iudicis.

SRIMUM argumentum, quod sumitur ab officio Iudicis, sic propono: Qui est Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, ut vterque litigantium clare intelligat, quænam sit sententia Iudicis. Et alter eorum fateatur, illam pro se, alter contra se latam esse: Alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed vterque suam causam prosequetur. At Scriptura non potest hoc præstare. Ergo non potest esse Iudex Controversiarum. Maior per se clara est. Minorēm probō, quia Lutherani & Caluinistæ multis iam annis litigant de his punctis.

- 1 De Baptismo parvulorum.
- 2 De reali præsentia Christi in Eucharistia.
- 3 De prædestinatione.
- 4 De persona Christi.
- 5 De Exorcismo.
- 6 De numero & Canone librorum Scripturæ.

Et tamen Scriptura, quam volunt esse Iudicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controversias. Nec hactenus audirum est, ita pronunciasse sententiam, ut vel Lutherani, vel Caluinistæ fassí sint, contra se pronunciatam esse. Hoc constat ex euentu. Nam vtrique pergit in studio & ardore litigandi: quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam clare semel esse latam. Tunc enim vel vltro cessarent à suscepta contentione, & sententiæ acquiescerent: vel certè, si existimarent iniustè secum actum esse, ad alium Iudicem prouoca-

prouocarent, Neutrum fit.

9 Ut magis appareat vis huius argumenti, duo consideranda sunt. Vnum, quod tam Lutherani, quam Calvinistæ palam fateantur, se non alium Iudicem, quam solam Scripturam agnoscere. Et hanc ipsam Scripturam esse claram, perspicuam, & ad omnes controversias spondendas, per se sufficientem: nec ullam falsitatem subesse illi posse. Alterum, quod nihilominus virique nihil aliud efficiant litigando apud hunc Iudicem, quam ut quotidie crescant eorum lites, & ipsi erga se mutuo infestiores evadant. Ex quibus alterutrum sequi necesse est: vel Scripturam hactenus non pronunciassè claram, perspicuam, & sufficientē sententiam: vel certè, si pronunciavit, Lutheranos & Calvinistas peruvicaces esse, qui claræ, perspicuæ, & sufficienti sententiæ non volunt acquiescere. Alterutrum ipsi elegant.

SECUNDVM ARGUMENTVM.

Ex parte Scripturæ.

10 IN Scriptura duo spectanda sunt, Litera & sensus: sicut in homine corpus & anima. De illis, ut aliqui interpretantur, locutus est Apostolus 2. Cor. 3. 6. cum ait: *Litera occidit, spiritus autem vivificat*, Q. D. Si sequaris verum Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus & anima vivificans, proderit tibi ad salutem. Si autem neglecto vero & legitimo sensu, hæreas tatum in externa litera, & contendas illum esse sensum, quem externa litera præ se fert, sœpè errabis. Quam interpretationem sequitur Augustinus Serm. 70. de tempore: *Frequenter, inquit, admonui charitatem vestram*

G 3 fratre

fratres dilectissimi, quæ diebus istis in Ecclesia recitantur, non
hoc tantum attendere debeamus, quod ex litera cognoscimus,
sed remoto velamine literæ, viuificantem spiritum fideliter re-
quiramus, sic enim dicit Apostolus: Litera occidit, spiritus au-
tem viuificat. Denique infelices Iudei & plus infelices hære-
tici, qui dum solum literæ aspiciunt sonum, quasi corpus sine
anima, ita sine viuificantem spiritu mortui remanserunt. Simi-
lia habet lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 5.

11 Hoc posito, duo probanda sunt. Vnum est: quod Scriptura, si literam spectes, non possit esse Index Controversiarum. Alterum quod neque, si sensum spectes, possit esse Index. Priorem partem sic probo: ille non potest esse infallibilis Index Controversiarum, qui dicit homines in errorem & hæresim: At Scriptura, si nudam illius literam spectemus, dicit homines in er-
rorem & hæresim: Ergo non potest esse infallibilis Iudex Controversiarum.

12 Maior per se nota est, quia propterea quærimus infallibilem Iudicem, ne erremus: Ergo qui dicit nos in errorem, non est infallibilis Iudex. Minor patet ex Apostolo, quia Scriptura secundum literam occidit, id est, in lapsum & errorem dicit.

12 Sic olim occidit Iudeos, qui omnia, quæ in Mo-
se & Prophetis prædicta erant de Christo, intellige-
bant secundum externam literam, & sensum interius
latentem non percipiebant. Et hoc est, quod ait Apo-
stolus 2. Cor. 3. 15. Usque in hodiernum diem, cum legitur
Moses, velamen positum est super cor eorum, id est: Adhuc
Iudei non intelligunt Mosen, quem quotidie legunt
quia non penetrant internum ipsius sensum, sed exter-
na litera contenti sunt. Vel clarius: Non agnoscunt
Christum, qui in Mose, sub externis ceremoniis ac sa-
crificiis, tanquam sub velamine occultus est. Adhuc
hærent

hærent in ipso velamine, & non considerant, quid sub illo lateat reconditum.

13 Quod etiam obiicit illis Christus Ioan. 5.39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternā habere: Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Q. d. Si vultis certo cognoscere, me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moses & Prophetæ scripserunt, non tantum debetis legere Scripturas quoad externam literam, sed multò magis scrutari internum sensum & spiritum, qui sub externa litera, quasi sub umbra aut figura delitescit. Hoc hactenus non fecistis. Tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis sitam esse vitam æternam, tamen nescitis, in qua parte sita sit. Non est sita in externa litera, in externis ceremoniis & figuris, ut vos putatis; sed in spiritu, in sensu, in mystico. Ibi me querite & inuenietis.

14 Nec solos Iudæos, sed etiam hæreticos Litera occidit. Nam multi in suis erroribus propterea pereunt, quod relicto Scripturæ sensu, quem sequitur sancta & Catholica Ecclesia, alium sensum, secundum externam literam, fuerint amplexi. Quod aliquot exemplis obiter demonstrabo.

15 Sabelliani dicebant, non esse tres personas diuinias, sed unam tantum, quæ tamen haberet tria nomina, propter diuersa officia seu operationes. Eandem enim personam vocari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, sed diuerso respectu. Patrem, quatenus est author omnium creaturarum: Filium, quatenus assumpsit humanam naturam ex Virgine: Spiritum Sanctum quatenus sanctificat nos per suam gratiam. Ex eorum sententia sequebatur, Patrem esse mortuum & passum. Nam si una tantum est persona, quæ dicitur Pater,

G 4 Filius,

Filius, & Spiritus sanctus ; sanè si illa persona mortua & passa est , necesse est , Patrem mortuum & passum esse. Hinc (teste Augustino in lib. de hæresib. c. 41.) Patripassiani appellati sunt. Vnde hic tantus error: Ex litera occidente. Nam secundum externam literam intelligebant illud Ioan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Ex quo inferebant , Patrem & Filium (& consequenter Spiritum Sanctum) esse unum, quoad personam: cùm tamen secundum sensum Ecclesiæ, sint unū, quoad essentiam; & duo, quoad personam.

16 Artiani dicebant , Christum non esse Deum, sed inferiorem Deo. Vnde hoc? quia relicto sensu Ecclesiæ secundum literam explicabant verba Christi, Ioan. 14. 28. *Pater maior me est*, id est, absolute maior. At Ecclesiæ sensus est, Christum secundum humanitatem, esse minorern Deo Patre : Secundum diuinitatem, æqualem. Et priori modo intelligendum esse illud , *Pater maior me est*: posteriori illud : *Ego & Pater unum sumus:* Et sic omnia optimè cohærere. Vide Athanasium oratione 2. contra Arrianos, Hilarium l. 5. & 11. de Trinitate, Augustinum libro tertio contra Maximinum cap. 24. & 25. & libro de Trinitate cap. 7.

17 Macedoniani negabant Spiritum Sanctum esse Deum. Ex quo principio: Ex litera occidente. Nam secundum literam accipiebant illud Apostoli 1. Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Vnde sic concludebant: Qui scrutatur, quærerit: qui quærerit, dubitat: qui dubitat, ignorat: qui ignorat, Deus non est: Ergo Spiritus Sanctus non est Deus. At Ecclesia locum illum sic interpretatur: *Spiritus omnia scrutatur, id est, omnia penetrat & comprehendit.* Quo sensu dicitur etiam Deus Pater omnia scrutari , 1. Paralip. 28 9. *Omnium corda scrutatur Deus.* Et Psalm. 7. 10. *Scrutans*
corda

corda & renes Deus. Et Ieremiæ 17. 10. *Ego Dominus scrutans corda.* Vide Theodoretum, Theophylactum, D.Thomam, & alios in Commentario illius loci.

18 Manichæi assertebant, vetus Testamentum novo contrarium esse. Quare: quia rem totam æstimabant secundum externam literam; quam si species, alterum alteri videtur repugnare. Nam vetus dicit, Deum creasse omnia. (Gen. 1.1.) Nouum dicit, Verbum creasse omnia. (Ioan.1.3.) Rursum, vetus dicit, hominem factum esse ad imaginem Dei. (Gen.1.27.) Nouum dicit, hominem esse ex Diabolo. Ioan.8.v.44.) Item vetus dicit, Deum die septimo quievisse ab omni opere. (Gen. 2.2.) Nouum dicit, Deum usque modo operati. (1.Io.5. 17.) Contra hos agit D.Aug.in lib.contra Admantum Manichæi discipulum, & ex sensu Catholicæ Ecclesiæ, conciliat inter se loca, quæ secundum literam videntur sibi aduersari. Non enim repugnat, Deum fecisse omnia, & tamen fecisse per Verbum, veluti per suam artem seu ideam. Nec repugnat, hominem factum esse ad imaginem Dei, quoad naturam: & tamen esse ex Diabolo, quoad malitiam. Denique non repugnat, Deum quievisse die septimo ab opere creationis mundi; & tamen semper operari in gubernando & conservando mundo.

19 Pelagiani negabant peccatum originale, assertentes peccatum Adami nocuisse ipsi soli, non autem posteris. Ex quo fundamento? Ex litera occidente; quia scriptum est, Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* At sensus illius loci, secundum mentem Ecclesiæ Catholicæ, est hic: Filius, qui non est particeps peccati Patris, non portabit iniquitatem Patris: Si autem particeps est, portabit. (Vide Augustinum in lib. post collationem, cap. 7.) Nunc autem constat,

posteros fuisse participes peccati primi parentis, iuxta illud Rom. 5.12. *In quo omnes peccauerunt.* Sed quomodo peccarunt omnes in Adamo? Hoc alibi explicandum est. Hic obiter dico, vñnes in eo peccasse, quia Deus iniit pactum cum Adamo tanquam cum capite & communij radice seu principio totius posteritatis; vt, si ipse seruaret praeceptum de non gustando fructu prohibito, tam ipse, quam posteri manerent in Paradiſo: si non seruaret, tam ipse, quam posteri essent rei, ac veluti transgressores ex Paradiſo eiicerentur, quod & factum est.

20 Fuerunt etiam antiquiores haeretici, qui negabant carnis resurrectionem, quia scriptum est, Ioan. 6.63. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Ex quo loco secundum externam literam intellecto, sic argumentabantur: Quorsum caro, si nihil prodest, esset resurrectura? (Refert Tertullianus in lib. de resurrectione carnis, cap. 37.) Ex eodem loco Calvinistæ faciunt hanc similem consequentiam: Quorsum Christus daret nobis suam carnem in Sacramento Eucharistiae, si nihil prodest? utrique decepti sunt ex litera occidente. Alioqui liceret etiam concludere in hunc modum: Si caro non prodest quicquam, cur Christus eam assumpsit? cur Verbum caro factum est? cur pro nobis Crucis eam affixit? Certe non fecit haec frustra. Vide Maldonatum in caput sextum Ioannis.

Posterior pars argumenti.

De Scriptura, quoad sensum.

21 **A**TQUE haec sufficient de priori parte, in qua tum authoritate Apostoli, tu variis exemplis demon-

demonstratum est , Scripturam , si literam externam spectemus , non posse esse infallibilem Iudicem Controversiarum, quia litera occidit, & varios errores ac hæreses parit. Altera pars est : Nec Scripturam, si sensum spectemus, posse esse Iudicem. Quam sic probos Scriptura, quoad verum & legitimum sensum, saepe est obscura, & difficilis intellectu : ac proinde , saepe oriatur controversia de vero & legitimo ipsius sensu. Omnis autem controversia requirit aliquem Iudicem. Debet ergo esse aliquis Iudex , qui definiat, hunc esse legitimum sensum , illum non esse. At hic Iudex non potest esse ipsa Scriptura, de cuius mente & sententia controversia mouetur : Ergo aliquis alius, distinctus à Scriptura. In hoc discursu sunt aliquot principia, quæ sigillatim explicabo : Primum est :

Quod Scriptura quoad sensum , saepe sit obscura , & difficilis intellectu.

Hoc testatur Petrus Apostolus in posteriori Epistola canonica, cap 3.v.16. vbi loquens de Epistolis S. Pauli, sic ait: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* Et variis modis confirmari potest. Primo, exemplo discipulorum euntium in Emmaus, qui non intelligebant Scripturas , nisi Christus interpretaretur. (Lucæ 24.27.) Secundo , exemplo Eanuchi Reginæ Æthiopum , qui rogatus à Philippo , an intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat: respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* (Act.8.31.) Tertio, exemplo Apostolorū, qui multa eorum, quæ à Christo dicebantur, non intelligebant. Mat.13.36. Accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: *E differe nobis parabolam zizaniorum agri.* Et Matth.16.11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Et Lucæ 18.34. *Et ipsi nihil ho-*

rum intellexerunt; & erat verbum istud absconditum ab eis. Quartò; Consensu omnium Interpretum. Nam si Scriptura esset facilis, quid opus esset tot interpretibus: tot Commentariis: tot questionibus & controversiis: Quinto, inductione. Constat obscurissimam esse prophetiam Ezechielis de visione quatuor animalium. Constat prophetiam Danielis de 70. Hebdomadibus, & de abominatione desolationis, multorum ingenia exercuisse, & adhuc exercere. De qua Christus Mat. 24. 15. *Qui legit intelligat.* Constat totam Ioannis Apocalypsin plenam esse teconditis mysteriis. Et ut loquitur D. Hieronymus in Epistola ad Paulinum, *non habere Sacra menta, quia verba.*

23. Iam vero, quod in reliquo Bibliorum Codice, multa etiam obscura, & intricata sunt, norunt illi, qui legerunt. Et ut alios omittam, loquantur illi, qui olim in assidua Scripturæ lectione diligenter occupati, fabebant se multa ignorare, ideoque ad Augustinum, Hieronymum, & alios doctissimos Patres, discendi studio, configiebant. Testantur hoc Epistolæ illorum Patrum, ex quibus aliqua proferam.

Damasus Papa consuluit Hieronymum super his questionibus.

1. Quid significet, quod in Genesi scriptum est, *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Gen. 4. 15. (Epist. 124. 125. inter Epistolas Hieronymi.)

2. Si omnia fecit Deus bona valde, quare Noë de mundis & immundis animalibus præcepit, cum immundum nihil bonum esse possit? (ibidem.)

3. Cur Abraham fidei suæ signum in Circumcisione suscepit? Et cur Isaac vir iustus, & Deo charus, non illi, cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit? (ibidem.)

4 Quæ sit interpretatio visionis Isaiæ Prophetæ de Seraphin & Trisagio? (Epist. 142.)

Euagrius eundem consuluit de hac quæstione: An Melchisedech, qui benedixit Abrahæ, fuerit diuinioris naturæ, nec de hominibus estimandus? (Epist. 126.)

Dardanus de hac: Quænam sit illa terra promissio-
nis, quam Iudæi redeentes ex Aegypto dicuntur posse-
dile? Non enim videtur fuisse Palæstina, quia illa
iam antea fuerat à maioribus ipsorum possessa, ac
proinde non tam fuit promissa, quam reddita. (Epis-
tola 129.)

Vitalis quæsiuit ab eodem: An pro vero credendū sit,
Salomonem & Achaz, quod Scriptura cōmemorat,
vndecimo ætatis anno filios genuisse? (Epist. 132.)

Cyprianus quæsiuit: Quæ sit vera explicatio diffi-
cillimi illius Psalmi, qui incipit: Domine resurgum factus
es nobis. (Epist. 139.)

Marcella, nobilis apud Romanos fœmina, multa illi
proposuit.

1 Quid sit Ephodbad, & quid Teraphim apud He-
bræos? (Epist. 130.)

2 Quid significet *Alleluia, Amen, Maranatha?* (Epist.
137.)

3 Quid sit *Diapsalma?* (Epist. 138.)

4 Quid sit *panis doloris?* quid *filiij excusorum?* de qui-
bus fit mentio in Psalm. 126. (Epistola 141.)

5 Quæ sint illa, quæ nec oculus vidit nec auris audivit,
nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus preparauit iis, qui
diligunt eum? Et quomodo rursum Apostolus inferat:
Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum? Et si reue-
latum est Apostolo, an ille & aliis reuelauerit? Episto-
la 148.)

6 Cum dicat Apostolus i. Thessal. 4. 16. *Deinde, nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera:* An hoc ita intelligendum sit, ut aliqui non ante moriantur, quam eant cum Christo ad cœlum? præsertim cum & Christus mortuus sit, & Henoch atque Helias morituri esse dicatur in Apocalypsi Ioannis: Ne scilicet nullus sit, qui non gustauerit mortem. (ibidem.)

Principia, Virgo Romana, petiuit ab illo explicacionem illius Psalmi: *Eructauit cor meum verbum bonum.* (Epist. 140.)

Sunia & Fretella, ex Getarum & Germanorum finibus, ab eodem per Epistolam interrogarunt: An in ea contentione, qua Latini dissentient à Græcis in Psalterio Davidis, Hebræi magis cum his, quam cum illis conueniant? (Epist. 135.)

Hedibia, nobilis apud Gallos fœmina, misso in Bethlehem Apodemio, proposuit illi has difficultates:

1 *Quomodo accipiendum sit illud Christi, Matth. 26. 29. Non bibam amodo de genimine vitis, usque in diem illum, cum illud vobiscum bibam nocturnum in regno Patris mei.* (Epist. 150.)

2 *Cur Matthæus dixerit, Christum vespere, Marcus mane surrexisse?* (ibid.)

3 *Quid significet, quod in Matthæo scriptum est, Volum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum: & quæ sequuntur.* (ibi.)

4 *Quomodo Christus secundum Ioannem, insufflavit Spiritum Sanctum in Apostolos, & tamen secundum Lucam, post Ascensionem se missurum Spiritum Sanctum reprobavit?* (ibid.)

5 *Quid significet illud Apostoli, Roman. 9. 14. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? usque ad eum*

eum locum, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen,*
sicut Sodoma facti essemus. (ibid.)

6 Quid sit, quod idem Apostolus scribit, 2. Cor. 2.16.
Aliis odor mortis in mortem: aliis odor vitae in vitam. Et ad
hac quis tam idoneus? (ibid.)

Algasia ex eadem Gallia, per eundem Apodeinium,
hæc illi proposuit:

1 Cur Ioannes discipulos suos mittit ad Christum,
ut interrogent eum: Tu es, qui venturus es, an alium expe-
ctamus? cum prius ipse de eodem dixerit: *Ecce Agnus*
Dei, ecce qui tollit peccata mundi. (Epist. 15.1.)

2 Quid significet illud Matth. 12.20. *Arundinem quaſ-*
satam non confringet: & linum fumigans non extinguet.
(ibid.)

3 Quid item illud, Matth. 16.24. *Si quis vult venire*
post me, abneget ſemetipſum. (ibid.)

4 Et illud Matth. 24.19. *Va pregnantibus & nutrienti-*
bus in illis diebus. (ibid.)

5 Quo sensu accipiendum illud Lucae 9.51. *Factum*
est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse
faciem suam firmanit, ut iret in Ierusalem. Et paulo post
subditur de Samaritanis: Et non receperunt eum, quia fa-
cies eius erat cunctis in Ierusalem. (ibid.)

6 Quis sit villicus iniquitatis, qui voce Domini lau-
datus est. (ibid.)

7 Quid sibi velit Apostolus, Roman. 5.7. cum ait:
Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis
audeat mori. (ibid.)

8 Quid item. Rom. 7.8. *Occasione autem accepta, pecca-*
tum per mandatum operatum est in me omnem concupiscen-
tiam. (ibid.)

24 Omitto similes de Scriptura quæſtiones, quæ ex
toto ſere Orbe Christiano ad S. Hieronymum de-
fere

ferebantur. Venio ad S. Augustinum, ad quem nec pauciores, nec à paucioribus delatae sunt.

Volusianus hanc illi detulit : Quomodo Deus immensus claudi potuerit utero Virginis? Et, an interea temporis deseruerit curam mundi? (Epist. 2. inter Epistolas S. Augustini.)

Marcellinus, cùr Deus mutauerit sacrificia Mosai-
ca, quæ semel instituit? præsertim cùm ea, quæ semel
rectè instituta sunt, mutari nisi iniustè non possint.
(Epist. 4. & 5.)

Idem Marcellinus: Quomodo Magi Pharaonis po-
tuerunt inuenire aquam, quam in sanguinem mutarēt,
cùm iam antea tota aqua Ægypti fuerit à Mose in
sanguinem transmutata? (Epist. 7.)

Bonifacius Episcopus: Qui fiat, ut infantibus in Ba-
ptismo prosit parentum fides, cùm post Baptismum
non noceat illis parentum impietas? Item: Quomo-
do susceptores in Baptismo respondeant, infantes cre-
dere, cùm reuera non credant, & incertum sit, an ali-
quando sint credituri? (Epist. 23.)

Dardanus: Quomodo Christus homo credatur nūc
esse in cœlo, cùm ipse in Cruce Latroni dixerit: Hodie
mecum eris in Paradiso? Et, An hinc sequatur, Christum
hominem, sicut Deum, ubique esse? (Epist. 57.)

Paulinus: Quid sit, quod dicitur Psalm. 15. 3. Sanctis
qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates suas inter
illos. (Epist. 58. & 59.)

Item, quid illud Psal. 67. 22. *Veruntamen Deus confrin-*
get capita inimicorum suorum: Verticem capilli perambulan-
tium in deliciis suis.

Item, cum Apostolus dicit Eph. 4. 11. *Ipse dedit quo-*
dam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios ve-
rò Euangeliſtas, alios autem Pastores & Doctores: quomodo
distin-

distinguenda sint hæc nomina, & quæ sit cuique nominis officiorum, vel gratiarum proprietas? Quid proprium sit Apostolorum, quid Prophetarū, quid Euāgelistarum, quid Pastorum, quid Doctorum? (ibid.)

Item, cùm idem Apostolus scribit 1.Tim.2.1. *Obsecro primum omnium fieri obsecrations, orationes, postulationes, gratiarum actiones,* quod discrimen sit in hac verborum diuersitate. (ibid.)

Item, quid significet illud quod Apostolus dicit de Iudeis, Rom. 11. 28. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionem autem, charissimi propter Patres. (ibid.)

Item, quid illud Colossem.2.18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis sue, & non tenens caput, &c.* (ibid.)

Euodius Episcopus: Quinam sint illi spiritus, de quibus loquitur Petrus in priori Epistola canonica, cap.3. 19. *In quo & his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.* (Epistola 98. & 99.)

Honoratus: Quid sibi velit vox illa Domini, Psal. 21.2. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* (Epist. 110.)

Item, quid sit, quod Apostolus ait, Ephes. 3. 17. *Ut in charitate radicati & fundati, possitis comprehendere cū omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum.* (ibid.)

Item, quæ sint quinque Virgines stultæ, & quæ sapientes? Matth. 25.v.2. (ibid.)

Item, quæ sint tenebrae exteriores. Matt. 12.13.

Item quomodo intelligendum sit, *Verbum caro factum est.* Ioan. 1.14. (ibid.)

Simplicianus: Quid velit Apostolus Rom. 7.7. vbi ait: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.* vsque ad Opusc. Tom. V.

eum locum : Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius? (lib.1.ad Simplicianum, quæst.1.)

Item: Quid item, cùm ait, Rom.9.10. Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri: usque ad illud : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen. (ibid. quæst.2.)

Item quomodo dictum sit 1.Reg. 10. 10. Et insiluit Spiritus Domini super Saul, cum alibi dicatur: Exagitabat eum Spiritus nequam. 1.Reg.16.14. (li.2.quæst.1.)

Item: Quomodo dictum sit 1.Regum.15.11. Pani-
tet me, quod constituerim Saul Regem. (ibid. quæst.2.)

Item: An spiritus immundus , qui erat in Pytho-
nissa, potuerit efficere, ut Samuel, qui erat mortuus, à Saule videretur, & loqueretur cùm eo? (ibid. q.3.)

Item de eo , quod dixit Helias 3.Reg. 17. 20. Do-
mine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcun-
que sustendor , afflixisti , ut interficeres filium eius? (ibid.
quæst.5.)

Ex his quæstionibus manifeste apparet , Scriptu-
ram in multis locis obscuram ac intellectu difficilem
esse: Et homines etiam doctissimos, quorum iam mé-
tio facta est, palam profiteri , se non posse omnia per-
cipere, nisi à doctioribus instruantur. Quæ porro sint
causæ huius obscuritatis, iam explicandum est.

Causæ obscuritatis Scripturæ.

25. Inuenio duas potissimum causas : Vnam ex parte earum rerum , quæ tractantur in Scriptura. Alteram ex parte inodi , quo tractantur. Res quæ tra-
ctantur, sunt fere quadruplices. 1. Historiæ , ut patet in Genesi, Exodus, Numeris, Deuteronom. Iosue, li-
bro Iudicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Iu-
dith, Tobiæ, Esther, Machhabæorum ; itemque in
Euan-

Euangelio & Actibus Apostolorum. 2. Vaticinia seu Prophetiae, quae in Psalmis, in maioribus & minoribus Prophetis, & in Apocalypsi Ioannis, maiori ex parte, consignatae sunt. 3. Mysteria fidei, praesertim de Trinitate, de Incarnatione Verbi, de prædestinatione & reprobatione, de vi & efficacia Sacramentorum, de praesentia Christi in Eucharistia, de fide iustificante, de resurrectione mortuorum: & quæ similia sunt. 4. præcepta & documenta moralia de virtutibus ac vitiis. Tametsi ergo, neque in his, neque in historiis, sit fortasse magna obscuritas ex parte rerum; summa tamen est in prophetiis & mysteriis fidei. Hec enim superant humanum captum & intelligentiam. Et non percipiuntur a nobis, nisi in ænigmate, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 13.12.

26. Iam verò modus tractandi sèpe obscurus est; propter has causas. Primo, quia in Scriptura multæ sunt locutiones figuratae. Sunt enim frequentes tropi, schemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, parabolæ, quibus tanquam inuolucris multæ veritates occultantur, quæ Lectori non statim inhotescunt.

Auget hanc obscuritatem, quod aliquando unum idemque vocabulum, nunc propriè, nunc figuratè usurpetur in eadem sententia: ut Ioan. 4.13. Qui bibit ex aqua hac, sis et iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sis et in eternum. Vbi bibere ex aqua, & sitire, in priori parte sententiæ sumitur corporaliter; in posteriori, spiritualiter.

Item, in eodem cap. v. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia aliae sunt iam ad messem. Hic etiam nomen *Messis*, primùm propriè; deinde figuratè accipitur.

Item, Ioan. 9. 39. Et dixit Iesus : *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cecifiant.* Prior pars verborum intelligitur de visu corporali, posterior de spirituali.

Item 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non nōmerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Vbi peccatum priori loco sumitur propriè pro peccato, posteriori figuratè pro hostia, quæ offertur pro peccato. Nam sensus illius loci est, Deum voluisse, ut Christus, qui non peccauerat, esset hostia pro peccato totius humani generis. Vide Orig. lib. 3. comm. in Epist. ad Roman. & Augustin. li. 2. de consensu Euangelist. c. 30.

27. Secundo : Non solum occurunt figuræ in vocibus & dictionibus , vt iam ostendi, sed etiā in rebus ipsis. Nam vna res sæpe est figura, vel typus alterius rei per illam significatæ. Quo pacto Agnus Paschalisch fuit figura Christi : Mare rubrum , Baptismi: Manna Eucharistiæ: Mons Sio, Ecclesiæ. Et sic de cæteris. Hinc triplex oritur obscuritas.

Vna, quia non statim constat, quæ res cuius rei figura sit v.g. Non constaret, Agar ancillam Abrahæ, fuisse figuram Synagogæ, & Saram vxorem Abrahæ, fuisse figurā Ecclesiæ, nisi Apostolus ex instinctu Spiritus sancti id explicasset. (Galat. 4. 24.) Similiter nō constaret, virginem vigilantem , quam vidit Ieremias, significasse celerem executionem diuinæ sententiæ contra Iudæos & Gentiles, (Ierem. 1. 11.) Et ollam succensam fuisse typum Nabuchodonosoris, (Ierem. 13.) Et per Ieremiam prohibitum ducere vxorem, præfiguratam fuisse imminentem Iudææ vastitatem. (Ierem. 16. 2.) Et per calicem furoris Domini, potentiam & furorem Regis Babyloniarum, (Ieremiæ 25. 15.) Et per lumbare computræscens , interitum populi in cap

captiuitate, (Ieremiæ 13. v.1.) Et per lagunculam im-
plendam vino, habitatores Ierusalem ineibriandos vi-
no furoris Domini, (Ierem. 13.12.) Et per duos cala-
thos sicuum optimarum & pessimarum, duo gene-
ra hominum, quorum alij fælices erant, qui transmi-
grabant cum Rege ; alij miseri, qui remanebant Iero-
solymis. (Ierem. 24.2.) Et per lutum in manu figuli,
populum Iudæorum in manu Dei. (Ierem. 18.6.) Et
per catenas & vincula Ieremiæ , captiuitatem varia-
rum gentium, (Ierem. 27.2.) Et per confractiōnēm
lagunculæ testeæ, confractiōnēm populi & ciuitatis
Ierusalem. (Ierem. 19.10.) Et per quatuor bestias, qua-
tuor regna seu impēria. (Dan. 7.3.) Et per arietem,
Regem Medorum ac persarum : Per hircum, Regem
Græcorum, (Daniel 8.20.) Hæc inquam, & similia nō
constarent, nisi sigillatim à Deo essent explicata : Et
postquam explicata sunt, vix adhuc intelliguntur sine
interprete.

Altera, quia vna res aliquando est figura rerum
diuersarum, etiam repugnantium. Sic Ionas fuit ty-
pus Christi, Matt. 12. 40. *Sicut fuit Ionas in ventrè ceti*
tribus diebus & tribus noctibus ; sic erit Filius hominis in
corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Idem Ionas
fuit typus populi Iudæorum, qui Christo erant con-
trarij. Nam sicut Ionas dolebat de pœnitentia Nini-
uitarum, (Ionæ 4.1.) ita Iudæi postea doluerunt de
redemptione gentium. (Augustin. Epistol. 49. qu.6.)
Quod dixi de Iona, dicendum quoque est de Dilu-
vio, de Petra, de similibus. Nam diluvium fuit ex vna
parte figura baptismi fidelium: ex altera, supplicij in-
fidelium. (Augustin. Epist. 99. ad Euodium.) Et Petra,
qui Christus est, fuit pereuntibus lapis offenditio-
nis & scandali : credentibus verò, in caput anguli, (1. Petri
2.8. & Rom. 9.32.)

Postrema, quia aliquando fit, ut res aliqua, quæ est figura alterius, repræsentet illam in uno, & omnino dissimilis sit in alio. Quo pacto fœmina fornicaria, quam Oseas Propheta iussus est accipere in uxorem, fuit typus Synagogæ: quā in eo repræsentabat, quod sicut ipsa commiserat fornicationem carnalem, ita synagoga spiritalem, quæ in cultu idolorum consistit. At in eo discrepabat, quod ipsa postquam Oseas nupsicerat, non rediit ad carnalem fornicationem, ut multi probabiliter putant: Synagoga vero, postquam Deo fuerat reconciliata, iterum in idolatriam lapsa est.

28. Tertiò, sæpe etiam in Scriptura occurunt apparentes contradictiones, quæ Lectori magnam pariunt difficultatem. Aliquas ex iis recensebo.

1. Dicit Moses, Deum creasse cœlum & terram sex diebus, & septimo die quieuisse, Genes. 1.2. At contra, Ecclesiasticus c.18.1.dicit: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.*

2. Moses refert, filios Israël in Ægypto fuisse annis quadringentis, Genes. 15.13. Quod etiam repetit Stephanus Act. 7.8. At contra Apostolus ait fuisse annis quadringentis & triginta, Galat. 3.17.

3. Genes. 31.30. dicit Iacob Patriarcha: *Vidi Deū facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* At contra Exod. 33.20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & vivet.*

4. Exod. 20.5. dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* At contra Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Item Exod. 20.12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longeius super terram.* At contra Lucæ 14. 26. *Qui non odit patrem suum, & matrem, non potest esse meus discipulus.*

Item,

Item, Deuter. 6.1.; Dominum Deum timebis, ac per nomen eius iurabis. At contra Matth. 5.34. Ego autem dico vobis, non iurate omnino.

Item, 1. Reg. 15.11. Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem. At contra Rom. 11.19. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

Item, 3. Reg. 8.9. In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulae lapideaæ, quas posuerat in ea Moses in Horeb. At contra Hebr. 9.4. In arca erat urna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulae testamenti.

Item, Psal. 1.5. Non resurgent impij in iudicio. At contra 1. Corinth. 15.51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

Item, Psalm. 61.12. Semel locutus est Deus. At contra Hebr. 1.1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.

Item, Psalm. 115.2. Omnis homo mendax. At contra Apoc. 14.5. In ore eorum non est inuentum mendacium.

Item, Proverb. 6.6. Vade ad formicam ô piger, & disce sapientiam: quæ parat in æstate cibum suum; & congregat in messe, quod comedat. At contra Matth. 6.34. Nolite solliciti esse in crastinum.

Item, Proverb. 22.28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. At contra Ezech. 20.18. In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis.

Item Proverb. 26.4. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. At contra ibidem: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

Item, Sap. 1.13. Deus mortem non fecit. At contra Ecclesiast. 11.14. Bona & mala, vita & mors, paupertas

& honestas à Deo sunt.

Item, Sapient. 11.25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odiisti eorum, quæ fecisti.* At contra Rom. 9.13. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Item, Ecclesiast. 10.15. *In iiii omnis peccati est superbia.* At contra 1. Timoth. 6.10. *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Item, Ecclesiast. 12.6. *Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari.* At contra Lucæ 6.30. *Omni petenti te, tribue.*

Item, Ecclesiast. 24.28. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* At contra Ioan. 4.13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Item, Ionæ 3.4. *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* At contra Ionæ 4. v.11. *Ego parcam Niniue ciuitati magna.*

Item, Matth. 10.8. *Gratis accepistis, gratis date.* At contra Lucæ 10.7. *Dignus est operarius mercede sua.*

Item, Matth. 10.10. *Nihil tuleritis in via, non perā, neque calceamenta, neque virgam.* At contra Marci 6.8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgā tantum.*

Item, Matth. 17.1. *Post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* At contra Luc. 9.28. *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, &c.*

Item, Matth. 18.15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* At contra 1. Timoth. 5.20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.*

Item, Marci 10.19. *Nemo bonus, nisi unus Deus.* At contra Lucæ 6.45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

Item,

Item, Marci 16.15. Prædicate Euangelium omni creature. At contra Matth.10.5. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed ite ad oves, quæ perierunt domus Israël.

Item, Lucæ 22.28. Vos estis, qui permanistis mecum in temptationibus meis. At contra Matth.26.31. Omnes vos scandalum patiemini in me.

Item, Ioan.5.31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. At contra Ioan. 8.14. Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.

Item, Ioan.5.34. Ego testimonium ab homine non accipio. At contra Ioan.15.v.27. Et vos testimonium perhibebitis de me.

Item, Ioan.6.55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. At contra ibidem: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam.

Item, Ioan.15.15. Omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. At contra Ioan.16.12. Adhuc multa habeo vobis dicere.

Item, Ioan.20.1. Maria Magdalene venit ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent. At contra Marci 16.2. Venit ad monumentum, orto iam Sole.

Item, Rom.2.25. Circuncisio quidem prodest, si legem obserues. At contra Galat.5.2. Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.

Item, Rom.3.28. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus. At contra Iacob.2.20. Fides sine operibus mortua est. Et ibidem: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.

Item, Rom.9.16. Voluntati eius quis resistit? At contra Act.7.51. Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & Patries vestri.

Item, Rom.11.34. *Quis cognouit sensum Domini?*
At contra 1.Corinth.2.16. *Nos autem sensum Christi
habemus.*

Item, 1.Cor.13.3. *Si distribuero in cibos pauperum
omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, ni-
bil mihi prodest.* At contra Lucæ 11.41. *Date eleemosy-
nam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Item, 1.Corinth.15.22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* At contra Ioan.5.21. *Filius, quos vult, vivificat.*

Item, Galat.1.10. *An quero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* At contra 1.Corinth.10.33. *Sine offensione estote, sicut & ego per omnia omnibus placebo.*

Item, Galat.6.v.2. *Alter alterius onera portate.* At contra ibid.v.5. *Vnusquisque onus suum portabit.*

Item, 1.Timoth.5.16. *Déus habitat lucem inaccessibilem.* At contra Psalm.33.6. *Accedite ad eum, & illu-
minamini.*

Item, 1.Ioan.1.8. *Si dixerimus, quoniam peccatum
non habemus, ipsi nos seducimus.* At contra 1.Ioan.3.9.
Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.

Hæ & similes apparentes contradictiones, quæ passim in Scriptura occurunt, saepè remorantur Le-
torem, & negotium facessunt, etiā viris doctissimis.
Testantur hoc antiqui Patres, qui in huiusmodi cō-
tradictionibus conciliandis multū operæ posuerunt,
ut Augustinus in libris de consensu Euangeliarum,
& alij præterea, qui Scripturam interpretati sunt.
Quorum labores si ad nos non peruenissent, in ma-
gnis adhuc tenebris versaremur.

Atque hæc sit tertia causa obscuritatis Scripturæ.

29. Quarta est, quod verba Scripturæ saepè effi-
ciant

ciant ambiguum sensum, ex defectu distinctionis. Nam aliquando, ubi distinctione opus est, nulla adhibetur distinctio. Quod sit in his fere casibus. 1. Quando agitur de Deo. 2. Quando de Christo. 3. Quando de aduentu Christi. 4. Quando de Ecclesia. Nam in Deo spectari potest, vel unitas essentiae, vel trinitas personarum. In Christo, vel humana natura, vel diuina. Aduentus Christi duplex est: alter in nativitate; alter in die iudicij. Ecclesia similiter, vel militans est in terra, vel triumphans in cœlo. Cùm ergo Scriptura loquitur vel de Deo, vel de Christo, vel de aduentu Christi, vel de Ecclesia; sæpe dubium & obscurum est, quo sensu de illis loquatur: An scilicet de Deo, quatenus est unus in essentia, an quatenus est trinus in personis? An de Christo, quâ Deus, an quâ homo est? An de primo ipsius aduentu, an de secundo? An de Ecclesia militante, an de triumphante? De singulis dabo exemplum.

30. *De Deo loquitur Scriptura. Matth. 6. ver. 9.*
Pater noster, qui es in celis. Dubium est, an loquatur de Deo, quoad unitatem essentiae, an quoad distinctionem personarum? Vel, ut proponunt Scholastici: An nomen Patris sumatur ibi essentialiter, quatenus est commune tribus personis? An personaliter, quatenus est conuenit soli primæ personæ? In utraq; partem autores sunt. Verisimilius tamen est, sumi essentialiter.

Quod ex verbis illis Christi colligi potest; Ioan.
20. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.*
Vbi utraq; modo sumitur. Nam Pater Christi, quoad æternam generationem, est prima persona diuina, quatenus distinguitur à Filio & Spiritu sancto. Noster autem Pater, quoad creationem, gubernationem, & adoptionem, est tota Trinitas, quatenus est

vnum Deus. Itaque cum ait: *Ascendo ad Patrem meum,* loquitur de sola prima persona, cum addit: *Et Patrem vestrum,* loquitur de tribus personis, quatenus sunt vnum in essentia.

31. De Christo fit metio, Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturae: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: Et ipse caput corporis Ecclesiae, primogenitus ex mortuis, &c.* Hic etiam dubium est, an haec intelligi debeant de Christo secundum diuinitatem, an secundum humanitatem? Multi volunt, aliqua priori, alia posteriori modo intelligi oportere. Quibus assentior. Nam Christus, secundum diuinitatem, est imago Dei Patris: Et per ipsum, ac in ipso creata sunt omnia. At secundum humanitatem est caput Ecclesiae, & primogenitus ex mortuis. Utique sensu potest dici *primogenitus omnis creaturae*, iuxta varias interpretum explicationes, ut videre est in Commentatio illius loci.

32. De aduentu Christi sermo est, Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Et hic quaestio est, an sermo sit de priori aduento, qui factus est in nativitate; an de posteriori, qui fiet in die iudicij? Si spectemus particulam, *Iterum*, videtur esse sermo de posteriori: si alias circumstantias, de priori. Videantur interpres.

33. De Ecclesia scribit Apostolus, Galat. 4. 26. *Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra. Scriptum est enim: Latare sterilis, quae non paris: erumpere & clama, quae non parturis, quia multi filii deserterae, magis quam eius, quae habet virum.* At difficultas est, an loquatur de Ecclesia militante, an triumphante? Quae difficultas habet etiam locum alibi, ut Hebr. 12. 22.

Accessisti ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & Ecclesiam primitiorum. Et Eph. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & scipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.*

34. Ad hoc genus obscuritatis potest etiam reuocari, quod quæ in Scriptura dicuntur de Christo, aliquando intelligantur de capite Ecclesiæ, quod est Christus; aliquando de corpore seu membris Ecclesiæ; aliquando de yrtoque, ut notat August. lib. 3. de doctrina Christiana c. 31.

De capite Ecclesiæ intelligitur illud Math. 28. 20. *Ecce ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Vbi Christus tanquam caput Ecclesiæ, promittit corpori & membris illius, perpetuam suam assistentiam, protectionem, & gubernationem.

De corpore seu membris Ecclesiæ, intelligitur illud Actuum 9. 4. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Non enim Saulus persequebatur personam Christi, (quia Christus iam erat in cœlo, vbi eum persequi non poterat,) sed discipulos Christi, qui erant membra Ecclesiæ. Item illud Zachar. 2. 8. *Post gloriam misit me ad gentes.* Vbi Christus loquitur in persona Apostolorum. Q. D. Pater meus cœlestis mittet me, id est, Apostolos ad conuersionem gentium. Sed quando mittet? *Post gloriam,* id est, postquam in resurrectione & ascensione ostendero meam gloriam & divinitatem. Eodem sensu, Augustinus in expositione Psal. 147. interpretatur illud Matthæi 24. v. 23. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Putat enim per Christum intelligi Ecclesiam Christi. Verba eius sunt hæc: *Exurgent pseudo-Christi &*

pseu

pseudopropheeta, & dicent: Ecce hic, & ecce illic: Non enim de ipso capite dicent: Ecce hic, & ecce illic: (certum est enim quod Christus in cœlis est) sed de Ecclesia. Et ex hoc loco contutat Donatistas, qui dicebant: Ecce hic in Africa est Ecclesia, & non alibi.

De utroque intelligitur illud Isaiae 61. 10. *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam coronatam monilibus suis.* Vbi Christus nominatur sponsus & sponsa, id est, caput & corpus. Et Psal. 1. vers. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt aduersus Dominum, & aduersum Christum eius.* Quod in capite impletum est, & quotidie impletur in membris.

35. Quinta causa obscuritatis est, quod saepè in Scriptura, vbi minimè putamus, subito fiat transitus de sensu litterali ad mysticum, de carnalibus ad spiritualia, de temporalibus ad æterna, de Regibus Israël ad Regem Christum: Et è contrario. Hoc maxime fit in Psalmis & Prophetis, ut videre est cap. 7. Isaiae, vbi ab historia duorum Regum (quorum alter erat Rasin Rex Syriæ; alter Phacee Rex Israël) statim fit transitus ad B. Virginem. *Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuēl.* Et cap. 14. vbi à Rege Babylonis fit transitus ad Luciferum. Et Psal. 71. vbi à Salomone fit transitus ad Christum. *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Et Ioann. 6. vbi à panibus hæreacis fit transitus ad panem Eucharisticum seu Sacramentalem. Et alibi saepè. Vide D. Hietonymum lib. 5. in Isaiam c. 16. & nostrum Riberam in cap. 1. Oseæ, v. 34.

36. Sexta est, quod in historijs Scripturæ, saepè non seruetur ordo rerum gestarum. Item, quod saepè supputatio annorum non appareat liquida. Denique quod saepè citentur libri, qui quidem si exstant, mul-

multum lucis adferrent Lectoris, sed quia non exstat, relinquunt ambiguū & suspensum. Cuiusmodi libri sunt hi:

1. Liber bellorum Domini. (Num. 21.14.)
2. Liber iustorum, Iosue 10.13.
3. Liber verborū dierum Salomonis. 3. Reg. 11.41.
4. Liber sermonum dierum Regum Iuda & Regum Israēl. 3. Reg. 14. & deinceps.
5. Liber Samuēlis Videntis de rebus à Davide gestis. 1. Paralip. 29.29.
6. Liber Nathan Prophetæ de iisdem rebus. Ibid.
7. Volumen Gad Videntis. Ibidem.
8. Liber Nathan Prophetæ de rebus à Salomone gestis. 2. Paralip. 9.29.
9. Liber Ahiæ Silonitis de iisdem, ibidem.
10. Visio Addo Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. Ibidem.
11. Historia Regum Israēl, conscripta à Iehu, filio Hanani. 1. Paralip. 20.34.
12. Historia Oziæ Regis, conscripta ab Isaia filio Amos. 2. Paralip. 26.22.
13. Sermones Hozai, de rebus Manasse. 2. Paralip. Paralip. 33. 19.
14. Lamentatio Ieremiæ in funere Iosia Regis. 2. 35.25.
15. Volumen Ieremiæ de euersione vrbis, & captiuitate populi. Ierem. 36.6.
16. Liber Ieremiæ de vastatione Babylonis. Ierem. 51.60.
17. Liber dierum sacerdotij Ioannis Hyrcani. 1. Machab. 16.24.
18. Descriptiones Ieremiæ Prophetæ, 2. Machab. 2. 1.

19. Liber Henoch. In epistola Iudæ Apostoli.

37. Præter has causas sunt plures aliæ, quas obiter attingam. 1. Quod aliquando connectantur sententiæ, inter quas vel connexio non est, vel non apparet. 2. Quod sæpe occurrant Hebraismi, qui à paucis intelligi possunt. 3. Quod sæpe non videatur aptè responderi ad quæstionem propositam. 4. Quod sæpe verba ambigua sint, ut ægrè discerni queat, quo sensu accipi debeant. Ut 1. Corinth. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id, quod positum est Christus Iesus: Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamquam quasi per ignem.

38. Hic locus plane difficillimus est. 1. Quia non satis constat, quid intelligendum sit per aurum, argentum, fœnum, stipulam. 2. Quid per diem Domini. 3. Quid per ignem. 4. Quid sit ardere & detrimentū pati. Denique, quid sit, saluum fieri quasi per ignem. Vnde Augustinus in libro de fide & operibus, c. 15. disertè scribit, hunc locum esse vnum ex ijs, de quibus loquitur Petrus in posteriori Epistola cap. 3. v. 16. cum ait: In Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu.

39. Äquè obscurum est illud 1. Corinth. 15. 29. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut & quid baptizamur pro illis? Non enim facile est explicare, quid hoc loco significet, Baptizari; Item, quid pro mortuis baptizari. De qua re extant sex diuersæ opiniones apud Bellar. l. 1. de Purgat. c. 4.

40. Simi

40. Similiter illud Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt rursum renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibi meti ipsi Filium Dei.*

Quæ verba obscurissima sunt, & ex illis male intellectis orta est hæresis Nouatianorum, tempore Cypriani, qui dicebant, lapsis non esse dandam pœnitentiam, nec veniam; ideoque Catharos, id est, pueros, ac mundos se appellabant.

Atque hæc sufficient de causis, propter quas Scriptura, quoad verum & legitimum sensum, saepè difficultis ac obscura est. At hinc oritur alia quæstio, quæ etiam paucis explicabitur.

Cur Deus voluerit Scripturam esse obseuram?

41. **H**ic merito quæsti potest, cur Scriptura, quæ alioqui ex parte rerum ac mysteriorū, quæ tractat, valde obscura est; adhuc obscurior facta sit ex modo tractandi, Deo sic volente & disponente? cur non potius eodem volente & disponente factum est, ut mysteria, quæ ipsa per se obscura sunt, tam clarae proponerentur, ut ab omnibus intelligi possint? variæ sunt rationes, ex iis aliquas attingam.

42. Prima ratio. Deus sicut in aliis rebus, ita etiā in Ecclesia, voluit seruari ordinem, vitalij essent, qui docerent: alij qui discerent. At hic ordo non seruatur, si Scriptura esset tam clara, ut ab omnibus intelligi & explanari possit. Quo spectat illud Ephes.

4. II. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus*

ministerij, in edificationem corporis Christi, id est, Ecclesiae. Et 1. Corinth. 12. 29. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? quālī dicat: Minimè. Aliorum est docere & interpretari; aliorum discere & auscultare. Quod ibidem pulchra declaratur similitudine, quæ ab humano corpore sumpta est. Nam sicut in humano corpore multa sunt membra, & non omnia eundem actum seu officium exercēt: ita in Ecclesia, quæ est corpus Christi, multi sunt fideles, & non omnes eandem à Deo gratiam & operationem habent. Nam vni datur sermo sapientia, alteri operatio virtutum, alijs discretio spirituum, alijs interpretatio sermonum. Et ut alibi loquitur idem Apostolus, unicusque sicut Deus diuisit mēsuram fidei. (Rom. 12. 4.) Vnde ibidem addit. Di-
eo omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quā im oportet sapere. Quod perinde est, ac si dicat: sicut oculi non usurpant sibi officium audiendi, nec aures, videndi, nec brachia, ambulandi; nec pedes, comedendi; quia hoc illis à natura concessum non est: ita in Ecclesia, non omnes debent usurpare officium docendi, nec omnes Scripturam interpretandi, nec omnes ministracula operandi, scilicet quia hoc esset plus sapere, quam oportet sapere. Sed quisque facit, aut facere debet quod ipsi à Deo in divisione gratiatum datum est.

43. Contra hunc ordinem ac diuinam ordinationem peccant aduersarij, qui omnibus, etiam laicis & mulierculis permittunt libertatem legendi, & interpretādi Scripturam, cùm ad hoc officium à Deo minime vocati, ac proinde nec idonei sint. Et eo res iam rediit, vt nullus fere sit capo, aut fassor, aut chirurgus (sive Lutheranus, sive Calvinista) qui non

putet , suo marte Scripturam intelligere aut interpretari se posse ; ideoque alterius ope vel instructione non indigere . Audiant illud Apostoli prima Corinthiaca 12. v. 21. *Non potest oculus dicere manui : Opera tua non indigeo : Aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarij.*

44. Audiant & illud 1.Timoth.2.11. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Et 1.Cor.14.34. *Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse; si quid autem volunt discere, domini viros suos interrogent.* Quare hoc ? ut seruaretur ordo à Deo in Ecclesia constitutus. Nunquid omnes doctores ? nunquid omnes interpretantur ? Non : sed diuisiones gratiarum sunt. Vnde consequens est, mulierculas quæ multa garriunt ex Scripturis , & suam sententiam in controuersiis fidei ferre non erubescunt , stultissimè sibi arrogare , quod non habent. In qua re imitantur suam Euam , quæ in Paradiso nō potuit tacere , sed tacente viro , cœpit disputare cum serpente , & statim ab eo victa & decepta est. (1.Tim. 2.14.) Atque ipsa deinde suum virum decepit. (Gen.3. 6.) multæ hoc tempore sunt filiæ Euæ, quæ idē faciūt.

45. Secunda ratio. Si Scriptura esset facilis , non tantum intelligeretur à fidelibus , qui sunt in Ecclesia , sed e iam ab infidelibus , qui sunt extra Ecclesiam ; Et sic paulatim maiestas & authoritas ipsius labefactaretur. Hoc sensu accipi potest illud Matth. 7. 6. *Nolite dare sanctum canibus , neque mittatis margaritas vestras ante porcos , ne forte conculcent eas pedibus suis:* ut interpretatur D.Thomas in 1.p.q. 1.ar.9.ad 2, & Augustin. (vel quisquis author ille est) hom. 7. in Apocalyp.

46. Tertia : Si Scriptura esset facilis & perspicua, non solum apud infideles, sed etiam apud Christianos esset in minori aestimatione , quam par est. Imo non paucis esset occasio superbiæ & arrogantiæ. Nam si viderent omnia, quæ de altissimis mysteriis disputatur, plana & obvia sibi esse; sine dubio magni se facerent , & suo ingenio ac industria putarent omnia comprehendere se posse. Nunc contra fit. Vident tantam esse Scripturæ obscuritatem, ut suis viribus superrare eam non possint; ideoque & aliorum instructio ne indigere se sentiunt & ad Deum serio confugiunt, ut oculos ad videndum aperiat , & mentem illuminet , & mysteriorum arcana patefaciat. Hoc fecit Dauid Psalm. 118. 18. *Reuelo oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et infr. v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Et rursus v. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum , & doce me iustificationes tuas.* Et meritò; quia Scripturæ sensus non potest haberi, nisi ab eo , qui Scripturæ author est : At author Scripturæ est Spiritus sanctus , & ideo Scriptura vocatur verbum Dei : Ergo non nisi à Spiritu sancto potest haberi illius sensus. Quo spectat illud 2. Petri 1. 20. *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Causam addit : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

47. Atque hinc fit , ut homines elati ac superbi, qui suo iudicio prudentes sunt , & proprio ingenio multum tribuunt, non assequantur legitimum sensum; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et hoc est , quod ait Christus in Euangeliō, Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater , quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis.*

Et

Et Apostolus Rōman. 1.22. Dicentes se esse sapientes,
stulti facti sunt.

Ex Scripturæ obscuritate necesse est oriri
multas controuersias apud
Christianos.

48. **H**oc est alterum principium ex iis, quæ sū-
pra à me posita sunt §.21. Nec indiget alia
confirmatione, quam quotidiana experientia. Con-
stat enim omnibus sæculis, à tempore Apostolorum
ad nos usque, semper ortas fuisse aliquas controuer-
sias de legitimo Scripturæ sensu. Et ut raseam de iis,
quæ tempore Arij, Macedonij, Donati, & aliorum
veterum hæreticorū excitatae sunt, certè nostro hoc
tempore propè infinitæ occurruunt, ex quibus aliquas
insinuabo. Verbi gratia controuersia est.

1. Quo sensu intelligenda sint Christi verba: *Hoc
est corpus meum.* Lutherani sic intelligunt: Hic panis
est corpus meum. Caluinistæ sic: Hic panis significat
corpus meum. Catholici ab utrisque dissentunt.

2. Quomodo intelligendum illud Ioan. 3.5. *Nisi
quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest
introire in regnum Dei.* Catholici & Lutherani intel-
ligunt de necessitate Baptismi aquæ; & inde colli-
gunt, infantes sine Baptismo saluari non posse. Cal-
uinistæ hæc omnia negant.

3. Quo animo Christus locutus sit, cum adole-
scenti Euangelico dixit Matth. 19.17. *Si vis ad vitam
ingredi, serua mandata.* Caluinus ironice dictum esse
interpretatur; Catholici, seriò.

4. An ex verbis illis, Ioan. 20.26. *Venit Iesus iannus*

clausis, & stetit in medio eorum; colligi possit, Christum ianuas clausas penetrasse. Affirmant Catholici. Negant alij. Et quidem Oecolampadius putat, illum, dum ianuæ essent clausæ, per fenestram irrepsisse. Alij, nescio quas rimas comminiscuntur.

5. An Christus, Ioan. 6. 54. loquatur de Sacramento Eucharistie, cum ait: *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Affirmant Catholici: Negant Lutherani.

6. An Christus obliget omnes Laicos ad sumptionem calicis, cum ait, Matth. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Affirmat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 47. Edictum, inquit, æterni Dei est, ut omnes bibant. Et §. 48. Precipientis verba sunt, *Bibite ex hoc calice omnes.* Catholici docent, ad solos Apostolos pertinere illa verba, ut declarat Marcus cap. 4. 24. cum ait: *Et biberunt ex eo omnes.*

7. An peccatum propriè sumatur apud Apostolum Rom. 6. 12. *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali.* Affirmant Lutherani & Caluinistæ; & inde colligunt concupiscentiam, de qua ibi loquitur Apostolus, esse peccatum originale. Catholici docent, nomen peccati impropriè ibi sumi, pro causa peccati; quia concupiscentia, licet propriè peccatum non sit, instigat tamen ad peccatum.

8. An ex illo loco, Rom 3. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis,* colligi possit, solam fidem iustificare. Affirmant Lutherani: Negant Catholici.

9. An illud Apostoli, 1. Cor. 3. 15. *Ipse autem salvus erit, sic tamē quasi per ignem,* intelligi possit de igne Purgatorio? Affirmant Catholici cum Augustino in Psal.

Psal.37. & aliis antiquioribus. Negant Lutherani & Calvinistæ.

10. An Apostolos habuisse vxores, colligi possit ex illo 1.Corinth.9.5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli?* Affirmant Lutherani ex glossa Lutheri, quæ sic habet: *mulierem circumducendi uxorem.* Sed Catholici non admittunt hanc glossam.

11. De qua fide loquatur Christus, Lucæ 8.50. *Crede tantum, & salua erit.* Lutherani interpretantur de fide iustificante, cuius effectus est remissio peccati. Catholici de fide, quâ Iairus Princeps Synagogæ, credebat, filiam suam, quæ iam erat mortua, à Christo resuscitari posse.

12. Quis sit sensus illius loci, Isaiæ 41.23. *Bene aut male, si potestis, facite.* Lutherus ex hoc loco probat, homines non habere libertatem arbitrij; quia non possunt bene aut male facere, pro arbitrio. Catholici rident hoc argumentum, quia non est ibi sermo de hominibus, sed de idolis gentium, quæ tametsi collantur à gentibus, quasi dij essent, non tamen sunt dij, quia non possunt suis cultoribus prodeesse, nec contemptoribus nocere.

13. An ex eo, quod de Ioanne Baptista scriptum est, Luc.1.44. *Exultauit in gaudio infans in utero meo:* conuinci possit, omnes infantes, dum baptizantur, habere fidem actualem? Affirmant Lutherani: negant Catholici.

14. An Deus præceperit omnibus matrimonium, cum dixit: Genes.1.28. & Genes.9.1. *Crescite & multiplicamini?* Lutherani volunt illis verbis cōtineri præceptum de matrimonio contrahendo: Catholici vero, benedictionem pro matrimonio iam ante con-

tracto, ut patet ex ipso contextu, Genes. 9. 1.

15. An iste locus, 1. Tim. 2. 5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: excludat inuocationem & intercessionem Sanctorum in cælo.* Affirmant aduersarij: Nos negamus, quia non excludit inuocacionem Sanctorum in terra. Alioqui Apostolus non dixisset, 1. Thessal. 5. 25. *Fratres, orate pro nobis.*

16. Qui sint illi duo testes, de quibus fit mentio in Apocal. cap. 11. 3. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabūt diebus mille ducentis sexaginta, amicti fuscis.* Aliqui ex aduersariis intelligunt Lutherum & Caluinum: alij, vetus & nouum Testamentum: Catholici verò, Henoch & Heliā, vel certè Mosen & Heliam.

17. Quid significet, quod de Antichristo scriptū est, Apocal. 13. 13. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de celo descendere.* Aduersarij per ignem de cælo descendedentem intelligunt excommunicationem Papalem, ut Pouelus Caluinista lib. 1. de Antichristo, cap. 26. & Balduinus Lutheranus in disputatione de Antichristo, cap. 6. ut hoc modo probent, Papam esse Antichristum. Catholici contemnunt has ineptias.

*Iudex harum controuersiarum non potest
esse Scriptura.*

49. Certe quidem est, in his & similibus controuersiis, quę versantur circa sensum Scripturæ, opus esse aliquo iudice, qui eas dirimat, & clare pronunciet, hunc esse legitimum sensum, illum non esse. At hunc iudicem non posse esse Scripturam ipsam, duobus argumentis euidenter demonstrabo.

Primum sumitur ex dictis in hunc modum: Iudex debet clare pronunciare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit; alioqui frustra illam promulgaret: At Scriptura, quando sensus ipsius obscurus & ambiguus est (quod saepè fit, ut supra ostendi §. 22. & sequentibus) non potest clare pronunciare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit. Si enim in tali casu clare pronunciaret sententiam, iam sensus ipsius non esset obscurus, sed clarus, quod est contra suppositionem. Ergo in tali casu non potest esse iudex.

50. Dices? Tametsi sensus Scripturæ in uno loco aliquando obscurus est, tamen in alio potest esse clarus: ac proinde Scriptura per illum locum qui clarus est, potest ferre sententiam de alio, qui obscurus est.

R E S P O N D E O. Hoc quidem obtendunt aduersarij: sed frustra. Nam primo, si ita est, cur ipsi per hanc viam non finiunt controvierias, quas inter se habent? cur, inquam, Lutherani & Caluinistæ, cum altercantur de aliquo Scripturæ loco, qui obscurus est, non recurrunt ad alium, qui clarus est? Aut, si id faciunt, cur nullus altercandi apud illos est finis? Hic hærent.

51. Deinde, aliud est verba Scripturæ esse clara: aliud, sensum Scripturæ esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione Grammaticæ: claritas autem sensus, ex intentione & consilio Spiritus sancti. At saepè fit, ut aliquis habeat sufficientem cognitionem Grammaticæ, & tamen nesciat intentionem Spiritus sancti. Ergo in tali casu, verba Scripturæ poterunt esse clara, non tamen sensus verborum, qui à Spiritu sancto intenditur, erit clarus. Hoc

ostendam in exemplo. Verba Christi in Scriptura sunt hæc : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus.* Quæ verba, si natuam illorum significationem spe-
tates, sunt clara & perspicua ; & ab omnibus nō modo Christianis, sed etiam Iudæis, Turcis, & Ethnicis intelligi possunt. At de sensu illorum, qui à Spiritu sancto intentus est, infinitæ prope apud Christianos controuersiae sunt. Simile est de illis verbis apud Ioannem : *Maria Magdalene venit ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent.* Itémque de illis apud Marc. *Venit ad monumentum orto iam Sole.* Quid clarus & rotundius dici potuit ? Et tamen, quia priora videntur pugnare cum posterioribus, merito dubitari solet, quis germanus illorum sensus sit, & quomodo conciliari inter se possint ac debeant.

52. Addo, non raro etiam fieri, ut idem locus Scripturæ, quem una pars litigantium putat clarum & perspicuum esse, ab altera censeatur esse obscurus ac intricatus. Quid in tali casu, facto opus est ? Aut quis iudex adhibendus : Scriptura certè pro iudice adhiberi non potest. Nam de illius sensu & sententia controuersia est ; cum alij claram, alij obscuram esse contendant : Et ab aliis in hanc, ab aliis in aliam partem distrahitur. Quid ergo consilij ? sine dubio, aliis iudex quærendus est. Verbi gratia : Lis inter nos & Calvinistas est de vero ac locali descensu Christi ad inferos, quem illi negant, nos astruimus. Et utrum dupli testimonio. Altero ex Symbolo fidei ; *Descendit ad inferos.* Altero ex cap. 2. Act. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Utrumque dicimus clarum & perspicuum esse. Calvinistæ de vero que negant : & obscurissima sua interpretatione, utrumque faciunt obscurissimum. Ac prius quidem inter

interpretantur hoc sensu: *Descendit ad inferos, id est, pertulit in cruce diros cruciatus damnati ac perditi hominis, ut coactus fuerit, urgente angustia, exclamare: Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ita Caluinus lib. 2. Institut. cap. 16. §. 10. & 11. & Catechismus Heidelbergensis, quæst. 44. Posterius autem, hoc sensu: *Non derelinques cadauer meum in sepulchro.* Ita Beza in Commentario. Quid hic agendum? Aut quem iudicem compellabimus? Si Scripturam consulimus, nihil aliud ipsa dicet, quam quod antea dixit: Nullum iota, nullum apicem additura est. De eo autem, quod antea dixit, cōtrouersia est: Ergo per id, quod antea dixit, controuersia finiri non potest. Si ergo post ortam controuersiam, Scriptura nihil noui dicit, sed manet in antiquis terminis, certè per illam finiri lis non potest; sed necesse est, vel alium iudicem adire; vel alteram partem litigantium sponte cedere; vel denique vtramque in lite perseuerare.

53. Alterum argumentum. Multa sunt testimonia Scripturæ, quorum verus ac legitimus sensus haberi non potest, nisi ex traditione & autoritate Ecclesiæ: Ergo si oriatur controuersia circa eiusmodi testimonia, sola Scriptura non potest esse iudex, sed oportebit confugere ad traditionem & autoritatem Ecclesiæ. Verbi gratia. Christus dicit, Matth. 28. 19. *Doce te omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Sensus verus & legitimus est, quod in Baptismo pronunciari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* Et quod Baptismus sine tali verborum pronunciatione non sit validus. In hoc consentiunt nobiscum aduersarij. At si aliquis negaret hunc esse sensum, & diceret,

non

non esse opus pronunciare hæc verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; sed sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem & intentionem baptizandi in nomine sanctissimæ Trinitatis; quomodo illum confutaremus? An ex solis Scripturæ verbis? Nihil minus. Nam illa verba, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non dicunt, vocalem Trinitatis inuocationem adhiberi oportere. Vnde ergo constat oportere? Ex praxi & traditione Ecclesiæ. Si hanc respuis, non habebis ullum præsidium contra aduersarium, qui negaret, vocalem prolationem necessariam esse.

54. Aliud exemplum. Christus dicit, Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic locus, secundum verum ac legitimum sensum, intelligitur de necessitate Baptismi aquæ, ut nobiscum fatentur Lutherani. At Calvinistæ hoc negant. Quomodo ergo refelli poterunt à Lutheranis? Non certè ex verbis citatis. Nam tametsi nominetur ibi aqua; non tamen additur expresse, quod debeat intelligi vera aqua. Nam & alibi nominatur ignis, ut Lucæ 3. 16. *Ipse vos baptizabit in spiritu & igni,* & tamen non intelligitur verus ignis. Vnde ergo constabit in priori loco, veram aquam intelligi oportere? Aut vnde Lutherani contra Calvinistas id probabunt? Non aliunde quam ex praxi & traditione Ecclesiæ.

55. Aliud: Christus in ultima cœna non solum instituit Eucharistiam, sed etiam lotionem pedum adhibuit. Et quidem in institutione Eucharistiae dixit: *Comedite, Bibite.* In lotione autem pedum: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Hic aduersarij dicūt, priora verba continere præceptum; posteriora non item:

item. Ac proinde fideles diuino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie; non tamen ad lotionem pedum. Nunc quero, vnde hoc ipsius constet? aut quo prætextu existiment se teneri quidem ad sumptionem utriusque speciei, sed tamen liberos esse à lotione pedum? Non possunt prætexere Scripturæ verba. Nam illa contrarium potius præ se ferunt. Hęc enim, *Comedite, & Bibite*, non plus videntur significare, quam si Paterfamilias dicat suis hospitibus: Comedite, bibite, læti estote. At si Paterfamilias ita loqueretur, non censeretur illos velle sub præcepto obligare. Cum ergo Christus eodem modo locutus sit, vnde constabit, eum voluisse nouio præcepto obligare omnes fideles ad utramque speciem? Hęc autem verba, *Vos debetis alter alterius lauare pedes*, videntur significare præceptum, non minus, quam si Dominus dicat seruo: *Tu debes mensam parare*. Vnde igitur sciunt, se his verbis non obligari ad lauandos pedes, cum tamen hęc verba obligationem præ se ferant? Ex sola praxi & traditione Ecclesiæ: Nam Ecclesia nunquam usurpauit hanc lotionem, tanquam necessariam; quod tamen fecisset, si diuino præcepto putasset se ad illam obligari.

56. Omitto similia exempla, quæ passim occurunt. Et ex dictis concludo in hunc modum: Scriptura potest dupliciter spectari, 1. quoad externam literam. 2. quoad internum sensum, qui à Spiritu sancto intentus est. Neutro modo potest esse Iudex controversiarum. Non priori, quia externa littera sāpe ducit in errorem. Nec posteriori, quia sensus Scripturarū sāpe obscurus & ambiguus est, ita ut opus sit alio Iudice, qui definiat hunc esse legitimum & à Spiritu sancto intentum; illum non esse. Atque hęc suffici-

ciant de secundo argumento, quod ex parte Scripturæ desumptum est.

III. ARGUMENTVM.

Ex parte controvèrsiarum.

57. **H**oc argumentum sic propono : Multæ sunt controvèrsiæ circa fidem & religionē, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certe non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit : Ergo in ijs dirimendis alius Iudex quærendus est. Eiusmodi autem controvèrsiæ sunt hæc.

58. Prima: An libri Tobie, Iudith, Sapientie, Ecclesiastici, & Machabæorum sint canonici & diuini, nec ne? Negant Lutherani & Caluinistæ. Nos affirmamus. At quis erit Iudex, qui litem hanc dirimat? Scriptura esse non potest. Nec Lutherani & Caluinistæ, quod bene notandum est, ad Scripturam prouocant, sed ad Canonem & Traditionem Iudeorum. Aiunt libros istos in Canone Hebreorum, qui exstat apud Hieronymum, non reperiri; ideoque pro canoniceis ac diuinis haberi non posse. Fatentur igitur, alium in hac causa Iudicem, quam Scripturam, esse oportere. Et quem illum? Traditionem Iudeorum. Mira res. Pluris Iudeos, quam Christianos faciunt: Et cum ipsis Christiani esse velint, Christi & Apostolorum Traditionibus infestissimi sunt, & Iudeorum Traditionem in pretio habent. Cur non dicunt cum Augustino lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. *Machabæorum libros non Iudei, sed Ecclesia pro canoniceis habet?* Et cum Isidoro in lib. Proœmiorum de libris veteris

teris ac noui Testamenti. *Hebrei non recipiunt libros Tobiae, Iudith, & Machabaorum; Ecclesia tamen eosdem inter canonicas Scripturas enumerat.* Et ibidem: *Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis canoniciis libris tenere noscuntur auctoritatem,*

59. Secunda: Quot sint Sacra menta nouæ legis? Aduersarij dicunt esse duo, Baptismum & Eucharistiam: Catholici, septem. Quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit: ac proinde iudex in hac controuersia esse non potest. Vnde ergo Catholici habent septenarium, si ex Scriptura non habent? Ex Traditione & consensu Ecclesie. Vnde aduersarij binarium? Hoc ipsi viderint. Certe ex Scriptura non habent. Aut si putant se habere, speciatim praestent haec tria. Primo, ostendant ex Scriptura, nomen Sacramenti tribui Baptismo & Eucharistiæ; non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Matrimonio, Extremæunctioni. Secundo, ex eadem Scriptura definiant Sacramentum. Tertiõ, demonstrent, definitionem conuenire Baptismo & Eucharistiæ: non autem reliquis. Haec si praestiterint, salua res est. At nunquam praestabunt.

60. Ac primo, vbi inuenient locum Scripturæ, in quo nomen Sacramenti tribuitur Baptismo & Eucharistiæ? Nusquam. At ego inueniam, vbi tribuitur Matrimonio. Sic enim scribit Apostolus, Ephes. 5.31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrē suam, & adhæredit uxori sua, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est.* Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Q. d. *Quod homo relinquat parentes suos, & adhæreat uxori, hoc est magnum Sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, id est representat coniugium Christi & Ecclesie.*

61. Se

61. Secundo, vbi inuenient definitionem Sacra-
menti in Scriptura? Lutherus quidem in lib. de cap-
tivitate Babylonica, capite ultimo, sic definit: *Sacra-
mentum est promissio signo externo annexa*, Melanchtho
in Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13. sic: *Sa-
cramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui ad-
dita est promissio gratiæ, id est, gratuitæ reconciliationis,
seu remissionis peccatorum, ut ipse explicat in Locis cō-
munibus, Tit. de Numero Sacramentorum. Calui-
nus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 1. sic: *Sacramentum est sym-
bolum externum, quo benevolentia erga nos sua promissio-
nem conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinēdum
fidei nostræ imbecillitatem.* At hæ definitiones non ha-
bentur in Scriptura; Imò nec inter se conueniunt.
Nam Lutherus in sua definitione supponit, promis-
sionem esse de essentia Sacramenti: Melanchthon,
annexam esse Sacramento: Caluinus, non esse anne-
xam Sacramento, sed potius Sacramentum annexū
& additum esse promissioni. Non enim esse promis-
sionem de effectu Sacramenti, sed de effectu diuinæ
erga nos benevolentiæ. Itaque secundum Melanch-
thonem sic exprimenda esset promissio: *Si quis Sa-
cramentum Baptismi aut Eucharistiæ susceperit, pro-
mitto illi remissionem peccatorum.* At secundum
Caluinum, hoc modo: *Promisi vobis remissionem
peccatorum & vitam æternam:* & hanc ipsam pro-
missionem declaro & obsigno per Sacra-
menta.*

62. Tertio, quidquid sit de definitionibus iam
allatis, quas aduersarij commenti sunt, quomodo ex
Scriptura poterunt demonstrare, eas conuenire Ba-
ptismo & Eucharistiæ? Non video. Experiatur ta-
men. Una definitio est hæc: *Sacramentum est ritus, qui
habet mandatum Dei, & cui addita est promissio remis-
sionis*

sionis peccatorum. Probent aduersarij ex Scriptura, hanc definitionem conuenire Eucharistiae. Probent, inquam, ex Scriptura, Eucharistiam habere annexam promissionem remissionis peccatorum. Vel, quod idem est, Deum in Scriptura promittere nobis remissionem peccatorum, si ad hoc Sacramentum accedamus. Nunquam poterunt. Non enim hoc Sacramentum à Deo institutum est, vt homini remittat peccata, vel vt ex impio & peccatore faciat iustum & sanctum; sed vt iustitiam & sanctitatem, quæ in illo est, foueat, conseruet & augeat. Imo, tantum abest, vt remittat peccata, vt etiam obsit peccatori si cū conscientia peccati accedat. Hinc Apostolus 1. Corinth. 11, 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & biberit indignè, iudicium sibi manducat & biberit.* Et Christus in vltima cœna non voluit Apostolis porrigerere Eucharistiam, nisi præmissa pedum lotione. Nimirum vt significaret, neminem, nisi lotum, purum, & immaculatum à culpa mortali, ad mensam CHRISTI admittendum esse. Et ratio sumitur ex ipsa natura huius Sacramenti. Quid enim aliud est Eucharistia, quam cibus & potus spiritualis, quo anima reficitur & vegetatur? (Ioann. 6. 55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c.*) Sicut ergo cibus & potus corporalis non prōdest corpori mortuo, sed vitam habenti; sic etiam seruata proportione, de Eucharistia dicendum est.

63. Tertia Controuersia: An exorcismus & aliæ ceremoniæ in Ecclesia Catholica usitatæ possint adhiberi in Baptismo? Lutherani eas admittunt. Calvinistæ reiiciunt. Neutri tamen ex Scriptura suam sententiam possunt confirmare. Non quidem Lu-

therani, quia Scriptura nusquam dicit, eiusmodi ceremonias usurpandas, sed ex sola Traditione Ecclesiae id habemus. De qua scribit August. lib. 2. de nuptiis, & concupiscentiis, cap. 29. *Antiquissima*, inquit, *Ecclesiae Traditione exorcizantur & exsufflantur paruum*, ut in regnum Christi à potestate tenebrarum transfrantur. Nec Caluinistæ; nisi forte hoc modo: Nullæ ceremoniæ usurpandæ sunt in Ecclesia, nisi de quibus exstat expressum mandatum in Scriptura. At nullum exstat mandatum de ceremoniis, quas Catholici usurpant in Baptismo: Ergo tales ceremoniæ non sunt usurpandæ. Sed maior propositio est falsa, & ipsis Caluinistis contraria est. Nam Caluinistæ usurpant multas ceremonias in Baptismo, de quibus nullum exstat mandatum in Scriptura. Cuiusmodi sunt hæc.

1. Ut infans in Ecclesia coram vniuerso populo baptizetur; idque vel die Dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire solitus est.
2. Ut illi, qui adferunt infantem ad Baptismum, interrogetur, an spondeant, se infantem, cum adoleuerit, in fide & moribus instructuros.
3. Ut nomen imponatur infanti baptizando.
4. Ut formula Baptismi pronuntietur lingua patria.
5. Ut recitetur Symbolum, oratio Dominica, & aliæ preces.

Has ceremonias præscribit Caluinus in libello: *De formula Sacramentorum ministrandorum*. At ubi, obsecro, dicitur exstat mandatum in Scriptura? Nusquam. Vel igitur condemnet has ceremonias, necesse est: vel fateatur; non omnes damnandas esse, quæ in Scriptura mandatum non habent.

64. Quarta Controuersia: An baptizati ab hereticis, sint rebaptizandi? Affirmauit olim Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, cum quibusdam aliis.

Nega

Negabat Augustinus, qui veriorem partem amplectebatur, nec aliunde, quam ex Apostolica Traditione, & praxi Ecclesiæ, se tuebatur. Sic enim scribit lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. *Quam consuetudinem, (scilicet non repetendi baptismum) credo ex Apostolica Traditione venientem.* Et lib. 5. c. 23. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est.* Huic consuetudini cessit Cyprianus, quia videbat se omni præsidio Scripturæ destitutum esse.

65. Sunt & aliæ similes controuersiæ, quæ ex sola Scriptura decidi non possunt, sed alio Iudice opus habent. Eas obiter insinuabo. Sunt autem hæ. 1. An Baptismus vna mersione conferri debeat? 2. An Christiani loco Sabbati debeant colere diem Dominicam? 3. An B. Maria manserit Virgo post partum? An Petrus Apostolus fuerit Romanæ Ecclesiæ Episcopus? 5. An symbolum fidei sit vere canonicum & Apostolicum? 6. An in veteri Testamento fuerit aliquod externum remedium pro fœminis, contra peccatum originale.

IV. ARGUMENTVM.

Ex usu & praxi veteris Testam. ubi non Scriptura, sed Pontifex pro Iudice agnoscebatur.

66. **C**ertum est, in veteri Testamento omnes controuersias legales, quæ erant maioris momenti, à summo Sacerdote seu Pontifice, tanquam à supremo in terris Iudice, non autem à Scriptura, dirimi ac definiri debuisse. Hoc testatur Iosephus

lib. 2. contra Apionem, cùm ait: *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, diiudicat controuer-
sias, conuictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit,
tanquam in Deum impius.*

67. Et manifeste colligitur ex illo Deuter. 17.8.
*Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris
 inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, le-
 pram & lepram: & iudicium intra portas videris verba
 variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Do-
 minus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici ge-
 neris, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quærésque ab
 eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies, quod-
 cunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus,
 & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eo-
 rum. Non declinabis ad dextram neque ad sinistram. Qui
 autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui
 eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis,
 morietur homo ille.*

68. Circa hunc locum aliqua notanda sunt. Pri-
 mum est, quod variæ fuerint controuersiæ in populo
 Iudæorum. Hic quidem duæ speciatim recensentur.
 Vna de sanguine; altera de lepra. Alibi tamen sum-
 matim insinuantur quatuor genera, vt 2. Paralip. 19.

10. *Vbicunque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus. Nam aliquæ, vt ibi interpretatur Lyranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mā-
 datis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi: aliæ
 ex præceptis ceremonialibus, ad diuinum cultum spe-
 ciantibus; aliæ denique ex præceptis judicialibus, quæ
 ad externam pacem & iustitiam conseruandam erant
 accommodata.*

69. Alterum est, quod in singulis ciuitatibus con-
 stituti fuerint inferiores iudices, qui ex officio de-
 bebant

bebant huiusmodi controuersias dirimere , vt habeatur Deut. 16. 18. *Indices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quos Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas , vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paralip. 19. 5. *Constituit Iudices terrae in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.*

70. Tertium est, quod quando inferiores Iudices non poterant inter se conuenire , nec controuersias ad se delatas , propter peculiarē aliquam difficultatem, dirimere ; necesse fuerit confugere Hierosolymam ad superiores Iudices, quibus, tanquam supremus Iudex, præsidebat Pontifex : Et illius sententiæ, sub pœna mortis, oportebat acquiescere. Hoc patet ex verbis paulo ante citatis : *Si difficile & ambiguum apud te, (id est , in ciuitate tua, in qua habitas) iudicium esse perspexeris, &c.*

71. Hinc colligimus , duplex apud Iudæos fuisse Tribunal & Concilium : Vnum maius ; alterum minus. Inter ea fuit multiplex discriminus. Primo, quia maius tantum erat in Ierusalem: minus in singulis ciuitatibus. Secundo , in maiori dijudicabantur maiores controuersiæ: in minori faciliores. Tertio, in maiori præsidebat Pontifex : non item in minori. Quartu, à minori licebat appellare ad maius : non contra, à maiori ad minus. Quinto, in maiori erant septuaginta personæ, præter Pontificem : in minori virginis tres. Sexto, maius vocabatur Sanedrin , vel Synedrion , vel Concilium Seniorum : minus non item. De maiori sæpe fit mentio in Euangelio, vt Marci 14. 55. & Lucæ 9. 22. & Act. 4. 5. Videantur Interpretes.

72. Vtrumque Concilium habuit suam originem sub Mose. Et minus quidem institutum est,

ex consilio Iethro: maius vetò ex mandato Dei. Occasio minoris instituendi describitur Exodi 18.v.13. his verbis : *Altera autem die sedit Moses, ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane usque ad vespeream.* *Quod cum vidisset cognatus eius, ait : Quid est hoc, quod facis in plebe ? cur solus sedes, & omnis populus prestolatur de mane usque ad vespeream ? Cui respondit Moses :* *Venit ad me populus, querens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut iudicem inter eos, & ostendam praecepta Dei & leges.* At ille; Non bonam inquit rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium: Solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. *Quidquid autem maius fuerit,* referant ad te; & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi, partiito in alios onere. *Quibus auditis,* Moses fecit omnia, que ille suggesterat: Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. *Quidquid autem grauissimum erat,* referebat ad eum faciliora tantummodo iudicantes.

73. De maioris Concilij institutione sic legimus, Numer. 11.16. Et dixit Dominus ad Mosen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Et infra v.24. Venit ergo Moses, & narrauit populo verba Domini,

Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa Tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & datus septuaginta viris. Cumque requieuerint in eis spiritus, prophetauerunt, nec ultra cessauerunt.

74. Porro cum Concilium, progressu temporis, penè collapsum esset, iterum restitutum & renouatum fuit a Iosaphat Rege Iuda, ut habetur 2. Paral. 19. 4. his verbis : *Habuit ergo Iosaphat in Ierusalem : rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum Patrium suorum. Constituitque indices terrae in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca. Et præcipiens iudicibus : Videte, ait, quid faciatis : non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini : Et quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Hæc omnia intelliguntur de minori Concilio. Iam sequitur de maiori : In Ierusalem quoque constituit. Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israël, ut iudicium & causam Domini indicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens : Sic agitis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem causam, qua venierit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognitionem & cognitionem, ubiqueque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de institutionibus ; ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, presidebit. Porro, Zabadias filius Ismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Pontificem fuisse Praesidem, seu caput Concilij Seniorum.*

75. Igitur, ut verbo reperam, quæ dicta sunt, sub Mose in deserto, res ita gesta est. Primo solus Moës

(qui erat Pontifex extraordinarius) iudicabat omnes omnino controversias, quæ in populo oriebantur. Deinde ut hoc onere non nihil subleuaretur, additi sunt illi Tribuni, Centuriones, quinquagenarij, & Decani, qui minores causas iudicarent, & grauiores ad illum remitterent. Denique ad maius solatum, septuaginta seniores electi sunt, qui etiam in causis grauioribus illi assisterent. Post mortem Moses, cum iam filij Israël venissent in terram promissionis, duplex Tribunal ac iudicium constitutum est: Vnum Hierosolymis, pro causis difficilioribus: alterum in singulis ciuitatibus, pro facilitoribus. Hoc posterius respondebat Concilio Tribunorum ac Decanorum: illud prius Concilio septuaginta seniorum.

76. Hic addi potest, aliter in deserto sub Mose, aliter in terra promissionis sub aliis Pontificibus, actum esse. Et quidem duplii discrimine: altero ex parte Pontificis; altero ex parte Concilij Seniorum. Nam Pontifex post ingressum in terram promissionis, non dirimebat controversias, nisi ex lege scripta. At Moses, præsertim antequam lex integrè scripta esset, multas dirimebat ex viua Dei voce & oraculo. Cuiusmodi sunt illæ tres. Prima, quid faciendum esset cum iis, qui propter immunditiam legalem non poterant cum aliis celebrare Pascha? (Numer. 9.6.) Secunda, quâ pœnâ deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbati? (Numer. 15.3.2.) Tertia, an filii Salphaad possent habere hæreditatem inter cognatos patris sui? (Numer. 27.1.) De his controversiis nihil tunc erat scriptū in lege. Igitur Moses viua voce consuluit Deum, & accepto responso, voluntatem Dei executus est. Ac tunc primū hæc omnia in legem scriptam relata sunt.

77. Ex parte Concilij Seniorum, erat hoc discri-
men: Septuaginta seniores, qui à Mose electi sunt,
accēperunt spiritum prophetiæ in ipsa electione.
(Numer. 11. 25.) De aliis, qui postea in illorum lo-
cum, per interualla temporis, subrogati sunt, non
constat accepisse. Hoc tamen credibile est, singulari
Dei assistentia vsos esse, quoties de rebus difficiliori-
bus consultandum esset: Et maximè hanc assisten-
tiam Pontifici, qui omnibus præsidebat, speciatim
concessam fuisse, quando supremi iudicis officio, in
ferenda sententia, fungebatur. De qua re dicam ali-
quid paulò post.

Obiectio.

78. **D**ices: Hæc omnia procedunt de contro-
uersiis legalibus, in quibus Pontifex erat
supremus Iudex, ut bene probatum est; non autem
de controuersiis fidei, in quibus sola Scriptura erat
iudex. **R E S P O N D E O.** Hoc sine fundamento di-
citur. Nam omnes controuersiæ, siue essent de fide,
siue de aliis rebus, vocabantur legales, duplii de
causa. Primo, quia oriebantur ex ipsa lege non satis
bene intellecta. Secundo, quia per vetam legis inter-
pretationem erant dirimendæ. (Deuteron. 17. 10.)
Omnis porrò, sine vlla exceptione, pertinebant ad
Pontificem, tanquam ad supremum Iudicem: etiam
illæ, quæ erant de fide & religione. Hoc manifestè
constat ex illis verbis paulò ante citatis: *Amarias,*
Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.
At controuersiæ de fide & religione, maxime ad
Deum pertinent: Ergo Pontifex in illis controuer-
siis præsidebat. Quid autem est, præsidere in con-

trouersis, nisi iudicem agere : Item ex verbis præcedentibus. *Vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus*, omnes hæ quæstiones deferebantur ad Pontificem : Et præter has non erant vllæ alia : Ergo nulla erat exempta à iurisdictione Pontificis.

79. Et confirmatur exemplo. Nam inter controversias fidei, (de quibus maximè nunc agimus) erat vna præcipua de Messia. At hæc ipsa, quando dubitatum fuit tempore Herodis : An Messias iam natus esset, deferebatur ad Concilium Sacerdotum; in quo Pontifex præsidebat, ut patet ex Euangelio Matt. 2.3. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetā: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principib⁹ Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Vbi tria notanda sunt. Primo, quod Rex Herodes, & totus Hebreorum populus dubitauerit de loco, in quo Messias esset nasciturus. Secundo, quod hanc dubitationem non ausi fuerint ipsi per se discutere, sed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum. Tertio, quod Sacerdotes, ut satisfacerent officio suo, dissoluerint hanc dubitationem ex Scriptura, tanquam ex norma & regula cui se conformabant.*

80. Porro, quod Scriptura ipsa per se, nec fuerit, nec potuerit esse iudex huiusmodi controversiarum, facile probari potest. Nam Scriptura, quæ tunc existabat, præsertim primis aliquot sæculis, non erat ferè alia, quam lex Mosaica, seu volumen fœderis ac Deuteronomij. De hoc autem volumine tria sunt certa.

certa. Primo, primarium ipsius Exemplar, quod Autographum vocant, fuisse conscriptum à Moše, & à Sacerdotibus positum in Arca fœderis Domini, ibique afferuatum, ut esset authenticum instrumentum, ex quo certò ac legitime constare posset, quænam esset Dei voluntas & dispositio, (Deuteronom. 31. 24.) Secundo, interpretationem illius, in re dubia commissam fuisse Sacerdotibus, ac potissimum summo Sacerdoti seu Pontifici. (Deuteronom. 17. 8. & Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.) Tertio, hoc ipsum Exemplar authenticum, semel tantum in septennio, quando erat annus remissionis, debuisse à Sacerdotibus prælegi vniuerso populo, in solennitate Tabernaculorum. (Deut. 31. v. 10.)

81. Hinc sequitur primo, populum non habuisse primarium & authenticum Exemplar legis Mosaicæ, sed solos Sacerdotes. Si ergo, extra solennitatem Tabernaculorum, quocunque tempore septennij, orta fuisset aliqua controvèrsia legalis, populus non potuisset consulere authenticum Exemplar, quod non habebat, sed debuisset adire Sacerdotem, & ab eo tanquam ordinario Iudice, petere sententiam definitiā. Secundo sequitur, etiam si populus habuisset exemplar, non tamen potuisse ex illo controvèrsiam ullam dirimere. Non enim populi, sed Sacerdotis, & maximè Pontificis erat, legem Mosaicam, ex qua nascebantur controvèrsiæ, interpretari.

82. Sed quæres: Quare interpretatio legis, & consequenter decisio controvèrsiarum legalium, pertinuerit potius ad Pontificem, quam ad alios? Ratio dubitandi est, quia poterat fieri, ut non minus alij essent periti in lege, quam Pontifex: imo etiam magis.

R E S P O N D E O. Si spectemus industriam humana-
nam, certum est, non minus alios, quam Pontificem,
potuisse legem intelligere & interpretari. Si autem
spectemus assistentiam Spiritus sancti, quae potissi-
mum in hoc negotio spectanda est, ea Pontifici po-
tius, quam alijs, fuit communicata. Exemplum habe-
mus in Mose. Nam Deus concessit illi maiorem assi-
stentiam, quam septuaginta senioribus, qui illi in hoc
officio subseruiebant. Hoc colligitur ex illo. Num. II.
7. *Dixit Dominus ad Mosen: Auferam de spiritu tuo,*
tradamque eis, ut sustinent tecum onus populi. Vbi per
spiritum intelligi debet aliquod donum gratiae, quod
requiritur in iis, qui recte volunt alios gubernare, &
eorum controvierias dirimere. Est ergo hic sensus:
Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, id est, dabo il-
*lis donum gratiae, sed infra illud donum, quod tu ha-
bes. Tibi, qui supremus Iudex es, plus dari oportuit,*
quam illis, qui subiecti sunt.

V. A R G U M E N T U M.

Ex usu & praxi noui Testamenti.

83. **S**icut in veteri Testamento, ut iam ostendi, non
Scriptura, sed Pontifex & Concilium Senio-
rum, fuit Iudex controvieriarum; sic etiam in nouo
haec tenus seruatum est. Hoc ostendam breui indu-
ctione; Ac primo tempore Apostolorum fuit orta
controversia de circumcisione: An scilicet noui Chri-
stiani, qui tunc fidem Euangelij recipiebant, non pos-
sent saluari, nisi circumcidarentur, & legalia seruarerent?
Quæ

Quæ controuersia potissimum intelligebatur de gentilibus ad fidem conuersis. Erat autem duplex de hac re sententia: Vna quorundam, qui ex Iudæis facti erant Christiani; qui dicebant gentiles per fidem Christi non posse saluati, nisi circumciderentur, & ceremonias legis Mosaicæ obseruarent. Altera Pauli & Barnabæ, qui asserebant, non opus esse circumcisione, & obseruatione legalium. (Actuum 15.1.)

84. At quomodo decisa & finita est hæc controuersia? An ad solam Scripturam, tanquam ad communem Iudicem delata est? Nihil minus. Sed potius ex consensu vtriusque partis delecti sunt aliqui, qui Hierosolymam irent ad Apostolos, ut ipsi in solenni Concilio de tota re cognoscerent, & definitiuam sententiam pronunciarent. Quod & factum est. Nam ex una parte designati sunt Paulus & Barnabas; ex altera, alij: qui simul Hierosolymam profecti, Apostolos & seniores adierunt. Hi coacto Concilio, & inuocato Spiritu sancto, responderunt his verbis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Quæ verba, per modum Epistolæ missa sunt ad gentiles Christianos, de quibus agebatur: Et sensus est: Non volumus vobis imponere onus circumcisio-
nis & legalium, quod graue est: sed abstinere ab iis, quæ iam dicta sunt, quod graue non est.

85. Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda sunt. Primum est, quod hæc controuersia de circumcisione & legalibus sufficienter potuisse determinari per Paulum & Barnabam, qui & ambo erant Apostoli, & Prophetæ, & Doctores. (Act.13.1.) Ambo à Spiritu sancto speciatim delecti, ut Euangelium gentibus

prædicarent. (Acto. 13. 2.) Et iam re ipsa illud prædicauerant in multis locis ac prouincijs. (Acto. 14. 26.) Neuter tamen voluit hoc officium usurpare , ut suo exemplo docerent , huiusmodi controuersias , quæ fidem ac religionem concernunt , ad ordinarios Ecclesiæ Prælatos , vel ad Concilia Prælatorum defeiri oportere.

86. Alterum est , quod in Concilio Apostolorum , in quo controuersia illa proposita & definita est , nullum Scripturæ testimonium , quod directè ad circumcisionem pertineret , allatum sit ; cùm tamen in utramque partem non defutura fuissent testimonia , si ex illis solis oportuisset lité finire ac terminare . Nā pro circumcisione adduci potuisset illud Gen. 17. 10. *Hoc est pactum meum , quod obseruabitis inter me & vos , & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum : & circumcidetis carnem præputij vestri , ut sit signum fœderis inter me & vos , &c. Tam vernaculus , quam emptitius circumcidetur , & quicunque non fuerit de stirpe vestra: Eritque pactum meum in carne vestra infædus æternum. At si pactum est æternum , ut hic dicitur , semper seruari necesse est ; etiam in lege Euangelica: Nec solus nati Iudæis , sed etiam ab alijs qui non sunt de stirpe Iudæorum. Contra verò occurrebat illud Deuteronom. 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum , & cor seminis tui. Vbi insinuatur , circumcisionem carnis non duraturam in nouo Testamento , sed ei successuram circumcisionem cordis. Sicut etiā Ierem. 4. 4. Circumcidimini Domino , & auferite præputium cordium vestrorum. Q. D. Non requiro circumcisionem carnis , sed cordis , quæ consistit in interna cōtritione & dolore de peccatis. Hæc & similia utrinque adduci poterant ex Scriptura. At factum non est: sed**

sed Apo~~stoli~~ in Concilio congregati , ex directio-
ne & assistentia diuina , quam Christus promise-
rat illis , & eorum successoribus, sententiam pro-
tulerunt.

87. Post tempora Apostolorum, aliæ atque aliæ
controversiæ, diuersis locis ac etatibus exortæ sunt,
quas similiter à Pontifice Romano , vel à Concilijs
ab eo approbatis, decisas ac diremptas esse , notum
est ex historijs Ecclesiasticis. Et qui illorum sententie
noluerunt acquiescere , pro haereticis habiti & dam-
nati sunt. Producam exempla aliquot illustriora, quæ
primum occurrunt.

88. Prima Controversia fuit: An Pascha deberet
celebrari cum Iudæis die decimaquarta primi men-
sis, ut volebant multi in Asia, qui propterea Q^VA R-
T A D E C I M A N I appellati sunt : an verò tantum
die Dominica, sicut nunc fit. Hęc tandem post multa
Concilia Episcoporum decisæ ac finita est à Victore
Papa, Anno Christi 198. Vide Eusebium lib. 5 Historię
Ecclesiasticę, cap. 23. & sequentibus.

89. Secunda: An Ecclesia possit illos absoluere
à peccatis, qui post Baptismum lapsi essent ? Negauit
Nouatianus. Sed damnatus est in Concilio Roma-
no, sub Cornelio Papa, Anno Christi 255. Vide Baro-
nium circa eundem annum.

90. Tertia: An in Deo sint tres personæ realiter
distinctæ? Negauit Sabellius, assertens unam tantum
esse personam, quæ habet tria officia , creationis, re-
demptionis, & sanctificationis. Sed damnatus est in
Concilio Alexandino, tempore Sylvestri Papæ, An-
no Christi CCC.XIX. iuxta Baronium.

91. Quarta: An Christus sit purus homo ; sicut
cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura &
hypo

hypostasi, quam nos habemus? Affirmavit Paulus Samosatenus: Sed damnatus est in Concilio Antiocheno, tempore Dionysij Papæ, Anno Christi 266. iuxta Baronium. Vide Euseb.lib.7.c.27.

92. Quinta: An Christus sit Verbum Patris æternum, & eiusdem cum Patre substantia? Negavit Arius, asserens esse Verbum Verbi, non ab æterno, sed in tempore à Deo ex nihilo creatum, & alterius à Deo substantia: ac proinde Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando existisse, cum non esset Pater. Sed damnatus est in Generali Concilio Nicæno I. sub Sylvestro Papa & Constantino Imperatore, Anno 325. Vide duas epistolas Alexandri Episcopi Alexandrini, quarum una exstat apud Socratem, lib. 1.c.3.altera, apud Theodoreum, lib.1.cap.4.

93. Sexta: An in Christo sint duæ personæ, sicut sunt duæ naturæ, diuina & humana: Affirmavit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus. Sed damnatus est in Generali Concilio Ephesino, sub Cœlestino Papa, & Theodosio Imperatore, Anno 434. & prius à Cyrillo in Concilio Alexandrino, Anno 431. Vide Baronium.

94. Septima: An in Christo sint duæ naturæ? Eutyches & Dioscorus dixerunt, ante vniōnem hypostaticam fuisse duas naturas, diuinam & humanam: Post vniōnem, duas in vnam coaliuisse, & vnam factam esse. Sed damnati sunt in Generali Concilio Chalcedonensi, sub Leone Papa, & Marciano Imperatore, Anno 454. Vide Gabrielem Vasquez, tom. 1. in 3 partem D. Thomæ, disp. 14.

95. Octaua: An in Christo sit vna tantum voluntas? Macharius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexan-

Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, & quidam alij, tametsi agnoscerent in Christo duas naturas, dixerunt tamen vnam tantum esse voluntatem, nempe diuinam, vt refert D. Thomas in 3. p. quæst. 18. art. 1. Ideoque Monothelite appellati sunt. Eorum sententia damnata est in Generali Concilio Constantinopolitano III. sub Agathone Papa, & Constantino IV. Imperatore, Anno 679. iuxta Baronium. An autem nomine voluntatis intellexerint potentiam, an operationem, videri potest apud Gabrielem Vasquez, Tomo citato, disp. 73. c. 1.

96. Nona: An Spiritus sanctus sit Deus? Negarunt Macedoniani, de quibus Augustinus in lib. de hæresibus cap. 52. sic scribit *Macedoniani sunt à Macedonio Constantinopitanæ Ecclesiæ Episcopo, quos ἀπευματημένοις Græci dicunt, eo quod de Spiritu sancto litigant.* Nam de Pâtre & Filio rectè sentiunt, quod unius sint eiusdemque substantiæ vel essentiæ: Sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hi dannati sunt in Generali Concilio Constantinopolitano I. sub Damaso Papa & Theodosio Imperatore, Anno 383.

97. Decima: An Baptismus repeti, seu reiterari possit? Quæ controuersia duplicitate potest intelligi. Primo, an Baptismus, si semel valide collatus sit, repeti possit? Affirmauit Marcion, teste Epiphanio hæresi 42. paulò post principium, vbi de Marcione sic scribit: *Cum corrupisset in ciuitate sua virginem, & aufugisset, atque in magnō delicto inuentus esset, excogitauit præstigator sibi ipsi secundum lauacrum, afferens licere usque ad tria lauacula, hoc est, tres Baptismos dare in remissionē peccatorum: quo si quis lapsus esset post primum, paenitentia acta, accipiat secundum; & tertium similiter, si in delicto post secundum comperiatur.*

Secundo : An Baptismus , qui ab hæreticis collatus est , repeti possit ? Affirmarunt Donatistæ , qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant , teste Augustino in libro de hæresibus capite 69. eò quod Catholicos haberent pro hæreticis , & Baptismum ab hæreticis collatum putarent esse inualidum , ut explicat Vasquez disput . 146. capite 2. Hi damnati sunt in Concilio Romano sub Melchiade Papa , Anno trecentesimo decimotertio apud Baronium.

98. Undecima : An homo sine gratia Dei , per solas naturæ vires possit implere legem , si velit ? Affirmarunt Pelagius & Cælestius. Sed damnati sunt in Concilio Carthaginensi & Mileuitano , sub INNOCENTIO I. Anno 415. iuxta computum.

99. Duodecima : An paruuli nascantur in peccato originali , & ad illud peccatum abolendum indigeant Baptismo : Negarunt iidem authores , Pelagius & Cælestius , teste Augustino in libro de hæresibus cap. 88. Vbi de illis sic habet : Paruulos etiam negant , secundum Adam carnaliter natos , contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci , ut prorsus non sit , quod eis oporteat secunda nativitate dimitti : Sed eos propterea baptizari , ut regeneratione adoptati , admittantur ad regnum Dei , de bono in melius translati , non ista renouatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Hic error damnatus est in Concilio Mileuitano cap. 2. & postea à Zosimo Papa , ut testatur idem Augustinus in libro de peccato originali cap. 6. & sequentibus.

100. In his & similibus controversiis , quas breuitatis causa omitto , tria consideranda sunt. Primo , quod altera pars litigantium clare & perspicue damnata sit. Secundo , quod hæc condegnatio facta sit ab

ab Ecclesia Catholica , tanquam à Iudice : quæ aliquando tulit sententiam per Pontificem, qui est caput seu Pastor Ecclesiæ: aliquando per Concilia, quæ repræsentant Ecclesiam. Tertio , quod Lutherani & Caluinistæ agnoscant hanc damnationem legitime factam esse. Fatentur enim Nouatianum , Sabellium , Samosatenum, Arium, Nestorium, Eutychen, & Diocorum, Monothelitas , Macedonianos, Donatistas , Pelagianos , merito damnatos esse , & pro hæreticis haberi oportere. Nec aliunde, quam ex Catholicæ Ecclesiæ decisione. Quod si sola Scriptura esset Iudex, & Ecclesia suam sententiam non interpoluisset, in hodiernum usque diem durarent istæ controversiæ; nec adhuc clare & palam omnibus constaret supradictos authores pro hæreticis habendos esse. Nunc cum ab Ecclesia damnatis sint, res certa & indubitata est.

101. Dices , quid si Ecclesia errasset in ferenda sententia? Respondeo. Hoc tantundem est, ac si dicas: Quid si Christus, Apostoli , & Prophetæ mentiti essent ? Nam illi testati sunt, Ecclesiam errare aut desicere non posse. Est enim ut loquitur Christus, *fundata supra petram , & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* (Matth. 16.18.) Est columna & firmamentum veritatis. (1.Timoth.3.15.) Nunquam confundetur neque erubescet. (Isaiæ 54.4.) *Iaspis est propugnaculum eius.* (ibidem v.12.) *Et omnis lingua resistens illi in indicio , condemnabitur,* (ibidem v.17.)

VI. ARGUMENTVM.

Ex Analogia Iudicis controveneriarum ciuilium.

102. **H**oc argumentum, quod rem maximè illustrabit, proponi potest hoc modo: Inter res fidei ac religionis ex vna parte, & inter res ciuiles ac politicas ex altera, potest spectari multiplex analogia. 1. Sicut in politicis ac ciuilibus sepe oriuntur litiges ac controveneriæ, quæ requirunt aliquem Iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam fit in fide ac religione. 2. Sicut in controveneriis ciuilibus distinguuntur hæc tria: Iudex, Lex scripta, & Consuetudo: sic etiam in controveneriis fidei, hæc tria, Iudex, Scriptura vtriusque Testamenti, & Traditione. 3. Sicut Princeps vel Magistratus sacerularis fungitur officio Iudicis in decisione controveneriarum ciuilium: Sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Iudicis in definitione controveneriarum fidei. 4. Sicut Lex scripta est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex secularis in decidendis controveneriis ciuilibus: sic etiam Scriptura vtriusque Testamenti est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in decidendis controveneriis fidei. 5. Sicut sola Lex scripta non est sufficiens & integra norma omnium controveneriarum ciuilium, sed lex scripta & consuetudo simul: sic etiam sola Scriptura vtriusque Testamenti non est sufficiens & integra norma omnium controveneriarum fidei, sed Scriptura & Traditione simul.

103. Hæc clara sunt. Nihilominus ne quis dubitet,

tet, singula breuiter explicabo. Ac primo, quod Principe vel Magistratus secularis fungatur officio Iudicis in controuersiis ciuilibus, non eget longa probatio ne. Hoc enim testatur quotidiana experientia in omnibus regnis ac prouinciis. Nam vbiique contentiones, & causæ ciuiles deferuntur ad Principem vel Magistratum sæcularem, quem partes litigantes agnoscunt pro legitimo suo Iudice. Quod etiam ex vitroque Iure, tam ciuili, quam canonico, notissimum est. Nam in vitroque exstant Tituli: *De officio Iudicis ordinarij & delegati.* Nec ullus in hac re tam peregrinus aut stupidus est, ut per Iudicem ordinarium, aut delegatum intelligat legem scriptam: cum constet illum esse ordinarium, qui ordinariam habet iurisdictionem & potestatem: illum verò delegatum, qui accepta ab ordinario potestate, vicem illius gerit.

104. Deinde, quod lex scripta non possit esse Iudex, facile probari potest. Et quidem in his tribus casibus. Primo, quando ipsa obscura aut ambigua est: Tunc enim opus est alio Iudice seu Interpreti, qui mentem illius explicet. Secundo, quando una lex videtur alteri repugnare, quod frequentissime contingit. Tunc etiam Iudex adhibendus est, qui eas inter se conciliet. Tertio, quando verba legis, quæ generalia sunt, restringenda essent in aliquo casu particulari, & tamen restricta non sunt. Quod tunc fit, quando occurrit aliquis casus particularis, quem legislator, cum legem conderet, non præuidit euenturum. Et, si præuidisset, non voluisset illum sub lege sua comprehendere. In tali igitur casu, contra verba legis iudicandum est. Et quis erit tunc Iudex? Non lex ista. Nam illa seipsum non destruit aut iudicat. Alius ergo distinctus alege.

105. Postremo , quod sola lex scripta non possit esse sufficiens norma pro decisione quantumcunque controversiarum ciuilium , sed præter legem scriptam admittenda sit etiam Consuetudo, certissimum est apud Iureconsultos. Ac potissimum in dupli- casu. Primo, quando mouetur aliqua controve rsia, de qua nulla exstat lex scripta. Tunc enim Consuetudo, si adsit, vim legis obtinet ; nec minus, quam lex ipsa, seruari debet, iuxta illud : *Ea quæ longa consuetudine comprobata sunt , ac per annos plurimos obseruata, velut tacita ciuium conuentio , non minus , quam ea, quæ scripta sunt iura , seruantur.* (Leg. 35. ff. De legibus.) Secundo quando exstat quidem lex scripta , sed ambigitur de sensu ac mente illius ; nec aliunde quam ex consuetudine & Traditione , de ea constare pos- test. Tunc enim locum habet illud : *Optima legum interpres est Consuetudo.* (Leg. 37. ff. De legibus.) Itemque illud : *Imperator noster Seuerus rescripsit in am- biguitatibus , quæ ex legibus proficisciuntur , Consuetu- dinem , aut rerum perpetuo similiter indicatarum au- thoritatem , vim legis obtinere debere,* (ibidem Leg. 38.)

106. DICES : Quid si occurrat aliqua contro- uersia , quæ nec ex lege scripta, nec ex Consuetudine definiri possit , quæ tunc erit norma, quam Iudex se- qui debet ?

R E S P O N D E O Tunc ex naturali æquitate de- bet rem componere: hoc autem fit in eo potissimum casu, quando occurrit aliquis casus, qui comprehen- ditur quidem sub verbis legis , non tamen sub men- te Legislatoris ut supra dictum est. Tunc enim Iu- dex ex æquo & bono debet sententiam pronuncia- re. Idem fieri potest in controversiis fidei. Nam si occur-

occurreret aliqua controversia, quæ neque aperte ex Scriptura, neque ex traditione decidi posset, recur- rendum esset ad auxilium Spiritus sancti, qui tametsi in omni casu adesse solet, in hoc tamen speciatim doceret nos omnem veritatem, ut Christus promisit. Et hoc remedio vñi sunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, vbi agebatur de circumcisione & obseruatione legalium, (supra §.86.)

107. Atque hæc sunt argumenta, quibus haec tenus probatum est, Iudicem controversiarum fidei non posse esse Scripturam, sed Ecclesiam. Nunc supereft, vt testimonia Scripturæ, quæ initio proposita sunt, & ab aduersariis contra nostram doctrinam obiici & inculcari solent, diligenter expendamus: non quidem eo ordine, quo proposita sunt, sed quo in Scriptura veteris ac noui Testamenti singula sigillatim occurrunt. Ex eorum autem discussione, vt supra insinuavi, manifestè constabit, quædam eorum nihil ad rem facere: alia nobis potius, quam aduersariis patrocinari: Et vt liberè dicam, quod res est, aduersarios, qui perpetuo de Scriptura gloriantur, nihil minus, quam Scripturæ sensum & intelligentiam afsequi.

EXAMINANTVR
 TESTIMONIA SCRIP-
 PTVRÆ CONTRA
 nos allata.

I. TESTIMONIVM.

Deuter.4.2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis.* Et Deuter.12.32. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

108.



IN C colligunt aduersarij generatim hæc duo. Primo, omnes traditiones, quas Catholici admittunt, repudiandas esse. Quare? Quia nihil ad verbum Dei scriptum addendum est. Secundo, omnia præcepta humana (cuiusmodi est præceptum de iejunio quadragesimali, de abstinentia à carnibus die Veneris & Sabbati, de cælibatu Sacerdotum, & quæ similia sunt) nullo modo obseruari oportere. Quare? Quia hoc tantum faciendum est, quod Deus præcipit: Ergo quod homines præcipiūt, faciendum non est. Vtrumque ineptissimè. Quod dupliciter ostendam. Primo, refellendo falsam aduersariorum interpretationem. Secundo, veram & legitimam astruendo.

109. Ac primo, quod falsa sit aduersariorum interpretatione, ne ipsi quidem negare poterunt, nisi omni

omnino velint esse impudentes. Nam si omnis traditio respuenda est, respuendus erit Apostolus, qui dixit 2. Thessalonicens. 2.v.14. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrā.* Similiter, si omnia præcepta humana contemnenda sunt, & hoc solum faciendum, quod Deus præcipit; quid dicemus de Rechabitis, qui accuratissimè seruarunt præceptum parentis sui Ionadab? An perpetram fecerunt? Hoc quidem dicendum esset iuxta aduersarios. At longè aliter res se habet. Nam ab ipso Deo, hoc nomine commendati sunt. Si hoc neisciunt aduersarij, audiant Ieremiam Prophetam, cap. 35.1. vbi sic ait: *Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino in diebus Ioakim filij Iosiae Regis Iuda, dicens: Vade ad domum Rechitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum, &c.* Et introduxi eos in domum Domini, &c. Et posui coram filiis domus Rechitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: *Bibite vinum.* Qui responderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri usque in sempiternum: Et domum non edificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in Tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Obediuimus ergo voce Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberimus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij & filie nostræ: & non edificauimus domos ad habitandum & vineam & agrum, & sementem non habuimus: sed habitauimus in Tabernaculis, & obedientes fuimus iuxta omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster, &c. Et fa-

etum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: *Hec dicit Dominus exercituum Deus Israël: Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem: Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis?* dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum: & non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi. Misig, ad vos, omnes seruos meos Prophetas, consurgens diluculo, & dicens: *Conuertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra,* &c. Et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. Firmauerunt igitur filii Ionadab, filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis. Populus autem iste non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: *Ecce ego adducam super Iuda, & super omnes habitatores Ierusalem uniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersus illos, & non audierunt: vocavi illos, & non responderunt mihi.* Domui autem Rechabitum dixit Ieremias: *Hec dicit Dominus exercituum Deus Israël: pro eo, quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis uniuersa, quæ præcepit vobis:* propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

110. In hoc exemplo tria notanda sunt. Primo, præceptum illud, quod datum fuit Rechabitum, fuisse difficillimum. Quid enim difficilius, quam viros & vxores, filios & filias, non tantum ad breue tempus, more Nazaræorum; sed in perpetuum abstinere ab omni vino, nunquam habitate in domibus, nunquam ferere agros, nunquam plâtare vineas? Secundo, hoc præceptum non fuisse diuinum, sed humanum, ut patet

patet ex antithesi, quam Deus facit. Sic enim argumentatur: Si Rechabitæ seruant præceptum, quod ab homine acceperunt, quanto magis Iudæi debebant seruare præceptum, quod à Deo acceperunt? Tertio, Rechabitæ non solum rectè ac laudabiliter fecisse, quod obseruarint præceptum parentis sui Ionadab, sed etiam meritos esse à Deo peculiarem benedictionem; sicut è contrario, Iudæos meritos esse pœnam & afflictionem. Nam Rechabitæ dicitur: *Non deficiet vir de stirpe vestra, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Iudæis autem: *Ego adducam super vos afflictionem.*

III. Hinc, si sapiunt, colligant aduersarij nostri hęc pauca. Primo, Catholicos non minus recte ac laudabiliter facere, seruando præceptum Ecclesiæ, quam Rechabitæ fecerunt, seruando præceptum parentis sui Ionadab. Non enim minus laudabile est, obedire cōmuni Matri nostrę Ecclesiæ, quam obedire priuato homini. Et si ut Rechabitæ non peccarunt contra illud, Deut.12.32. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino:* ita nec Catholicos peccare. Secundo, Catholicos propterea non deficere, nec haec tenus defecisse, quia diligenter seruant præcepta Ecclesiæ: Et quo quisque accuratius ea seruat, eo maiori bus à Deo beneficijs cumulari. Alios vero propterea non prosperari, quia ex vna parte contemnūt præcepta Ecclesiæ, in quo deficiunt à Rechabitæ: Et ex altera, non seruant præcepta Decalogi, in quo similes sunt Iudeis. Et, vt aliquam suę ignavię pretestant excusationem, aiunt præcepta Decalogi esse impossibilia: In quo faciunt Deum Tyrannum, quasi præcipiat homini, quod ab homine præstari non possit.

112. Atque hæc sufficient de falsa aduersariorum interpretatione. Vera interpretatio est hæc. Illud Deuter. 4.2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo: generatim intelligendū est de præceptis ceremonialibus & iudicialibus, quæ à Deo per Mosen data sunt: Et est hic sensus: Ego dedi vobis præcepta ceremonialia, quæ præscribunt ritum collendi Deum; & præcepta iudicia, quæ præscribunt ritum seruandi iustitiam in rebus politicis, ac temporalibus.* Vtraque debetis integrè & perfectè servare. Hoc enim significat illud: *Non addetis, nec auferetis. Quod* aliis quidem verbis, sed eodem sensu, explicatur alibi, cùm dicitur: *Non declinabis ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram.* Ut Deuter. 17. v. 20. *Discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, neque declinet in partem dextram vel sinistram.* Et cap. 28. 14. *Si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaveris ab eis, neque ad dextram, neque ad sinistram, &c.* Et cap. 31. 29. *Noui, quia post mortem meam inique agebis, & declinabis cito de via, quam præcepi vobis.* Et Iosue 1. 7. *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses seruus meus, ne declines ab ea ad dextram vel sinistram.* Igitur ex eo loco sic intellecto, sicut reuera intelligi debet, non aliter possunt argumentari aduersarij, quam hoc modo: Iudæi debebant perfectè ac integrè seruare præcepta Dei, non declinando ab eis vel ad dextram, vel ad sinistram: Ergo nos Christiani, præter Scripturam, non debemus admittere traditiones; quas ab Apostolis accepimus. Spectatum admissi, risum teneatis amici.

113. Illud vero Deuter. 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc*

hoc tantū facito Domino, nec addas quicquā, nec minuas: Speciatim intelligitur de vno præcepto ceremoniali, nempe de præcepto sacrificandi, vt ex contextu patet: Et est hic sensus: Quando veneris in terram Palæstinanam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo tuo sacrificium, non imitaberis gentiles, qui falsis Dijs offerunt suos filios & filias per ignem: sed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio, nempe ex animalibus oves, capras, hædos, boues, vitulos, columbas, passeris, turtures: Ex fructibus terræ, panem, simillam, salem, thus, manipulum spicarum virentium, & triticum: Ex liquoribus sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facito*, id est, offero *Domino*: nec addas quicquam ex sacrificiis gentilium; nec minuas ex iis, quæ iam enumerata sunt. Ex hoc etiam loco non aliter, quam hoc modo licebit aduersariis concludere: Iudæi debebant ea tantum offerre in sacrificium, quæ à Deo erant determinata: Ergo nos Christiani non possumus seruare præcepta Ecclesiæ: Est eiusdem farinæ cum præcedenti.

II. TESTIMONIVM.

Isaiæ 8. 20. Ad legem magis, & ad testimonium.

¶4. **H**inc colligunt aduersarij, Iudeos in vet. Testamento, quandocumque oriebatur aliqua controuersia, missos fuisse *ad legem & testimonium*, id est, ad Scripturam, tanquam ad Iudicem. Sed valde errant. Primo, quia iam supra ostensum est, Iudicem controuersiarum in veteri Testamento non fuisse Scripturam, sed Pontificem. Secundo, quia illa verba, *Ad legem & testimonium*, multo aliter accipienda.

dā sunt, quām putant aduersarij, vt patet ex præcedentibus, quæ sic habent. *Cum dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Vbi diserte agitur contra illos, qui de futuris euētibus solent consulere Pythonissas, & ariolos: & remittuntur partim ad legem, quæ id prohibeat, (Dicitur. 18. 9. *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui Pythones consulat aut diuinos, aut querat à mortuis veritatem.*) Partim ad testimonium Prophetarum, qui à Deo constituti erant, vt futura prædicerent. (3. Reg. 22. v. 7. *Dixit autem Iosaphat: Non est hic Propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum?*)

115. Igitur sensus illorum verborum, *Ad legem magis & ad testimonium, est hic: Si vultis fieri certiores de futuris euentibus, non debetis consulere Pythonissas, sicut fecit Saül.* (1. Reg. 28. 7.) quia hoc Deus per legem suam fieri prohibuit, ad quam vos remitto: sed consulite Prophetas Domini, quorum officiū est de futuris pronunciare. *Quid hoc facit ad Iudicem controuersiarum? Nihil penitus. Nisi aduersarij velint hoc modo ratiocinari: De futuris euentibus non licet consulere Pythonissas: Ergo sola Scriptura est Iudex controuersiarum. Ineptissimè: & tamen, quod mireris. præcipui illorum Rabbini sic ineptiūt. De quibus bene præmonuit nos Christus: Sinite illos: cœcisunt, & duces cœcorum.*

III. TESTIMONIVM.

Matth. 15. 6. Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram. Et Coloss. 2. 8. Videlicet, ne quis vos decipiatur per Philosophiam & inanem fallaciam secundum Traditionem hominum. Et 1. Petri 1. 18. Redempti estis de vanity vestra conuersatione paternæ Traditionis.

116. Hinc colligunt aduersarij, omnes Traditiones à Christo & Apostolis damnatas esse, & sola Scriptura contentos nos esse oportere. At non certè. Nam citata testimonia intelliguntur de Traditionibus Iudaicis, quæ à Pharisæis obseruabantur: non autem de Traditionibus Christi & Apostolorum, quas aduersarij oppugnant, & nos defendimus. Erant autem variæ Iudeorum Traditiones, ut ex Scriptura patet.

117. Prima quod ante sumptionem cibi laudare essent manus. Matth. 15. 1. Accesserunt ad eum Scriptæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur Traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant.

118. Secunda, quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda. Marc. 7. 3. Pharisæi, & omnes Iudei, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes Traditionem seniorum. Hinc in nuptijs Canæ Galilææ erant sex hydriæ positæ secundum purificationem Iudeorum, (Ioan. 2. 6.) in quibus hydrijs erat aqua ad lauandas manus inter prandendum.

119. Tertia, quod venientes è foro non deberent cibos

cibos capere, nisi loti essent. Marci 7. 4. Et à foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, que tradita sunt illis seruare; baptismata calicum & vreorum, & eamentorum, & lectorum.

120. Quarta, quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus. Matth. 9. 11. Et videntes Pharisei, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Et Luc. 5. 30. Et murmurabant Pharisei & Scribe eorum, dicentes ad discipulos eius. Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

121. Quinta, quod ne quidem permittendum esset, ut quis à peccatoribus tangeretur. Luc. 7. v. 39. Videns autem Phariseus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Prophetas, sciret utique, quae & qualis est mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est. Vbi manifestè apparet, Phariseum fuisse miratum, quod Christus à muliere peccatrice pateretur se contrectari, eò quod hoc esset contra morem & Traditionem Phariseorum, quorum vox erat hęc: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. (Isaię 65. v. 5.)

122. Sexta, quod in Sabbato non liceret ægros sanare. Luc. 6. 7. Observabant autem Scribe & Pharisei, si in Sabbato curaret, ut inuenirent, unde accusarent eum. Et Ioan. 9. v. 16. Dicebant ergo ex Phariseis quidam: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Loquebantur de Christo, qui cæco à nativitate visum restituerat in Sabbato.

123. Septima, quod famelici non possent spicas vellere & comedere in Sabbato. Matthēi 12. v. 1. Abiit Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & manducare. Pharisei autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet

licet facere Sabbatis.

124. Octaua, quod frequenter esset ieiunandum & orandum. Matth. 9. v. 14. Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant? Eccl. 5. v. 3. Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt; tui autem edunt & bibunt?

125. Nona, quod omnium rerum, etiam minimarum, decimæ offerendæ essent Deo. Matt. 3. v. 23. V&e; vobis Scribae & Pharisei, qui decimatis mentham & anethum, & cynamum, & reliquias, quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Hic decimare idem est, quod decimas dare. Est ergo hic sensus: Vos Pharisei datis decimas omnium rerum etiam minimarum, quod non facitis ex præcepto in lege Mosaica, sed ex vestra Traditione non scripta. Et interim negligitis ea, quæ vobis in lege præcepta sunt. Hæc debebatis facere, & illud non omittere. Vbi notandum est, non fuisse ullum præceptum in lege Mosaica, de dandis decimis rerum minimarum, quarum hic fit mentio: sed tantum de decimis vini, frumenti, & olei. (Deut. 14. 23.) Nihilo minus Pharisei in hac re habebant peculiarem consuetudinem, & Traditionem præ aliis Iudeis; quia dabant decimas omnium olerum, quod alii non faciebant. (Luc. 11. 42.) Quo nomine gloria- tur quidam ex Phariseis, Luc. 18. 11. Non sum sicut cæteri hominum, &c. Ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium, quæ possedeo. Vide Iansen. in concord. Euangeli- ca, cap. 84.

126. Decima, quod qui iuraret per templum aut altare, non esset reus criminis: qui autem iuraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, esset reus: Matth. 23. vers. 16. V&e; vobis duces cæci,

qui dicitis, quicunque iurauerit per Templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro Templi, debet. Stulti & caci: Quid enim maius est, aurum an Templum, quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: Qui-
cunque antē iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat do-
nūm?

127. Undecima, quod filij non tenerentur re ipsa parentes suos honorare, aut illis benefacere; sed quod abunde sufficeret, munus aliquod Deo offerre. Mat. 15. v. 3. Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Et quicunq; maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri aut matri: Munus quocunque est ex me, tibi proderit: Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.

128. Hæ fuerant præcipua Traditiones Pharisæorum, quantum ex Euangelio licet colligere. Et quamquam aliquæ ex illis essent bona ex suo genere; aliæ malæ; aliæ dubiæ, vel inutiles: Pharisæi tamen propter omnes reprehendebantur à Christo ob has causas.

129. Primò, quia ipsi ex earum observatione quærebant inanem gloriam, & opinionem sanctitatis apud homines, cum nihil minus, quam sancti essent. Matth. 23. 5. Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Hinc passim in Euangelio vocantur Hypocritæ, & sepulchra dealbata.

130. Secundo, quia ex quorundam observatione sectabantur etiam opes ac diuitias; præsertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Matt. 23. 14. Va vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Et

Marci 12. 40. Cauete à Scribis, qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis. Vbi comedere, seu deuorare domos viduarum, nihil aliud est, quam spoliare seu exhaustire. Nam viduæ veniebant ad Pharisæos, tanquam ad viros sanctos (quippe qui sanctitatem simulabant) & eorum orationes pretio emebant.

131. Tertio, quia superstitiose minutiora quædam seruabant, & alia maiora negligebant, ut paulò ante dictum est. Dabant enim decimas rerum etiam vilissimarum, & negligebant iudicium & misericordiam in diiudicandis causis, quæ ad ipsos deferebantur. Et hoc sensu accipi potest illud Matth. 23. 24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

132. Ex dictis patet non omnes Traditiones Iudæorum à Christo fuisse reprehensas; licet Pharisæi, quod male illis vterentur, merito fuerint reprehensi. Nam vna inter cæteras Traditiones erat hæc: *Decimare mentham, rutam, & omne olus.* Quæ sanè ex se fuit bona. Nam bonum est, decimas dare Deo, non solum aliquatum, sed omnium earum rerum quas possidemus. Et hoc confirmat Christus, cùm ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere, id est, oportuit seruare præceptum de iudicio & misericordia;* & non omittere Traditionem de decimatione menthæ & omnium olerum.

133. Vnde ulterius sequitur, Lutheranos & Calvinistas, dum promiscuè damnant omnes Traditiones, damnare etiam sententiam Christi, qui aliquas illarum approbavit. Nam ex Christi sententia, sunt aliquæ Traditiones, quas non oportet omittere. Ex illorum sententia, omnes repudiandæ sunt, & sola Scriptura admittenda. Hæ sententiæ inter se

pugnant. Vtram vero amplectemur? Christi, si sapi-
mus.

134. Ex quo rursum infero, Lutheranos & Cal-
vinistas ex hoc capite non aliter posse concludere,
quam hoc modo: Aliquæ Traditiones Iudæorum
erant malæ: Ergo omnes Traditiones Christianorum
sunt malæ. Quæ consequentia nulla est. Hæc mul-
to est melior: Iudæi, præter Scripturam, habuerunt
aliquas Traditiones, quas non oportebat omittere:
Ergo etiam Christiani possunt habere. Quanquam
magna inter utrasque differentia est. Nam Traditiones
Christianorum, quas hoc loco defendimus, sunt
a Christo & Apostolis accepæ; quales non erant. Iu-
daicæ.

IV. TESTIMONIVM.

Ioan. 5.v.39. Scrutamini Scripturas.

135. Ecce, inquiunt aduersarij, Christus remittit
nos ad Scripturam tanquam ad Iudicem
controversiarum. Hoc certè non dicerent, si intelli-
gerent mentem CHRISTI. Christus in illo capite di-
spusat cum Iudæis, qui negabant ipsum esse Filium
Dei: Ipse autem probat se esse, quatuor testimonii.
Primo, testimonio Ioannis Baptiste. *Vos, inquit, mi-
sistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.* Erat
autem hoc ipsius testimonium: *Ecce Agnus Dei, ecce
qui tollit peccata mundi.* Et iterum: *Ego testimonium per-
hibui, quia hic est Filius Dei.* (Ioan. 1.y. 34.)

Secundo, testimonio miraculorum, quæ patrabat.
Ego, inquit, habeo testimonium maius Ioanne. Opera
enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam, ea testimonium
per

perhibent de me, quia Pater misit me.

Tertio, testimonio Dei Patris. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Nempe cum dixit de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.* Matth. 3.17. & Luc. 9.35.

Quarto, testimonio Scripturarum veteris Testamenti: *Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* quasi dicat: Si non vultis re ipere tria priora testimonia, quæ tamen efficacissima sunt, (alioqui illa non produxissem) saltem non potestis reiicere testimonium Scripturarū, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ipsæ, si attente scrutemini, perhibent testimonium de me, quod sim Messias à Deo promissus. Quare ergo non creditis?

136. Hinc concludo, aduersarios ex hoc loco se-
ipsos potius, quam nos oppugnare. Nam ipsi contendunt, solum Scripturam esse iudicem controversiarum: Et Christum ad solum Scripturā nos remittere. At contrarium verum est. Nam Christus in controversia, quam habebat cum Iudeis: *An ipse esset Filius Dei,* non remisit illos ad solum Scripturam, sed primo ad testimonium Ioannis Baptistæ: deinde ad testimonium miraculorum, quæ ostendebant ipsum esse Deum: postea ad testimonium Dei Patris, qui voce de cælo de lapsed, idem confirmabat: denique, ut omnia experiretur, ad testimonium Scripturarum.

137. Nos Catholici in hac re Christum imitamur. Nam in controversiis, quas habemus cum aduersariis, non solum utimur testimonio Scripturæ, sed etiam sanctorum Patrum, & matris Ecclesiæ, & miraculorum, quæ sèpè fiunt pro confirmatione.

nostræ fidei. Aduersarij autem , quasi Christo prudenteres essent , nihil volunt audire , nisi ex solis Scripturis. In quo similes sunt Iudæis ; contra quos Christus agit. Nam Iudæi repudiato quocunque alio testimonio, solam Scripturam admittebant : Et hanc ipsam neque tunc intelligebant , neque adhuc intelligunt, ut testatur Apostolus secunda Corinthia-
ca 3.v.14. cùm ait: *Obscurati sunt sensus eorum.* Et infra:
usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Idem aduersariis nostris, qui in hac causa nepotes illorum sunt , accommodari potest.

V. TESTIMONIVM.

Act.17.11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si
haec ita se haberent.*

138. **H**ic iterum clamant aduersarij , Beroënses non temerè credidisse , quæ ab Apostolis dicebantur , sed omnia examinasse iuxta normam Scripturæ: Äquum igitur esse , ut nos illorum exemplum imitemur , & solam Scripturam pro norma ac Iudice agnoscamus. Sed frustra. *Quod facile constabit , si constet de re ipsa, de qua tunc agebatur.* Ea fuit huiusmodi: Paulus Apostolus , ut expressè habetur in eodem capite , primum quidem Thessaloniciæ , deinde apud Beroënses , *disserebat ex Scripturis, adaperiens & insinuans* , quia Christum oportuit pati , & resurgere à mortuis : *Et quia hic est Iesus Christus; quem ego annuncio vobis.* *Quid verò Beroënses? sequitur ibidem: suscepserunt verbum cum omni audiitate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.*

139. Igi

139. Igitur hic est sensus illius loci. Beroënses cùm audirent Paulum citare quædam testimonia Scripturæ veteris Testamenti, quibus astruebat Christi mortem & resurrectionem, scrutabantur, an iis ipsis testimoniis consentanea essent, quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo, quæ dubitarent de morte & resurrectione Christi, quippe quæ satis confirmata erat ab Apostolo per virtutem miraculorum, (1. Thessalon. 1. 5.) sed ut magis in fide confirmarentur, si viderent ea, quæ Paulus prædicabat, multo ante per Prophetas fuisse præuisa & præsignificata.

140. Ex hoc sensu, quid obsecro concludent aduersarij? Nihil ad rem, de qua agitur. Nisi forte sic velint concludere: Beroënses scrutabantur testimonia Scripturæ à Paulo citata. Ergo sola Scriptura est Index controuersiarum. Quod perinde est, ac si diccas. Lutherani scrutantur testimonia Augustini & Bellarmino citata: Ergo solus Augustinus est iudex controuersiarum. Vel sic: Rustici scrutantur testimonia Lutheri à Prædicante citata: Ergo solus Lutherus est iudex controuersiarum. Vel sic. Kemnitius in examine Concilij Tridéntini scrutatur traditiones à Catholicis allegatas: Ergo sola traditio est iudex controuersiarum. Vel denique sic: Discipuli scrutantur testimonia Ciceronis à Præceptore citata: Ergo solus Cicero est author Latinitatis. Apage cum istis consequiis. Et tamen apud aduersarios, quia meliores non habentur, in pretio sunt.

VI. TESTIMONIVM.

• Galat. 1.9. *Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.*

141. Ergo, inquiunt aduersarij, præter Euangeliū non licet admittere traditiones. At ego contra sic infero: Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod Paulus euangelizauit, anathema sit: At Lutherani & Caluinistæ euangelizant aliquid præter id quod Paulus euangelizauit, quia oppugnant traditiones, quas ipse commendauit, (2. Thes. 2.14.) *Tenete traditiones.* Ergo Lutherani & Caluinistæ anathema sunt.

142. Sed videamus scopum Apostoli. Nam inde apparebit an damnentur hoc loco traditiones, necne. Scopus Apostoli est hic. Galatæ docti erant à Paulo, ceremonias legis Mosaicæ abrogatas esse, neminiem posse per huiusmodi ceremonias iustificari, sed per fidem in Christum, (cap. 2.16.) Ab hac doctrina fuerunt postea abducti per quosdam falsos apostolos, qui docebant eos non posse saluari per fidem in Christum, nisi simul circumciderentur, & alias legis Mosaicæ ceremonias obseruarent (vt patet ex decursu totius epistolæ, praesertim cap. 1. v. 6. & cap. 3. v. 1. & cap. 4. v. 9. & cap. 5. v. 1.) contra huiusmodi falsos apostolos agit Paulus, cum ait: *Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* quasi dicat: Accepistis à me, hominem iustificari per fidem in Christum, non autem per obseruationem legis Mosaicæ. Si quis aliter vos instruit, asserendo non professe fidem in Christum, nisi accedit

dat circumcisio & aliæ ceremoniæ legales, anathema sunt. At hinc non sequitur, traditiones Apostolicas esse reiiciendas, sed potius conseruandas, quia nō sunt præter, aut contra id, quod Paulus euangelizauit Galatis de iustificatione, sed potius sunt id, quod ipse Thessalonicensibus euangelizauit, cùm dixit: *Tenete traditiones, quas didicistis.*

VII. TESTIMONIVM.

2. Timoth. 3.16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

143. **E**X quo loco dupliciter argumentantur aduersarij; Aliqui sic: Omnis Scriptura est vtilis ad docendum & arguendum: Ergo superuacaneæ sunt traditiones. Perinde ac si dicas: Omnis cibus est vtilis ad nutriendum: Ergo superuacaneus est potus. Vel, omnis eleemosyna est vtilis ad salutem, (Luc.11.41. & Dan.4.24.) Ergo superuacanea oratio, superuacanea Sacra menta. Miseret me horum hominum.

144. Alij sic: Omnis Scriptura est vtilis, id est sufficiens: Ergo superuacaneæ traditiones. Sed quæ hæc interpretatio est? An idem sunt, vtilem esse, & sufficientem esse? Si idem sunt, iam illud Timoth.4.8. *Pietas ad omnia vtilis est, licebit sic interpretari: Pietas ad omnia sufficiens est: Ergo reliqua omnia superuacanea sunt.* Et similiter illud 2. Timoth. 4.11. *Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in*

ministerium, id est, sufficiens: Ergo Timotheus, Titus, Onesimus, & alij superuacanei sunt. Quis non videt, si hæc licentia interpretandi Scripturam semel admittatur, totam corrumpi, & adulterari posse?

145. Sed ut clarius res ipsa percipiatur, *textus* Apostoli considerandus est. Igitur Apostolus in citato capite hortatur Timotheum Episcopum, ut suos subditos instruat in fide & bonis operibus; & redarguat aduersarios, qui corrupti mente, & reprobi circa fidem, resistunt veritati. Et ut ostendat eum id posse præstare, subdit. Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris: Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. Vbi per sacras literas, quas ait Timotheum ab infantia nouisse, intelligit Scripturam veteris Testamenti. Nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum exstabat Scriptura noui Testamenti.

146. Apostolus ergo in illo textu sic argumentatur: Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios. At Scriptura veteris Testamenti, quam ab infantia nosti, est diuinitus inspirata: Ergo est utilis ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios: cùm ergo cognitione illius Scripturæ instructus sis, magnum ex ea præsidium habes ad præstandum, quod dixi.

147. Ex eodem principio licebit sic concludere: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum & arguendum: At Scriptura noui Testamenti est diuinitus inspirata: Ergo est utilis ad docendum & arguendum. Qui ergo cognitione huius Scripturæ instructus est, magnum ex ea præsidium habet

ad

ad utrumque præstandum.

148. Porro ex utroque discursu patet, has tres propositiones veras esse secundum Apostolum, 1. Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum & arguendum. 2. Scriptura veteris Testamenti utilis est ad docendum & arguendum; Scriptura novi Testamenti utilis est ad docendum & arguendum. Sicut ergo non sequitur: Scriptura veteris Testamenti est utilis: Ergo Scriptura novi Testamenti est superuacanea: Nec contra, Scriptura novi Testamenti est utilis; Ergo Scriptura veteris Testamenti est superuacanea: Sic etiam non sequitur: Vtraque Scriptura est utilis: Ergo traditio est superuacanea.

VIII. TESTIMONIVM.

Apocal. 22. 18. *Contestor omni audienti verba prophetiae libri huius: Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vite.*

149. **H**inc concludunt aduersarij in hunc modum: Si quis apposuerit aliquid ad verba prophetiae Apocalypticæ, punietur à Deo: At Catholici apponunt traditiones: Ergo punientur à Deo. Poterant etiam sic concludere: Si quis apposuerit aliquid ad verba prophetiae Apocalypticæ, punietur à Deo. At Calvinistæ apponunt Euangelia, Epistolas Apostolorum, Institutiones Caluini, Catechismum

Heidel

Heidelbergensem, Symbolum Athanasij, & prima
quatuor Concilia generalia. Ergo punientur à Deo.
Vel sic: Si quis diminuerit de verbis prophetæ Apo-
ocalypticæ auferetur de libro vite: At Lutherani non
solum diminuunt de verbis prophetæ Apocalypticæ,
sed etiam totam prophetiam suspectam habent,
nec eam pro diuina & canonica, sed pro spuria &
apocrypha agnoscunt: Ergo auferentur de libro vite.

150. Sed ad rem. Ioannes nihil aliud prohibet,
quam, ne verba prophetæ Apocalypticæ ab aliquo
depraventur, quod d'obus modis fieri posse insi-
nuat. Primo, additione, ut si quis apponat aliquid ad
prophetiam Apocalypticam, quasi pars illius sit, quæ
reuera non est. Secundo, diminutione, ut si aliquid
detrahat, quasi ad illam non pertineat, quod reuera
pertinet. Neutrum faciunt Catholici. Exemplo rem
declarabo: Prædicit Ioannes cap. 11. fore aliquando,
ut veniant duo Prophetæ, amicti saccis, qui prophetab-
bunt diebus mille ducentis sexaginta: & habebunt potesta-
tem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetæ ipsorum,
& potestatem conuertendi aquas in sanguinem, &c. Ad
hanc prophetiam nihil addunt Catholici, quod ad
eam non pertineat; nec auferunt aliquid, quod ad
eam pertineat: sed relinquunt integrum, sicut à Ioan-
ne prescripta est. At contra faciunt aduersarij, præler-
tim illi, qui dicunt hos duos Prophetas fuisse Luthe-
rnum & Caluinum. Nam qui hoc dicunt, necessario
diminuunt de verbis prophetæ huius; cum constet
Lutherum & Caluinum non fuisse amictos saccis,
nec habuisse potestatem claudendi cœlum, & quæ
ibidem sequuntur.

E P I L O G V S E O R | V M Q V A E
haec tenus dicta sunt.

Duo haec tenus prestatore conatus sum. Alterum est, ut ostenderem Scripturam non esse Iudicem controuersiarum, sed Ecclesiam. Hoc autem ostendi sex modis. Primo ex officio Iudicis, quod non conuenit Scripturæ; quia Scriptura non potest ita pronunciare sententiam inter duas partes litigantes, ut altera pars faciat sententiam contra se, altera pro se latam esse. Secundo ex parte ipsius Scripturæ, in qua duo spectanda sunt, Littera & sensus. Littera occidit, & est causa multarum heresum, ut varijs exemplis ostensum est. Sensus saepe est obscurus aut ambiguus, tum propter apparentes contradictiones, quæ passim occurunt, tum ob alias causas, quæ supra enumeratae sunt; ac proinde opus est Iudice, qui clare definiat, hunc esse legitimum sensum, illum non esse. Tertio, ex parte controuersiarum, quia multæ sunt controuersiæ, quarum nulla sit mentio in Scriptura, ideoque ex Scriptura decidi non possunt. Quartio ex usu & praxi veteris Testamenti, ubi Scriptura non agebat personam Iudicis, sed Pontifex, qui erat Princeps Synagogæ: Et cuius sententiæ, sub pena mortis, erat obtemperandum. Quinto, ex usu & praxi novi Testamenti, ubi omnes controuersiæ, vel à Prælatis Ecclesiæ, vel à Conciliis haec tenus decisæ sunt. Sexto, ex analogia Iudicis causarum civilium, quæ non deciduntur à lege scripta, sed à Principe communitaris: neque iuxta normam solius legis scriptæ, sed etiam consuetudinis non scriptæ.

152. Alterum est, ut demonstrarem testimonia Scripturaræ, quæ contra nos obiciuntur, vel nihil ad rem facere; vel nobis potius, quam aduersariis patrocinari: vel non recte ab illis explicari. Verbi gratia illud Isaïæ 8.20. *Ad legem & testimonium, nihil ad rem facit, quia non intelligitur de controversiis fidei, sed de futuris rerum contingentium eventibus.* Illud porro Ioann.5.39. *Scutamini Scripturas, nos potius iuuat, quam aduersarios.* Nam Christus, cum hoc diceret Iudeis, non disputabat cum illis ex sola Scriptura, (quod aduersarij faciendum esse contendunt) sed etiam ex testimonio Ioannis Baptiste, ex testimonio miraculorum, & ex voce Dei Patris de cœlo delapsa. Igitur non putauit solam Scripturam esse normam controversiarum. Reliqua non bene explicantur ab aduersarijs, ut sigillatim ostensum est. De quo æqui Lectoris sit arbitrium.

O B I E C T I O P O P V L A R I S.

Contra ea, quæ hactenus dicta sunt.

153. Perique simpliciores contra ea, quæ diximus, sic obiciunt: Iudex controversiarum in rebus fidei debet esse infallibilis, qui errare non possit; quia si ipse erraret, reliqui etiam errarent, qui illius sententiam sequerentur. Iam vero constat ex una parte, Scripturam esse infallibilem, cum sit verbum Dei, qui errare non potest: Et ex altera, homines non esse infallibles, sed mendaces & errori obnoxios, iuxta illud Rom.3.4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ergo Scriptura potest esse infallibilis Iu-

dex: homines cùm sint mendaces , non possunt. At Pontifex est homo ; & Ecclesia nihil aliud est, quam collectio hominum : Ergo Pontifex & Ecclesia sunt mendaces, & errare possunt. Nemo igitur est tutus ac securus in negotio fidei, qui illorum sententiam sequitur.

154. Hæc obiectio, si quid roboris ac momenti habet , non minus valet contra aduersarios , quam contra nos. Nam si omnis homo mendax est, & errare potest, necessariò sequitur, Mosen, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Lutherum quoque & Caluinum, itemque omnes Prædicantes Lutheranos & Caluinianos mendaces esse, & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur credendum illis aut fidendum esse; sed omnia, quæ ab illis dicuntur, suspecta ac incerta haberi oportere. Vbi ergo fides? Nec refert, si dicant se non hominis, sed Dei verbum annunciare. Nam si mendaces sunt, etiam in hoc punc̄to mentiri possunt. Nihil ergo certi est.

155. Sed absit, vt nos ita loquamur aut sentiamus. Longe aliter res habet; Ac primo quidem fatemur , Scripturam certam ac infallibilem esse, quia Verbum Dei est: sed addimus, cùm sæpe obscura sit, non facile vnicuique constare posse de legitimo illius sensu. Itaque alio Iudice opus esse, qui infallibiliter decernat , quis legitimus Scripturæ sensus sit. Hic autem Iudex non potest esse quilibet homo priuatus; quia alioqui tot essent diuersi Iudices, quot diuersa capita & sententiæ: Et sic nulla controuersia componi posset. Quisque enim dicit, se bene sentire, reliquos male. Necesse igitur est, vt sit aliquis publicus Iudex, qui cum autoritate decernendi & definiendi, inter partes litigantes potestatem habeat.

156. Dein

156. Deinde asserimus, homines duplicitate spe*ctari posse.* Primo, quatenus sunt filii Adam, & obnoxij variis naturae corruptionibus. Sic sine dubio proni sunt ad mendacium & falsitatem. (Gen. 8.21. & Psalm. 38.6.) Secundo, quatenus a Spiritu sancto ditiguntur & gubernantur ad aliorum instructio*nem.* Sic infallibilis & sine mendacio sunt. Talis in veteri Testamento fuit Moses cum senatu Seniorum. (Num. 11.17.) Tales alij Pontifices, qui deinde securi sunt. (Deut. 17.9. Aggæ. 2.12. & Malac. 2.7.) Tales Prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij. (Ier. 1.7.) Tales in nostro Testamento Apostoli, quibus dictum est, Ioann. 15. 16. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis. Et c. 16. 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: At ubi omnis veritas, ibi nullum mendacium.*

157. Talis denique fuit, & nunc etiam est Ecclesia, quæ propter perpetuam Spiritus sancti assistentiam & directionem, nunquam erravit hactenus, ne*c* deinceps errare poterit. Est enim aedificata supra firmam petram, & porta inferi non præualebunt aduersus eam. (Matth. 16.18.) Est columna & firmamentum veritatis, (1. Tim. 3.15.) Nunquam confundetur, neque erubescet. (Isa. 54.4.) Iaspis est propugnaculum eius. (Ibid. v. 12.) Et omnem linguam resistenter illi iudicio iudicabit. (Ibid. v. 17.) Est igitur infallibilis iudex, quem querimus.

158. Sed, An omnes & singuli, qui in Ecclesia sunt, habeant hanc assistentiam & directionem Spiritus sancti, ut in fide errare non possint: Facilis responsio. Singuli quidem habent, sed dependenter ab ipsa Ecclesia. Quamdiu ergo manent coniuncti cum Ecclesia, errare non possunt: si dissentient ab Ecclesia, iam errant. Quod duplice similitudine declarari

declarari potest. Vna sumitur ex proportione humani corporis. Nam si quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in se spiritus vitales & sensitiuos, quibus vita conseruatur; respondendum est, singula quidem habere, sed dependenter à capite & corde. Nam à capite & corde, tanquam à duplice principio, deriuatur huiusmodi spiritus in reliqua membra. Vnde, si intercipiantur aut occludantur meatus illi seu canales, per quos fit illa spirituum deriuatio & distributio, necesse est reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non posse. Sin pateant, & aperti sint, res salua est, etiam in Ecclesia. Singuli fideles, qui sunt quasi membra Ecclesiae, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus, Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est velut caput Ecclesiae; & à Conciliis, quæ sunt quasi cor Ecclesiae. Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis & Conciliorum; participant de assistentia & gubernatione Spiritus Sancti, & in fide errare non possunt. Sin per discordiam & pertinaciam, discedant à capite & corde, iam occludunt sibi omnes meatus, vt assistentia & directio diuina ad eos deriuari non possit: Et sic à veritate abducuntur, & erroribus obnoxij sunt. Quod contigit Arrio, Nestorio, Macedonio, Pelagio, & sexcentis aliis. Ne nobis cōtingat, audiamus consilium Apostoli, qui vbique horatur nos ad consensum & unitatem doctrinæ, vt Romanorum 16.v.17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinā, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et 1. Corint. 1. 10. *obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Ephes. 4. 3. *Seruante unitatem spiritus in vinculo pacis. Unū corpus, & unus spiritus: Sicut vocati*

*estis in una spe vocationis vestrae unus Dominus, una fides,
unum Baptisma. Et Heb. 13.9. Doctrinis variis & peregrinis
molite abduci.*

159. Altera similitudo sumi potest à grege ouium, qui optimè, repræsentat Ecclesiam (Ioann. 10.) Nam sicut totus grec in uno stabulo, vel loco collectus, habet perpetuam assistentiam Pastoris, qui furca & canibus defendit illum à ferocia luporum; sic etiam tota fidelium Ecclesia, in una fide & spiritu collecta, habet perpetuam assistentiam diuini illius Pastoris, qui dixit: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas.* Ioann. 10.14. Et iterum: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. 28. 20. Item sicut singulæ ouiculæ, quamdiu manent coniunctæ cum grege & Pastore, immunes ac tutæ sunt à morsu luporum; sic etiam singuli Christiani, quamdiu manent coniuncti cum Ecclesia, id est, cum doctrina & consensu Ecclesiæ, immunes ac tuti sunt à periculo erroris, & infidelitatis. Tandem sicut ouiculæ, quæ aberrant à grege, destituuntur protectione Pastoris, ac proinde luporum insidiis expositæ sunt; sic Christiani, qui discedunt à communī sensu & doctrina Ecclesiæ, destituuntur assistentia Spiritus Sancti ideoque erroribus expositos esse necesse est.

A P O L O G I A.

Pro Iudice Controversiarum, contra Gardium.

VIdeo te legisse libellum meum de Iudice Controversiarum, mi Gardi. In quo quidem, sex argumentis co-natus sum probare, non Scripturam, sed Ecclesiam esse Iudicem Controversiarum fidei ac religionis. 1. Ex officio Iudicis, quod Scriptura non conuenit. 2. Ex parte Scripturae, in qua duo spectanda sunt, litera & sensus. Litera saepe dicit in errorem; ac proinde infallibilis Index esse non potest. Sensus saepe obscurus est, ut indigeat alio iudice & interprete. 3. Ex parte Controversiarum, quia multa sunt, quae ex Scriptura dirimi non possunt, cum nulla de iis in Scriptura fiat mentio. 4. Ex usu & praxi veteris Testamenti, ubi non scriptura, sed Pontifex agnoscebat pro Iudice. 5. Ex simili usu & praxi noui Testamenti. 6. Ex Analogia Iudicis Controversiarum ciuilium & politicarum. Nam index eiusmodi Controversiarum, non est lex scripta sed Princeps aut Consistorium principis.

2. Hunc libellum magno Volumine aggressus es oppugnare: in quo, quidquid ex Hunny, Vittakeri, & aliorum Prædicatorum scriptis corraderem potuisti, contra me aggressum est. Nec agravem fero. Quin potius id gaudeo, utrò mihi occasionem offerri & confirmandi ea que afferui; & refellendi, quæ à te obiciuntur. Sed nec terror voluminis tui magnitudine. Mole magnum est, non robore; & plus inanis iactantie; quam solidæ eruditionis in eo reperio. De quo alijs simi Iudices. Interim oppono breuem hanc Apologiam, in tria capita distributam. Quoram primo ostensurus sum, multa vitia, toto volumine

à te commissa esse. Altero , argumenta à me proposita , adhuc firma stare nec à te conuelli potuisse. Tertio obiectiones , quibus me oppugnasti nullius esse ponderis ac momenti. Et sic finiam.

C A P V T . I.

Deteguntur vitia à Gardio commissa.

1. **V**Itia , quæ Lectori passim obuia sunt in tuo volumine , nec pauca , nec exigua sunt. Non omnia sed aliqua ex iis recensebo. Et hæc potissimum. *Primo* , in ipso operis tui ingressu , promittis magnam modestiam , in progressu , petulantissimus , & conuitiorum plenus es. *Secundo* ; statum quæstionis de Iudice trouersiarum clarè ac fideliter à me propositum , falsò reprehēdis ; & multis ambagibus inuoluis ; ac obscurū reddis. *Tertio* , Multa malitiosè mihi affingis , quæ nunquam dixi ; & iis refutandis non parum temporis ac chartæ otiosè cōsumis. *Quarto* , Quæ bono sensu à me dicta sunt , sinistrè accipis : non secus , quam araneus qui ex bonis floribus venenum haurit. *Quinto* , Scripturam male interpretatis. *Sexto* , Scripturæ testimoniis , ad tuas assertiones confirmandas , nō raro abuteris. *Septimo* , Vulgatam editionem , quæ multis iam sæculis in Ecclesia viguit , temerè & imperitè accusas ; ac in eius locum , vel tuam , vel alterius priuati hominis versionē substituis. *Octavo* , Libros Tobiæ , Iudith , Sapientiæ , Ecclesiastici , & Macchabæorum , nunc reiicis , nunc admittis: Nunc laude , nunc vituperio dignos censes. *Nono* , ita passim te geris , quasi in Scriptura nihil difficile aut obscurum tibi sit , sed omnia plana , aperta , perspicua : quod arrogantis ani-

mi signum est. *Decimo*, Mala fide citas Augustinum, & alios Patres ; in quo meritò suspectum te reddis. *Undecimo*, Non raro, vbi necesse non est, longas institutuis digressiones, quæ ad rem præsentē non faciūt, ut hac arte vel prætextu, tuo volumini opinionem concilias, si non apud peritos, qui ex doctrina, saltem apud mulierculas, quæ ex mole rem æstimare solent. Omitto alia similia. De istis, quæ iam recensui, dicam aliquid. Sed fortè plus, quam optes.

I. VITIVM GARDIT.

PRIMÒ igitur, in ipso operis tui ingressu, promittis magnam modestiam, his verbis: *Ea utar modestia, quæ nec ipsi Beccano, nec magno ipsius Patrono, nec aliis, quibuscunque moderatis ingenii displicere poterit.* Speciosa promissio, sed vanissima. Nam paulò post, quasi dæc fideli oblitus, his conuitiis infectari me incipis. 1. Beccanus est cæcus. 2. Impudens. 3. imprudens Iesuita, 4. Helleboro purgandus. 5. Puerilis. 6. Superstitiosus. 7. Sophista. 8. Audax & inconsideratus. 9. Entusiasta. 10 Hæreticus. 11. Pseudocatholicus. 12. Insensatus. 13. Nouus Pharisæus. 14. Absurdus disputator. 15. Hospes in codice Bibliorum. 16. Paulo Apostolo in faciem contradicit. 17. Scripturam arguit. 18. Ipsum Deum aliqua ex parte reum facit. 19. Crassè allucinatur. 20. Omnibus eruditis ludibrio se exponit. Sic de me. De meis dictis ita pronuicias. 1. Sunt falsissima. 2. Absurdissima. 3. Blasphema. 4. Risu digna. 5. Figméta putidissima. 6. Puerilia & leuicula. 7. Sónia. 8. Crassi & portentosi errores. 9. Scopæ dissolutæ. 10. Inanes coniecturæ. 11. Pueriles ineptiæ. 12. Calumniæ virulentæ. 13. Sarcasmi. 14. Crudæ voces. 15. Ne cassam quidem nuceim valent. Et sic deinceps.

3. Hæc scilicet illa modestia est , quām promittis, mi Gardi: eāque & mihi:& magno meo Patrono Cardinali , & aliis moderatis ingeniis placitaram interpretaris. Itanē verò? An putas nos stipites aut fungos esse, qui huiusmodi scommata , non aliter , quām singularis cuiusdam modestiæ ac humilitatis tesseras accepturi simus ? Ego tamen ut de me loquar , non tam succenseo tibi, quām condoleo, quod videam te omni veritatis præsidio destitutum , non nisi morsu ac latratu pugnare posse. Nec regeram scommata , quæ in me coniicis: quia scriptum est, Prou. 26.4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suā ne efficiaris ei similis.* Quid porò magnus meus Patronus , quid alij moderati homines dicturi sint, facilis coniectura est. Omnes dicent, quod vñus dixit, Gardium in veste ouïna ingressum esse, sed mox lupum apparuisse , Vel , quod alias , Gardium, quantumuis modestiæ pallio se obtegat , Prædicantiam naturam exuere non posse.

II. VITIUM GARDII.

4. Secundò statum quæstionis de Iudice controuer-
siarum fideliter à me propositum, falsò reprehendi-
s: Et quod clare à me dictum est, multis ambagibus
obscurum facis. Statum sic proposui. Agimus de
Iudice controuersiarum in negotio fidei ac religio-
nis. De quo aliter aduersarij sentiunt, aliter Catholici.
aduersarij, vt plurimum docent solam Scripturam es-
se Normam & Iudicem controuersiarum fidei ac reli-
gionis & ex ea sola , sola seclusis traditionibus &
authoritate Ecclesiæ, controuersias omnes finiri ac deci-
di posse.

5. Catholici distinguūt inter Iudicem & Normam.
Iudicem vocant , qui fert sententiam inter partes
litigan-

litigantss. Normam , secundum quam fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione , tria docent. 1. Ecclesiam esse Iudicem controuersiarum. 2. Normam , quam sequitur Ecclesia , non esse solam Scripturam , sed scripturam & Traditionem simul. 3. Ecclesiam , iuxta hanc Normam dupliciter sententiam pronunciare posse , Vel per Pontificem , qui est Pastor Ecclesiae ; Vel per Concilia à Pontifice approbata , quæ repræsentant Ecclesiam : Et utroque modo sententiam esse infallibilem. Sit ego in meo libello §. 1. & 5. Ac ut opinor , satis clarè.

6. Tu multis modis hic peccas. Primò quia obiicis mihi falsitatem his verbis : *Falsò afferit Beccanus , nos solam Scripturam facere Iudicem controuersiarum fidei ac religionis. Nam & Ecclesiam admittimus Iudicem diuerso tam gradu & respectu.* At ego non falsò , sed verè id assero. Loquor enim de tali iudice , cuius sententia si infallibilis , ut disertè explicaui §. 5. 11. & 12. Certū autem est , vos solam Scripturam agnoscere pro infallibili Iudice , ut testati estis in vestris thesibus , quas in Colloquio Ratisbonensi de Norma & Iudice publicè disputandas exhibuistis. Et tu ipse fateris his verbis , *Nos respondemus solam Scripturam sacram esse infallibilem Iudicem controuersiarum fidei ac religionis.* Quid verò falso à me assertum est ? Non video. Sed , si quid video , tu falsò arguis , quod verè à me dictum est.

7. Secundò , confundis Normam & Iudicem , quæ distinguenda sunt : & utriusque officium tribuis Scripturæ , quam & Iudicem & Normam esse vis. Nam iudicem appellas verbis proximè citatis . Normam verò alibi cum ais : *Index Ecclesiasticus secundum Scripturam tanquam Normam & regulam , indicat & pronunciat.* At si Scriptura est Norma , secundum quam pronunciatur sen-

tētia, certè ipsa non est Iudex, qui pronunciat sententiam. Sicut si lex Imperatoris est Norma, secundum quam dirimuntur lites ciuiles, non potest esse iudex, qui dirimit lites ciuiles.

8. Quod sic clarius explicō. Scriptura potest conferri vel cum Deo, tanquam authore; vel cum iudice Ecclesiastico; vel cum ipsis controuersiis. Respectu DEI, nec est Iudex, ut per se constat; nec vox Iudicis, quia Deus non est author Scripturæ, ut Iudex, sed ut Legislator. Est autem diuersa vtriusque ratio. Nam Iudex (ut hoc loco sumitur) non pronunciat sententiā, nisi requisitus ab aliis, qui litem seu controuersiam dirimendam illi proponunt. At legislator ex se, & nō requisitus solet legem statuere, tanquam Normam, secūdum quam actiones nostras instituere debeamus. Et sic fecit Deus. Non enim requisitus à nobis, sed ex se vltro proposuit nobis Scripturam per modum legis, Normæ, seu Regulæ, quam in doctrina & moribus sequi necesse sit.

9. Respectu Ecclesiastici, non est etiam Iudex, sed Norma. Quod sit norma concedis. Quod non sit Index, dupliciter probō. Primo, quia Scriptura, respectu vnius & eiusdem, non potest simul esse Iudex & Norma: At respectu Iudicis Ecclesiastici est Norma, ex concessis: Ergo respectu eiusdem non est Index. Secundo: quia alioqui essent Duo Iudices in ferenda sententia, nempe Scriptura, & Iudex Ecclesiasticus. Et Scriptura quidem, ex tua sentētia, per se infallibilis & sufficiens ad quācumque litem dirimendam: Iudex vero Ecclesiasticus, ex se fallibilis & non sufficiens. At quid opus est, adhibere Iudicem fallibilem & non sufficientem, si in promptu habes infallibilem, & per se sufficientem? Certè, qui habet unum pharmacum per se efficax

se efficax & sufficiens ad morbum depellendum, frustra adhibet aliud, quod nec efficax nec sufficiens est.

10. Denique respectu controuersiarum, certum est, Normam esse, non Iudicem. Norma est, quia controuersiae à Iudice Ecclesiastico deciduntur iuxta Scripturam, ut fateris. At Iudex non est, ob rationes iam allatas. 1. quia non potest simul esse Iudex & Norma respectu eiusdem. 2. alioqui duo essent Iudices in sententia ferenda, quod est superuacaneum. Accedit. 3. quo aliquando oriatur controuersia de ipso Scripturæ sensu quæ à iudice Ecclesiastico definiri debet, ut tu ipse testaris his verbis: *Ecclesia ex ipsa Scriptura iudicat, quis verum eius sensum teneat.* Igitur ex tua concessione, Ecclesia est Iudex; Scriptura non est, nec potest esse, quia de ipsius sensu ac sententia mouetur controuersia.

11. Tertiò peccas, quia constituis teipsum Iudicem Ecclesiæ & Conciliorum. Nam ex una parte afferis, solam Scripturam esse infallibilem Iudicem: Ex altera Ecclesiam & Concilia, si sequantur Scripturam, falli non posse; si non sequantur, posse. At hoc afferendo, si non aperte, saltem occultè usurpas tibi officium Iudicis supra Ecclesiam & Concilia. Quis enim in hac vita iudicabit, an Ecclesia & Concilia in decidendis controuersiis sequantur legitimum Scripturæ sensum, necne? Tu solus, tuo iudicio. Nam si sequantur illum sensum, quem tu sequeris, iudicabis non falli; si non sequantur, iudicabis falli. Igitur eò res redibit, ut omnes errent, qui à te dissentient; Non errent, qui consentiunt. Itanè verò?

12. Quartò peccas, qui tibi ipsi contradicis. Nā uno loco sic ais: *Errantibus Concilii & Pastoribus Ecclesia,*

tota Ecclesia nec errat, nec deficit. Item, concedimus Ecclesiam totam simul neque errare, neque errare posse. Vbi agnoscis discrimen inter Ecclesiam & Concilia, quod Ecclesia non possit errare; Concilia possint. Et alibi contrarium assertis, his verbis: *Ecclesia est columnæ & firmamentum veritatis, superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum cui firmiter innitatur & inheret, veritatem sustentare, & conservare potest; si ab eo recedat, & ipsum corruere, & veritatem perdere necesse est.* Hic disertè affiras, Ecclesiam, si discedat à fundamento Scripturæ, corruere & deficere. Ergo iam nullum agnoscis discrimen inter Ecclesiam & Concilia. Ambo enim errare possunt, si discedant à Scriptura; Non possunt, si non discedant. Est ergo utrobique pars ratio. Vides labyrinthum, quem ingressus es?

III. VITIUM GARDII.

13. **T**ertio, multa malitiosa mihi astingis, quæ nunquam dixi; & iis refutandis multas pagellas frustra consumis. Ex illis aliqua proponam. Primo dixi, Scripturam quo ad verum & legitimum sensum, saepè, seu, multis locis obscurā esse. (§. 21. & 23. in fine) Tu, dissimulata vtraque particula; sape & multis locis, fingis me dixisse, *Totam Scripturam esse obscuram.* Et argumenta mea, quibus ostendi, sape, seu multis locis obscuram esse, conaris illudere hac ironica illatione, *Ergo tota obscura est: Quasi ego voluerim probare totam obscurā esse;* quod nunquam mihi in mentem venit. Hoc est fucum facere Lectori.

14. Secundo dixi, ex obscuritate Scripturæ oriuntur controvérsias inter Christianos. (§. 48. in titulo.) Et ostendi hoc variis exemplis. Inter alia, adduxi illud Christi, *Hoc est corpus meum.* De quo inter nos & vos controvær-

controuersia est. Tu fingis me dixisse, cōtrouersias ori-
ri ex obscuritate verborum; & obiicis illa verba, *Hoc
est corpus meum*, esse clarissima, ideoque controuersiam,
si quæ est, ex verborum obscuritate oriri non potuisse.
At aliud est, mi Gardi, obscuritas Scripturæ; aliud
obscuritas verborum. Prior latius patet, quam po-
sterior. Nam cū duo sint in Scriptura, verba & sensus,
qui dicit ex obscuritate Scripturæ oriri controuer-
sias, non vult significare, ex sola obscuritate verborum
oriri, sed vel ex obscuritate verborum, vel ex obscuri-
tate sensus, etiam si verba clarissima sint. Itaque con-
trouersia circa dictum Christi, *Hoc est corpus meum*, ori-
tur quidem ex obscuritate Scripturæ, non tamen ver-
borum, sed sensus. Nam verba clara sunt; sensus
non item.

15. Sed quæres, quomodo sensus possit esse obscu-
rus, quando verba clara & aperta sunt? Hoc ostendam
in simili exemplo. Si quis manu apprehenderet serpen-
tem, & demonstrando serpentem diceret: *Hic est pa-
nis meus*: Verba quidem, secundum natuam significa-
tionem, clara essent; sed tamē nescires, quo sensu alter
ea proferret; præsertim cū id quod manu teneret,
non haberet formam panis, sed serpentis. Itaque pos-
ses existimare, vel metaphoricè illum loqui, vel ioca-
ri. Simile quid fecit Christus. Accepit panem in ma-
nus, & demonstrando dixit: *Hoc est corpus meum*. Quæ
verba, si species natuam ipsorum significationem, non
minus clara sunt, quam priora. Sed tamen posset ali-
quis dubitare, quomodo, cum nihil videat in mani-
bus Christi nisi panem, dicatur nihilominus caro hu-
mana.

16. Tertiò dixi, inter alias causas obscuritatis Scri-
pturæ, quas multas recensui, etiam hanc esse, quod

in historiis Scripturæ sæpe non seruetur ordo rerum gestarum; quod supputatio annorum non semper appareat liquida; quod sæpe citentur libri, qui non extat. (§. 36.) Tu fingis me sic argumentatum esse: *Scriptura in quibusdam locis est obscura, propter neglectum ordinem rerum gestarum, supputationem annorum non satis liquidam, & libros quosdam citatos, sed amissos: Ergo tam obscura est, ut in controvërsiis fidei non possit certus & perspicuus sensus ex ea haberi.* Non est meum hoc argumentum, sed tuum figmentum. Solum volui ostendere, Scripturam multis locis obscuram esse, quod tu non negas & inde concludere, si de iis ipsis locis, in quibus obscura est, oriatur controvërsia, non posse eam decidi, nisi ab aliquo Iudice, qui definiat, quo sensu Scriptura, quando obscura est, accipienda sit. Et quid hic malis? An putas, Gardi, tam stupidum me esse, ut sic inferam? Scriptura est obscura in supputatione septuaginta hebdomadarum Danielis: Ergo ex Scriptura non potest haberi certus ac perspicuus sensus, in controvërsia de mysterio Trinitatis? Vel sic, Prophetæ non semper scribunt res gestas, eo ordine, quo gestæ sunt; Ergo è Scriptura non potest certò constare, Baptismum esse necessarium. Vel sic: Liber bellorum Domini (qui citatur Nu. 21.14.) amissus est: Ergo sola fides iustificat. Absit, ut sic ineptiam. Hanc prærogatiuam Prædicantibus relinquo.

17. Quartò dixi, Apostolos in Concilio Hierosolymitano difiniuisse controvërsiam de Circucione, nullo Scripturæ testimonio in medium allato, quod directè ad Circumcisionem pertineret. (§. 86.) Tu fingis, me sic argumentatum esse: Apostoli definuerunt controvërsias non ex Scriptura, sed ex directione & assistentia Spiritus Sancti: Ergo etiam successores

cessores Apostolorum debent definire controuersias, nō ex Scriptura, sed ex directione Spiritus Sācti. Hoc figmentum simile priori est : Excogitatum , ad conciliandam mihi inuidiam apud Lectorem : quasi ego sim hostis Scripturæ. Longè alia mihi mens est. Volui ostendere non omnes controuersias, quæ hactenus in Ecclesia definitæ sunt, ex sola Scriptura definitas esse. Dedi instantiam de controuersia Circūcisionis. Quid hic malī ? Nihil ; nisi quod oculus tuus malus est, qui omnia sinistrè aspicit.

18. Quintò dixi, post tempora Apostolorum, varias controuersias fuisse decisas vel à Pontifice Romano, vel à Conciliis ab eo approbatis (§. 87.) Tu fingis me dixisse, Pontificem Romanum præsedisse non tantum Conciliis generalibus , sed etiam particularibus. Et hoc conaris refutare multis exemplis , quia varia Concilia particularia celebrata sunt, quibus Pontifex non præsedidit, sed loco eorum Episcopi. At frustra. Nā aliud est , præsidere Conciliis; aliud, approbare Concilia. Pontifex multa approbavit , quibus non præsedidit. Nec ego dixi, controuersias fuisse decisas in Conciliis, quibus Pontifex præsedidit, sed quæ Pontifex approbavit.

19. Sexto dixi, quod in hodiernum usque diem non cōstaret omnibus clare & palam, Nouatianum, Sabelium, Samosatenum, Arrium, Nestorium pro hæreticis haberi oportere , si Ecclesia suam sententiam non interposuisset. (§. 100.) Tu fingis me dixisse, si Ecclesia per Concilia suam sententiam non interposuisset. Et hinc infers miras consequentias. 1. ante definitiōnem Conciliorum, nullum palam hæreticum habendum esse 2. male iudicasse Irenæum , Tertullianum, & alios Patres , qui hæreticos sui temporis agnouie-

runt pro hæreticis, antequam publico Concilio declarati essent hæretici. 3. nec hoc tempore Photinianos in Polonia pro hæreticis haberi oportere, cum publico Concilio nondum damnati sint. Hæc & similia portenta quæ infers oriuntur ex tua fictione, non ex mea assertione. Non enim asserui Ecclesiam debere suam sententiam interponere per Concilia; sed absolute dixi, debere interponere. Potest autem variis modis id fieri. 1. per Pontificem. 2. per Concilia generalia. 3. per Concilia particularia. 4. per consensum populi Christiani.

20. Septimo dixi, legem ciuilem nō posse esse Iudicem controversiarū ciuilium, præsertim in his casibus, 1. quando ipsa obscura aut ambigua est. 2. quando una videtur alteri repugnare. 3. quando verba legis, quæ generalia sunt, restringenda essent in aliquo casu particulari, & tamen restricta non sunt. Quod dixi tunc fieri, quando occurrit aliquis casus particularis, quem Legislator, cum legem conderet, non præuidit cœnturum. (§. 104. Tu fingis, vel certe videris fingere (quia subdole & ambigue loqueris) me hoc dixisse, non solum de lege ciuili, sed etiam diuina. Ac inter alia, sic exclamas: *Nihil magis absurdum vel impium est, quam asserere, Spiritum Sanctum non præuidisse omnes casus & controversias particulares, quæ aliquando exorituræ essent.* Sed inanis est exclamatio. Nec aliud efficiis, quam quod aërem verberas, & cum tua Phantasia luctaris. No dixi hoc de spiritu Sancto, sed de legislatore humano, iuxta illud Sap. 9. 14. *Cogitationes mortalium imida, & incerte prouidentiae nostæ.*

21. Octauo dixi, Lutheranos illa verba Lucæ 8. 50. *Credet amum & fulua erit,* interpretari de fide iustificante: Catholicos de fide, qua Iairus Princeps Synagogæ

gogæ credebat, filiam suam à Christo resuscitari posse. (§. 48.) Tu arguis me falsitatis, his verbis: *Falsò tribuitur Lutheranis talis interpretatio.* At tu meritò falsitatis arguendus es. Nam Iacobus Herbrandus, inter Luthe ranos sui temporis celeberrimus, in Epitome Compendij Theologiæ, tit. de Iustificatione, interpretatur eo sensu, quo dixi. Proponit enim hanc quæsti onem, *Vnde de sumpta est particula, Sola, cum dicitur, Sola fide homi iustificatur?* Et respondet. *Ex Luca 8. vbi Christus inquit ad Iairum, Solum credere,*

22. Nonò dixi, Lutheranos dicere, quòd infantes, dum baptizantur, habeant fidem actualem. (§. 48.) Quid tu verò? *Aut nescit, inquis, aut non intelligit Beccanus, quid dicant Lutherani de fide actuali infantium in Baptismo.* Scio, quid dicant; sed nescio, quid sentiant. Non enim consentiunt inter se. Omnes quidem clamant, Baptismum non prodesse infantibus, nisi fidem habeant. Sed qualis sit illa fides, & quando incipiat esse in infantibus, variæ sunt inter vos dissensiones. De quibus infra cap. 2. §. 51.

23. Omitto similia, quæ falso in me dicis. Vnum addam, quod concernit omnes Catholicos. Ais illos docere, multa esse creditu ad salutem necessaria, de quibus tot in Epistolis Pauli ne unicum quidem iota legitur: qualia sunt.
 1. Iustificatio & meritum operum. 2. Sacrificium Missæ. 3. Communio sub una specie. 4. Purgatorium. 5. Inuocatio Sanctorum. 6. Cælibatus Ministrorum Ecclesiæ. 7. Ieiunium in discrimine & delectu ciborum.

24. Luculentum mendacium; & multiplex. Primò quia quædam ex illis evidenter deducuntur ex Epistolis Pauli, ut meritum operum: quædam ex Epistola Iacobi, ut iustificatio operum: quædam ex aliis Scripturæ locis, ut sacrificium Missæ, Purgatorium, Inuocatio

catio Sanctorum. Nec opus est, ut omnia probentur ex solo Paulo. Deinde Catholici non docent, omnia ista, quæ recenses, esse creditu necessaria ad salutem. Imo docent, sufficere ad salutem, si quis expresse credat articulos fidei in Symbolo Apostolorum comprehensos; modo reliqua; quæ ab Ecclesia proponuntur, pertinaciter non neget. Vide D. Thomam in 2.2. q.2. artic. 5. Dominicum Bannes ibidem, artic. 7. dub. 2. Valentiam Tom. 3. disp. 1. quæst. 2. p. 3. Seratium in explicatione Symboli Athanasij, & alios denique, ubi legisti apud Catholicos, cœlibatum Sacerdotum, & delectum ciborum esse articulos fidei ad salutem necessarios? Hoc forte legisti, utrumque ab Ecclesia præceptum esse. At aliud est, præceptum esse ab Ecclesia; aliud, esse articulum fidei. Similiter aliud est, necessarium esse ad salutem ex obligatione obedientiæ; aliud, necessarium esse ad salutem obligatione fidei. Si hæc scis quare dissimulas? Si nescis disce.

I V. V I T I V M G A R D I I .

25. **Q**uarto, quæ ego bono sensu dixi, sinistre interpretaris. Quod duplici exemplo demonstrabo. Prius est tale, dixi, Deo volente ac disponente Scripturam esse obscuram. Et assignauit tres rationes, cur Deus voluerit obscuram esse. 1. vt in Ecclesia seruitur ordo inter Doctores & discipulos, seu inter Pastores & oues, qui non seruaretur, si Scriptura esset tam clara, ut promiscuè ab omnibus intelligi possit. 2. vt maior sit authoritas & maiestas Scripturæ, quæ visceret, si omnibus, etiam infidelibus, esset clara & obvia. 3. vt non detur nobis occasio arrogantiæ, quæ sine dubio daretur, si putaremus altissima fidei mysteria

mysteria facile comprehendendi à nobis posse, (§. 45. & sequentibus.)

26 Tu interpretaris me hoc dixisse ad arguendam Scripturam & Deum. Sic enim scribis : *Becanus* à què ac *Bellarminus* Scripturam summae arguit obscuritatis. Item, *Becanus* non alia de causa, tot scrupulos obscuritatis in Scripturis usque adeo superstitione inquiret, ut vel odiosas, vel iædiosas illas reddat, & tandem nostrorum etiam hominum manibus excutiat. Item, *Videat Becanus*, quid Deo aliquando respondere velit, vel in agone mortis, vel in extremo die, cur Scripturam sacram, tot modis obscuritatis argueret voluerit. Item, Non satis fuit ipsi, Scripturam obscuritatis arguere, nisi Deum ipsum aliqua ex parte reum faceret. Denique sic exclamas; *Certe non caret periculo, ne dicam blasphemiam, cruda haec vox Beconi, Scripturam Deo volente & disponente, obscuram esse.*

27 Malitiosè hæc omnia. Ego non arguo Scripturam propter obscuritatem, sed laudo. Sicut enim laudari potest ab origine, quia diuina est : & à certitudine quia infallibilis est : sic etiam ab obscuritate, quia reconditis mysteriis & prophetiis plena est. Quod pulchre explicat Theodoretus præfatione in Ezechielem Prophetam, ubi variis exemplis ostendit, ea omnia, quæ pretiosa sunt, ab hominum sensibus remotiora esse. Primo, quia Margaritæ in profundo maris occultantur. Secundo, auri argenteique venæ in terræ superficie non existant, sed in intimis eiusdem partibus con teguntur. Tertio, quæ item in domibus pretiosissima sunt, non solemus palam exponere, sed in penibus, impositris etiam vinculis & sigillis custodire. Quartò, consilia quoque earum rerum, quæ sint maioris alicuius ponderis, non omnibus temerè, sed fideliorib. tantum amicis aperta esse volumus. Hinc infert, cum

his omnibus, quæ iam dixi, præstantiora sint diuina,
quæ in Scripturis continentur, merito factum esse, ut
ab hominum sensu & intelligentia essent remotiora.

28 Nec ullum hic video periculum aut blasphemiam
in Deum, nisi tu quoque blasphemus sis. Nam et si
omnia, quæ dixi de obscuritate Scripturæ, sinistre ac-
cipis, & variis criminationibus insectaris; idem ta-
men dicis, quod ego dixi. Primo dixi, Scripturam Deo
volente ac disponente obscuram esse. Tu dicis. *Deum*
passim in Scripturis quedam intellectui nostro difficilia & ob-
scura proponere voluisse. Item, Deum in Scripturis, passim toe
verbis, tot phrasibus, tot tropis, tot figuris, tot prophetiis, tot my-
steriis inuoluta non pauca proposuisse, &c. Vt oris tuis verbis.
Secundo assignauit tres rationes, cur Deus id fecerit.
Tu eadem ter repetis; semel meis, semel antiquorum
Patrum, semel tuis verbis. Nimirum, ut Volumen
tuum, eiusmodi verborum & sententiarum repetitio-
ne, excresceret.

29 Vide nunc mi homo, an exclamatio, quam in me
facis, non æque in te quadrare possit. Sic exclaims:
Certe non caret periculo, ne dicam blasphemia, cruda hæc vox
Becani, Scripturam Deo volente & disponente obscuram esse
Liceat & mihi exclamare. Certe non caret periculo, ne
dicam blasphemia, cruda hæc vox Gardi, Deum in Scriptu-
ris passim voluisse quedam difficilia & obscura intellectui no-
stro proponere. Eadem tua vox, quæ mea: si mea cruda &
blasphemæ, cur non similiter tua: Hic apparet, Gardi, te
non veritatis studio, sed calumniandi libidine, ad scri-
bendum accessisse.

30 Venio ad posterius exemplum in simili causa. Di-
xi in Scriptura duo spectari posse, literam & sensum;
sicut in homine, corpus & animam. De illis locutum
esse Apostolum. 2. Corinth. 3. 6. cum ait: *Litera occidit*

spiritus

Spiritus autem viuiscat, id est, nuda Scripturæ litera, neglecto sensu, dicit in errorem; sensus in veritatem & vitam. Adieci hanc esse Augustini interpretationem, serm. 70. de tempore vbi ait: *Frequenter admonui charitatem vestram, fratres dilectissimi, quæ diebus istis in Ecclesia recitantur, non hoc tantum attendere debeamus, quod ex litera sonare cognoscimus, sed remoto velamine literæ, viuificantem spiritum fideliter requiramus: si enim dicit Apostolus: Litera occidit, spiritus autem viuiscat.* Denique infelices Iudei, & plus infelices heretici, qui dum solum literæ aspicunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine viuificantे spiritu mortui remanserunt. (§. 10.).

31 Hic etiam, quod bono sensu, ex Apostolo & Augustino dixi, male reprehendis. Ac duo obiicis. Primo, falsam esse interpretationem. Non enim Apostolum loqui de litera & sensu Scripturæ: sed per literam intelligere legem Mosaicam; & per spiritum, Euangeliū & illius gratiam. Secundò, literam Scripturæ per se non occidere, seu in errorem ducere, sed per accidens.

32 At si mihi hæc obiicis, cur non similiter Augustino & Apostolo obiicis? Augustinus interpretatur locum Apostoli de litera & sensu Scripturæ. Idem ego facio. Mihi obiicis, falsam esse interpretationē. Obiice & Augustino. Quid respondebit? Non esse falsam, per accommodationem. Idem ego respondeo. Nec tu, nisi temere, negare id potes. Nam certum est, eundem Scripturæ locum, qui secundum sensum literalem de una re intelligitur, posse etiam, sine falsitate, alicui alteri accommodari. Verbi gratia, legimus Deuteronom. 25. 4. *Non alligabis os boui tritauranti.* Quod secundum sensum literalem intelligitur de veris boibus; qui in area triturant, seu grana frumenti excu-

tiunt, Et tamen Apostolus 1. Corinth. 9.9. per accommodacionem intelligit de Prædicatoribus Euangelijs, hoc sensu, *Non alligabis os boui tritauranti*, id est, non negabis alimoniam iis, qui annunciant tibi Verbum Dei. Item, legitimus Cantic. 1.4. *Nigra sum, sed formosa.* Et Cantic. 2.2. *Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vtrumque secundum sensum literalem intelligitur de Ecclesia: Et tamen sineulla falsitate, accommodatur B. Virgini. Omitto alia exempla. Cum non idem fieri potest circa locum Apostoli, *litera occidit, spiritus autem vivificat?* Intelligatur sanè, secundum sensum literalem, de lege Mosaica & Euangelio, quod nō negat Augustinus. Nihilominus accommodate intellegi potest de litera & sensu Scripturæ. Neque ullā appetet hic falsitas.

33 Hæc pro Augustino. Apostolus dixit, *Litera occidit, id est, lex Mosaica occidit, seu in mortem dicit. Ego dico, Litera occidit, id est, litera Scripturæ occidit, seu in errorem dicit.* Mihi obiicis literam Scripturæ per se non occidere. Obiice & Apostolo, legem Mosaicam per se non occidere. Quid respondebit Apostolus? Se non dicere, quod per se occidat, sed occasionaliter. (Rom. 7.8.) Idem responsum à me accipe.

34 Explicabo hoc clarius. Lex Mosaica, teste Apostolo, est sancta, iusta, bona. (Rom. 7.12.) quia res sanctas, iustas, & bonas percipit. Sanctas, quoad præcepta ceremonialia, quæ ad cultum Dei pertinent. Iustas, quoad iudicialia, quæ ad externam iustitiam in Republica conseruandam ordinantur. Bonas, quoad moralia, quæ in Decalogo continentur. Quomodo ergo, si sancta, iusta, & bona est, dicitur occidere, seu in mortem ducere? Non per se, quia, ut dixi, per se præcipit res sanctas, iustas, & bonas: sed per accidens, quia non

non præbet vires & subsidia, quibus exequamur, quod præcipit. Et ex hac parte, est quasi occasio peccati. Nā si nihil præciperet, non peccaremus : quia vero præcipit, & non iuuat, est occasio peccati. Vide August. lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 7.

35 Eodem modo, externa Scripturæ litera est quidem diuina, & à Deo inspirata, quatenus continet sensum diuinum, & à Deo inspiratum; sed tamen quia aliquando non accipitur in illo sensu, qui à Deo inspiratus est, sed in alio, quem nos fingimus; ideo saepe est occasio erroris. Et hoc est, quod in libello meo dixi. Si quis, neglecto vero sensu hæreat tantum in externa litera, saepe erraturum. Nec tu id negabis. Fateris enim non raro contingere, ut verus sensus, qui latet sub externa litera, non possit à nobis percipi, nisi ex diligentia variorum locorum Scripturæ inter se collatione, accipiat externam literam iuxta eum sensam, qui primo occurrit, poterit à vero sensu aberrare. Quod multis exemplis veterum hæreticorum à me ostensum est. Vide Theodoretum præfatione in Cantica Cantorum.

V. VITIVM GARDII.

36 **Q**uinto, Scripturam male interpretaris. Quod variis exemplis demonstrabo. Primum est Matt. 19.17. *Si vis ad vitam ingredi, seruam mandata.* Quod tu interpretaris hoc sensu: Frustra quæris vitam æternam in operibus, seu obseruatione mandatorum legis. Est quidem necessaria obseruatio legis ad vitam æternam consequendam; sed cum ea impossibilis sit homini in hac vita, configiendum est ad Christum, qui perfectissime legem impleuit ; ut ipsius iustitia seu impletio legis imputetur tibi per fidem.

37 At hic sensus , & tibi contrarius, & à textu alienus , & simpliciter falsus est. Nam tu sæpe inculcas hanc regulam : *Quando verba Scripturæ per se clara sunt, non aliud sensum querendum esse, quam qui ex ipsis verbis immediate colligitur.* At hæc verba. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* per se clara sunt : Ergo non aliud sensus, iuxta tuam regulam, querendus est, quam qui ex ipsis immediate colligitur. At ex ipsis immediate non colligitur, obseruatione mandatorum legis impossibilem esse. Cur ergo hunc sensum , contra tuam regulam ; amplexus es?

38 Est etiam alienus à textu. Nam ex eo contrarium colligitur. Cum enim Christus dixisset Adolescenti, *Serua mandata,* respondit Adolescens, se à iuuentute ea obseruasse. Non igitur impossibile est ea obseruare. Nec mentitus est Adolescens; alioqui Christus arguisset illum de mendacio. At non arguit, sed dilexit propter candorem & simplicitatem. (Marci 10.21.) Deinde, proposuit illi aliquid, quod erat difficilius , quæ obseruatio legis. *Si vis, inquit, perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* At hoc non erat impossibile, quia Apostoli id iam præstiterant, ut omnium nomine testatur Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te :* Ergo multo minus obseruatio legis est impossibilis.

39 Denique absolute falsus est , quia continet duas propositiones absolute falsas. Vna est, præcepta Decalogi non posse seruari. Vbi mirari soleo Lutheranos & Caluinistas, qui cum ex vna parte id asserant, ex altera tamen gloriatur, se seruare duo alia præcepta, quæ in Decalogo non sunt , nempe præceptum de matrimonio, & de calice. Hæc duo, quæ vos fingitis, accurate vrgentis. Reliqua, quæ Deus proponit , clamatis impossibilia

possibilia esse. Et parui penditis eorū transgressionem modò credatis à C H R I S T O seruata esse. Breue cōpendium, sed ad inferos. Altera est , nos vitam æternam consequi per solam iustitiam C H R I S T I , quia ipse legem impleuit, & non per propriam , qua nos legem obseruamus , & bona opera sectamur. Et hæc falsa. Audi , quid Christus dicturus sit in die iudicij : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Causa sequitur : *Efuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ex tua interpretatione deberet dicere. Nihil quidem boni fecistis , sed tamen credidistis me fecisse , quod sufficit.

40 Secundum est Matthæi 26.26. *Hoc est corpus meum.* Quod sic interpretaris : Hoc, quod vobis porrigo, est reuera panis: & in, cum, sub pane, corpus meum. Hunc sensum aīs manifestè colligi ex circumstantiis verborum Christi. Nam Christus accepit verū panem , porrèxit, & demonstrando dixit. *Hoc, id est, hic panis, quē videtis, est corpus meum,* id est, in hoc pane , cum hoc pane, & sub hoc pane , est corpus meum. Videris nugari in re seria. Et dupliciter peccas. Primò, quia fingis nouam & absurdam interpretationem , quæ ne quidem Luthero vestro placere potuit. Nam is in libro de Captiuitate Babylonica , titulo de Cœna Domini sic explicat : *Hoc est corpus meum, id est, Hic panis est corpus meum.* Et citans illud 1. Corinth. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* mox addit; Non dicit Apostolus. *In pane est, sed, Ipse panis est participatio Corporis Christi.* Vbi excludit tuam interpretationem , & suam astruit. Neutram tamen probbo.

41 Quod autem sensum illum fictitium conaris confirmare ex circumstantiis verborum Christi, frustra

est. Nam sicut Christus in vltima cœna accepit verum panem , & demonstrando dixit : *Hoc est corpus meum*: sic etiam in Cana Galileæ accepit veram aquam , & demonstrando dixit , vel dicere potuit : *Hoc est vinum*. At ex tali circumstantia ridicule colligitur hic sensus : *Hoc est vinū*, id est, *Hoc est aqua*, & in, cum, & sub aqua, vinum. Ergo non minus ridicule colligitur hic sensus *Hoc est corpus meum*, id est, *Hoc est panis*, & in, cum, & sub pane, *corpus meum*.

42 Tertium est Ioan. 5.39. *Scrutamini Scripturas*. Ais hoc loco contineri generale mandatum , quo omnes sine discrimine, tam Laici, quam Ecclesiastici, obligati sint ad legendam , consulendam, & scrutandam Scripturam. Deinde hinc colligi , solam Scripturam esse supremum infallibilem Iudicem controveneriarum. Denique me fateri debere , quod Christus remiserit hic Iudæos ad Scripturam , tanquam ad infallibilem Iudicem, licet non velim fateri, quod ad eam solam remiserit , sed etiam ad testimonium Ioannis Baptistæ, miraculorum , & Patris cœlestis , ut dixi in libello meo §. 133.

43 Erras in his omnibus. Ac primo, nullum ibi mandatum est , quo omnes obligati sint ad legendam & scrutandam Scripturam. Non enim obligantur cæci & idiotæ, qui non possunt legere & scrutari. Nec mulieres, quæ iubentur viros suos interrogare , non Scripturam consulere, iuxta illud 1. Corinth. 14.35. *Si quid volunt discere, domi viros suos interrogent*. Nec passim alij Christiani, qui non sunt Pastores & Doctores Ecclesiæ quia Scripturæ Mosis & Prophetatum , de quibus so- lis ibi sermo est , non sunt illis ad salutem necessariæ, cum habeant sufficiens subsidium ex Euangelio & scriptis Apostolorum.

44 Deinde, perperam ex illo loco colligis, solum Scripturam esse supremum & infallibilem Iudicem controversiarum. Primo, quia Christus non agit ibi, nisi de hac sola controversia, An ipse sit Filius Dei? Et probat se esse, non solum ex Scriptura, sed etiam testimonio Dei Patris dicentis. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* At hoc testimonium Dei Patris, non est minoris autoritatis, quam Scriptura, sed eiusdem. Si ergo Scriptura potest vocari supremus & infallibilis Iudex, ut tu eam vocas, cur non etiam testimonium Dei Patris esse deterioris conditionis, quam sit Scriptura? Absit.

45 Denique falsum est, quod ego fatear, aut fateri debeam, Scripturam esse supremum, & infallibilem Iudicem controversiarum. Nunquam ex mea sententia hoc dixi. Fateor quidem esse supremam & infallibilem Normam, sed non Iudicem. Norma est, quia secundum illam deciduntur controversiae fidei ac religionis. Index non est, quia ipsa non pronunciat executiua sententiam inter partes litigantes, sed hoc facit Ecclesia per assistentiam Spiritus Sancti.

46 Quartum est Isaiae 8.19. *Cum dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus & diuinis, qui strident in incantationibus suis: Nunguid non populus à Deo suo requiret, pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.* Quod ego in meo libello interpretatus sum de particulari lege scripta, quæ prohibet consulere Pythones & hariolos de futuris euentibus. (Deut. 18.9.) Et de testimonio Prophetarum, qui à Deo constituti erant, ut futura prædicerent; Et hunc dixi esse sensum; Si vultis fieri certiores de futuris euentibus, non debetis consulere Pythones & hariolos, sicut fecit Saul; quia hoc Deus per legem suam prohibuit, ad quam vos remitto: sed

consulite Prophetas Domini, quorum officium est, de futuris pronunciare. (§. 114. & 115.) Tu hanc meam interpretationem vocas commentum; & ait, in tota Scriptura nullum locum monstrari posse ubi vox testimonij significet testimonium Prophetarum futura praedictentium. At ego monstrabo locum, Acto. 10.43. *Huius omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.*

47 Videamus tuam interpretationem: Ait hoc loco, legem, & testimonium pro eodem accipi, nempe pro Scriptura; & contineri generale mandatum, quo omnes, in quibuscunque rebus dubiis, obligati sint, non recurrere ad Pythones & hariolos, sed ad solam Scripturam. Non ita est. Tametsi enim verum sit, legem & testimonium aliquando sumi pro eodem, quod non nego; tamen hoc loco distincta sunt. Et per legem intelligitur lex illa particularis, Deut. 18.9. *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitaris velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui Pythones consulat aut diuinos, aut querat a mortuis veritatem.* Et per testimonium intelligitur responsum Sacerdotum & Prophetarum, quod viua voce soliti erant dare, quando in rebus dubiis a populo vel Rege consulebantur.

48 Hoc dupliciter probo. Primo, quia si lex & testimonium, loco citato, sumeretur pro Scriptura; & mandatum esset, ut Iudei, in rebus dubiis, recurrerent ad solam Scripturam, ut tu interpretaris; iam omnes illi peccassent contra hoc mandatum, qui in rebus dubiis consulebant Prophetas & Sacerdotes; ut David, Iosaphat, & alij plures in Scriptura laudati. Imo Deus desisset duo contraria mandata: Vnum, quo iubebantur

tur in rebus dubiis consulere solam Scripturam, ut tu vis: alterum, quo iubebantur consulere Sacerdotes & Prophetas, Deuter. 17.8. & Deut. 18.14. & 15. Hæc absurdæ sunt: Ergo & illud, ex quo sequitur.

49 Secundo, quia si Iudæi de iis omnibus, de quibus gentiles consulebant Pythones & hariolos, debuissent consulere legem & testimonium, id est, solam Scripturam, ut tu contendis; debuissent etiam consulere solam Scripturam de futuris euentibus, de quibus vel maxime gentiles cōsulebant Pythones & hariolos: At Scriptura nihil determinate poterat pronunciare de futuris euentibus: Ergo frustra illam consuluissent. Deus autem nihil frustra mandat fieri. Dabo exemplum, quo res illustretur. Iosaphat Rex Iuda volebat scire, quis esset futurus euentus, si obsideret Ramoth Galaad: an scilicet posset eam expugnare, nec ne? si in hoc casu consuluisset Scripturam, nihil responsi accepisset. Quid ergo fecit? Consuluit Prophetam, ut viua voce responsum ab ea acciperet. (3. Reg. 22.5.) Idem in simili casu fecerunt Dauid, & alij. Et rectè. Frustra ergo virges, ad solam Scripturam remissos fuisse.

50 Quintum est 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instruetus.* Hoc interpretaris de Scriptura veteris Testamenti: Et inde colligis, Scripturam V. T. esse perfectam, sufficiētem, & integrā Normam fidei ac morum. Ex quo ulterius infers, multo magis Scripturam utriusque Testamenti esse talem Normā. At ego ex tua interpretatione, sic infero cōtra te: Si Scriptura veteris testamēti est perfecta, sufficiens, & integra Norma fidei ac morū, ut cōcedis;

iam omnes omnino controuersiæ fidei ac morum, ex sola Scriptura veteris Testamenti decidi ac finiri possunt; quia si aliqua non posset, iam non esset sufficiens & integra Norma: At consequens est falsum: Ergo & illud, ex quo sequitur. Minor patet, quia hæ controuersiæ ex ea sola definiri non possunt. 1. an Baptismus sit necessarius ad salutem? 2. an debeat conferri in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? 3. an Christus sit præsens in Eucharistia, salua panis & vini substantia? 4. an communicandum sit sub utraque specie? Et sic de aliis.

51 Sextum est Hebr. 4.12. *Vivus enim est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hic per sermonem Dei intelligis verbum Dei scriptum, id est, Scripturam. Et inde concludis, Iudicem Ecclesiasticum non debere conscientias cogere vi externa, sed Verbo Dei scripto, propter illius efficaciam. Non rectè. Primo, quia non loquitur Apostolus de Verbo Dei scripto, sed de Verbo Dei increato, de quo Ioan. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Hoc patet ex scopo Apostoli. Vult enim causam reddere, cur Hebræi, si deficiant à fide, & fiant increduli, merito debeant timere eandem pœnam, quam eorum maiores propter similem defectionem & incredulitatem in deserto perpessi sunt. (1. Corinth. 10. 9.) Causa hæc est, quia Christus, qui est sermo seu Verbum Dei, iurauit se puniturum incredulitatem & obdurationem Iudeorum. (Hebr. 3. 12. & sequentibus.) At quod iurauit se facturum, sine dubio facturus est, quia non deest illi potentia, cum sit Verbum Dei efficax, & penetrabilior omni gladio.

52 Deinde, quæ sequuntur in eodem textu, non conueniunt Verbo Dei scripto, sed increato, id est,

Christo

Christo Filio Dei. Cuiusmodi sunt hæc. 1. Quod sit discretor cogitationum & intentionum cordis. 2. Quod omnia nuda & aperta sint oculis eius, & quod nulla creatura sit inuisibilis in conspectu eius. Videantur Interpretes, Theodoreus, Oecumenius, D. Thomas, Lyranus, Cajetanus, Vasquez, & plures alij.

53 Sed demus (quod tamen non est) Apostolum loqui de Verbo Dei scripto. Certè consequentia, quam inde colligis, non valer. Cōsequentia est hæc: Verbum Dei est efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti: Ergo Iudex Ecclesiasticus non debet cogere conscientias externa vi, sed Verbo Dei. Similis huic: Verbum Dei est efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti: Ergo Rex vel Imperator non debet cogere conscientias externa vi, sed verbo Dei. Cur ergo dixit Apostolus Rom. 13.2. *Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim Minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim Minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Sat multa de tuis interpretationibus. Videamus reliquas virtutes.

VI. VITIVM GARDII.

54 **S**exto, Scripturæ testimoniis ad tuas assertiones confirmandas non raro abuteris. Et quidem duobus potissimum modis. Primo, citando loca Scripturæ, sed non verba: ne si hæc citentur, fraus appareat. Secundo, citando quidem verba, sed quæ nihil ad rem faciant; & aliquando etiam contrarium euincant. Hæc omnia patebunt, partim ex iis, quæ cap. 2. & 3. dicturus sum; partim ex iis, quæ nunc sequuntur.

55 Primo igitur asseris, mulieres posse legere, docere, & interpretari Scripturam. Hoc probas exemplo Timo

Timothei", qui à matre sua & auia Scripturam didicit,
 2.Timoth.3.15. At, mi homo, nihil tale inuenio in illis
 locis. Nam priori loco sic scribit Apostolus. Recordatio-
 nem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habi-
 tavit primum in anima tua Loide, & matre Eunice: certus
 sum autem, quod & in te. Quibus verbis solum insinuat,
 Timotheum habuisse sinceram fidem, sicut etiam ma-
 ter & auia ipsius habuerunt. Erant enim fœminæ
 fideles, id est, non gentiles, sed Iudeæ, quæ credebant
 in verum Deum: tametsi Pater Timothei esset genti-
 lis. (Acto. 17.1.) Hinc tu, nescio qua arte, sic conclu-
 dis: Timotheus habuit sinceram fidem, sicut mater &
 auia ipsius: Ergo à matre & auia sacram Scripturam
 edoctus est. Perinde ac si dicam: Gardius sequitur
 fidem Lutheranam, sicut mater ipsius: Ergo à matre
 sacram Scripturam didicit. Acute, scilicet.

56 Posteriori sic habet: *Ab infantia sacras literas no-
 sti, quæ te possunt instruere ad salutem.* At hinc nihil aliud
 colligi potest, quam Timotheum ab infantia Scriptu-
 ram didicisse: A quo autem didicerit, non explicatur.
 Tu fingis à matre & auia didicisse, sed non probas. Cur
 non potius didicit ab aliquo legis Doctore, sicut Pau-
 lus fateretur se puerum didicisse à Gamalièle? (Act. 22.3.)
 Cur non didicit in Synagoga, vel templo ubi etiam
 pueri discendi causa, solent conuenire? (Lucæ 2.46.)
 De matre & auia nihil certum tibi est. At mihi certum
 est, ab Apostolo Paulo multa illum didicisse 2.Timoth.
 1.13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audiisti in
 fide.* Et 2.Timoth.2. *Quæ audiisti à me per multos testes,
 hec commenda fidelibus hominibus.* Et ibidem cap.3.10. *Tu
 autem assecutus es meam doctrinam.* Et paulo post. *Tu vero
 permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo
 didiceris, id est, à me.*

57 Secundo asseris, non solum Pontificem, sed etiam Regem fuisse Iudicem controversiarum religionis in veteri Testamento. Hoc probas ex illo 1. Reg. 8.5. *Constitue nobis Regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes.* Et infra ibidem: *Iudicabit nos Rex noster.* At hæc testimonia nihil ad rem faciunt, quia intelliguntur de Iudice & iudicio sacerdotali, non de Ecclesiastico. Erat autem magnum discrimen inter utrumque in veteri Testamento. Nam Iudex Ecclesiasticus, qui ferebat sententiam in negotio Ecclesiastico, non poterat iudicare, nisi secundum legem scriptam, ut tu fateris. At Rex, in iudicio sacerdotali, non astringebatur ad legem scriptam, ut patet exemplo Salomonis, qui non est usus lege scripta, quando decidit controversiam inter duas meretrices excitatam. 3. Reg. 3.16.

58 Tertio asseris, exemplar Deuteronomij, seu legis Mosaicae fuisse multoties descriptum, & non solum Sacerdotibus, sed etiam populo comunicatum. Quod probas triplici Scripturæ testimonio. Deut. 6.6. & 11.18. & Act. 8.30. Sed discutiamus hæc testimonia. Primum est Deut. 6. 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filii tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque & mouebūtar inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuae.* Quæstio est, de quibus verbis hoc intelligendum sit? Tu putas, de verbis totius Deuteronomij, seu de tota lege Mosaica, quatenus scripto comprehensa est, intelligi oportere; alioqui frustra pro te adduceres. Sed erras. Primo, quia solum intelligi debet de iis verbis, quæ immediate præcedunt; *Audi Israël, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Nā mox sequi

sequitur: *Eritque verba hæc in corde, &c.* Et sic expli-
cant Interpretes, Lyranus & alij. Deinde, de illis ver-
bis debet intelligi, quæ Iudæi iubebantur scribere in
limine & ostiis domorum suarum, ut ex contextu pa-
ret: At non iubebantur scribere totum Deuterono-
mum, sed tantum illa Verba, *Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo*, ut Rabini testantur. Frustra ex hoc
loco colligis, totum Deuteronomium fuisse sæpe de-
scriptum, & populo communicatum.

59 Alterum est Deut. II. 18. *Ponite hæc verba mea in
cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in
manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros,
ut illa medientur, quando sedaberis in domo tua, & ambulan-
tis in via. Scribes ea super postes & ianuas domus tuae.* De his
verbis idem dicendum est, quod de præcedentibus,
nempe non alia esse, quam ista, *Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo.* An autem descriptio illorum ver-
borum in postibus & ianuis domorum, proprie, an me-
taphorice intelligenda sit, disputatio est. Iudæi proprie
intellexerunt; quia vere & proprie scribebant ea in
postibus. Lyranus & alij metaphorice interpretantur,
pro iugi recordatione mandati, de dilectione Dei su-
per omnia. Quid tu sentias, Gardi, nescio. Si proprie
intelligis cum Iudæis, non potes intelligere de toto
Deuteronomio, quia illud totum non inscribebant Iu-
dæi in postibus. Et sic nihil ex hoc loco probas. Si au-
tem metaphorice intelligis cum Lyrano & aliis, nihil
ad rem facit, quia tibi probandum est, totum Deuterono-
mum vere ac proprie fuisse descriptum, & populo
communicatum. Vide ergo, quo te vertas.

60 Tertium est Act. 8. 30. *Accurrens Philippus audi-
vit eum legentem Isaiam Prophetam.* Hoc etiam nihil ad
institutū. Nam tu contendis probare, Deuteronomium

ante

ante tempus captiuitatis Babylonicæ fuisse multoties descriptum, & populo communicatum. Hoc ex eo loco non probas. Nam Eunuchus, de quo fit mentio, nō dicitur legiſſe Deuteronomium, sed Isaīā Prophetam, neque ante captiuitatem Babyloniam, sed post mortem & ascensionem Christi. Quid ergo præsidij hinc habes: Nihil. Solum ostendis, quod initio dixi. ubique te abuti Scripturis; quod hæreticorum proprium est.

61 Quarto asseris, nos non debere sequi antiquas consuetudines & traditiones Patrum, sed solam Scripturam. Hoc probas duplii testimonio. Leuit. 17. 3. *Iuxta consuetudinem Aegypti, in qua habitastis, non facietis.* Et Ezech. 20. 18. *In preceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini.* Sed frustra. Nam illa testimonia nihil aliud prohibent, quam consuetudines & traditiones idololatrarum. Quid hoc ad traditiones & consuetudines Christianorum? Nihil penitus. Nisi sic velis ratiocinari; Deus prohibet traditiones idololatrarum: ergo etiam fidelium & Christianorum, ineptissimè. Nam hoc modo tolles non solum omnes traditiones, contra Apostolum 2. Thess. 2. 14. *tenete traditiones:* sed etiam Scripturam sacram. Nam simili modo licebit argumentari, Deus prohibet Scripturam idololatrarum: Ergo etiam fidelium seu Christianorum. Sed absit, ut sic ineptiamus.

62 Quintò asseris, Pythones & hariolos in veteri Testamento non fuisse consultos de futuris tantum euentibus, sed etiam de aliis rebus. Et hoc probas exemplo Saulis, qui (ut tu loqueris) per Pythonissam consuluit spectrum Samuelis, non tantum de futuro euentu, sed etiam, quid sibi faciendū esset, ut testantur

ipius verbā 1. Reg. 18. 15. Coarctor nimis: vocauis ergo te, ut ostenderes mihi, quid faciam. Nescio, Gardi, an intelligas, quid dicas. Nam certe, cum dixit Saul, vocauit te, ut ostenderes mihi, quid faciam; non consuluit de præterito, vel præsenti; sed de futuro. Erat enim dubius ac perplexus non quid olim fecisset, aut quid re ipsa iam ficeret, sed quid de se futurum esset. Et hoc non tantum patet ex verbis citatis, sed etiā ex responso, quod accepit. Nam Samuel respondit illi: Faciet tibi Dominus sicut locutus est in m. in me, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Daud. Item, Cras autem tu, & filii tui mecum eritis. Quis non videt hæc omnia intelligi de futuris eventibus? Taceo, quod addis de Spectro Samuelis. Certè magni authores expresse docent non spectrum Samuelis, sed ipsum Samuelem Sauli apparuisse, ut infra dicturus sum.

63 Sexto afferis, Iudeos non audiuisse illam vocem Patris cœlestis, in Baptismo Christi Matth. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et probas ex illo Ioannis 5. 37. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me, neque vocem eius unquam audissem.* Hinc infers, Christum, cum disputaret cum Iudeis de sua divinitate, non voluisse ad hanc vocem, tanquam ad infallibilem Iudicem, sed ad Scripturā prouocare: *Quia Iudei poterant dicere, se non audiuisse huiusmodi vocem, non autē poterant obtendere, se non legisse Scripturam.* Valde resolutus es, mi Gardi, sed parum circumspectus. Constat enim pluri mos Iudeos fuisse presentes, quando vox illa de cœlo audita est apud Iordanem. *Hic est filius meus dilectus.* Nam Matth. 45. sic legimus. *Tunc exhibat ad eum (Ioannem) Hierosolyma, & omnis Iudea, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordanie.* Et mox sequitur: *Tunc venit Jesus à Galilea*

in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Et Lucæ 3. 21. Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, Et Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum, & vox de cœlo facta est, &c. Itaque in præsentia Iudæorum, non solum baptizatus est Christus, sed etiam vox Patris auditæ. Imo, non nisi in præsentia Iudæorum id fieri debuit. Quorsum enim Pater voluisset testari, Christum esse Filium suum, nisi ut Iudæis id constaret? Aut quorsum Christus adduxisset testimonium Patris, ad reuincedos Iudæos, si nemo ipsorum audiuerisset?

64 *Quod obiicis, dixisse Christum, Neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis; Non obiiceres, si non tuum cerebrum, sed bonorum authorum interpretationem sequi velles. Ea duplex est, & vtraque bona, Aliqui sic interpretantur: Deum, cum sit incorporeus, non habere propriam lingüam, aut speciem corpoream, sicut nos habemus; ac proinde non habere propriam vocem, quam exerto sensu audiamus; nec propriam formam, quam oculis corporeis videamus. Et hoc sensu intelligendum esse dictum Christi. Nihilominus, sicut assumere potest alienam speciem, in qua hominibus appareat; ita formare posse alienam vocem, quia à nobis audiatur. Et hoc modo apparuisse, & locutum esse cum Adamo, Abraham, Moysè, & aliis. Ita Chrysostomus, Leontius, Cyrillus, Theophylactus, quos sequitur Maldonatus in commentario illius loci.*

65 *Alij sic interpretantur: Iudæos post pactum cum Deo initum in deserto, nunquam amplius audiuisse talem vocem, aut vidisse talem speciem, qualem tunc viderunt & audiuerunt, quando lex Decalogi fuit illis promulgata. Qualis autē illa vox & species fuerit, habetur Exod. 20. 18. his verbis, Cunctus populus videbat*

voices & lampades, & sonitum buccinae, montemque fuman-
tem. Et perterriti ac paurore concussi, steterunt procul, dicentes
Moysi: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.

66 De pacto inter Deum & populum inito sic lo-
quitur Moyses, Deuter. 18. 15. Prophetam de gente tua, &
de fratribus tuis, sicut me, suscubabit tibi Dominus Deus tuus:
ipsum audies, et petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quādo cō-
cio congregata est, atque dixisti: ultra non audiam vocem Do-
mini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo,
ne moriar. Et ait Dominus mihi; Bene omnia sunt locuti.
Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similium tui:
Et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia,
quaē praecepero illi. Qui autem verba eius, qua loquetur in no-
mine meo, audire noluerit, ego vltor existam.

67 Itaque ex parte populi, erat hoc pactum: Nos pa-
rati sumus audire illum Prophetam, qui in nomine
tuo loquetur nobis: modo tu ipse, qui tam terribili
voce & aspectu nos terruisti, non loquaris nobis. Ex
parte autem Dei: promitto me non amplius locutu-
rum vobis cum isto terrore, si audiatis Prophetam,
quem missurus sum, id est, Christum. Ex vtraque parte
conditio acceptata est. Et quidem Deus seruauit, quod
promisit; populus non item. Vtrumque testatur Chri-
stus, cum ait: neque vocem eius unquam audistis, neque spe-
ciem eius vidistis: nempe ab eo tempore, quo Deus pro-
misit se vobis non locuturum in sonitu & tremore.
Et hoc ex parte Dei. Sequitur ex parte populi: Et ver-
bum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille,
huic vos non creditis. Quasi dicat, Ex vestra parte defe-
ctus est, quia non creditis mihi, qui à Patre missus sum
cum tamen promiseritis vos credituros, & facturos,
quaē mandarem. Hanc interpretationem sequitur To-
letus in commentario. Sed neque hæc, neque præce-
dens

dens tibi patrocinatur. Tertia; quam finxisti ex tuo capite, non subsistit. Nec tuus Hunnius in commentario eam probat.

68 Septimo afferis, Christum promisisse toti Ecclesiae personalem suam præsentiam, perpetuam assistentiam, protectionem, & gubernationem, cum dixit Matt. 28.20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* De perpetua assistentia, protectione & gubernatione, nemo dubitat. Sed ambiguum est, quod addis, promisisse illum personalem suam præsentiam. Potest enim tripliciter intelligi. Primo, ut Christus promiserit se perpetuo fore præsentem Ecclesiae, per personalem præsentiā suę personae & Deitatis. Hoc sēlu vana esset promissio; quia nullus potest prudenter id promittere, quod non est in potestate ipsius facere vel nō facere. Quo pacto Rex non potest prudenter promittere, se aliquando moritum; nec Deus, se semper fore omnipotentem. Non enim est in potestate Regis, mori vel non mori: Nec in potestate Dei, esse vel non esse omnipotentem. At similiter non est in potestate Christi, ut persona & Deitas ipsius sit præsens, vel non præsens Ecclesiae; cum necessario ubique sit præsens: Ergo non potuit prudenter promittere præsentiam suę personae & Deitatis.

69 Secundo potest intelligi, ut Christus promiserit se perpetuo fore præsentem Ecclesiae, per personalem præsentiam, non solum Deitatis, sed etiam humanitatis: ita tamen, ut humanitas perpetuo futura sit præsens Ecclesiae, non in se, sed in persona Verbi: Sicut est omnipotens, non in se, sed in persona Verbi. Hoc etiam sensu, vana esset promissio, propter rationem iam assignatam; quia non est in potestate Christi, ut humanitas ipsius sit præsens, vel non præsens Ecclesiae in perso-

persona Verbi, cum hoc modo necessario sit præsens,
& non possit esse non præsens, durante vnione hypo statica.

70 Tertio potest intelligi, vt promiserit se perpetuo fore præsentem Ecclesiæ, per personalem præsentiam humanitatis; ita vt humanitas perpetuo futura sit præsens Ecclesiæ, non solum in persona Verbi, sed etiam in seipsa. Hæc promissio falsa est, & a Lutheranis Vbi quitaris excogitata, qui fingunt humanitatem Christi vbi que præsentem esse. Nec solum falsa, vt alibi probandum est, sed etiam vana, ex sententia Lutherorum. Nam humanitas Christi, vt plerique Lutherani docent, necessario præsens est, vbiunque persona Verbi præsens est. At persona Verbi necessario vbi que præsens est: Ergo & humanitas. Sicut ergo vanum est promittere præsentiam personæ Verbi, sic etiam præsentiam humanitatis.

71 Octavo afferis, Scripturam esse claram & perspicuam. Hoc probas ex illo 2. Petri 1. 19. *Habemus firmorem propheticum sermonem, cui beneficitis attendentes, quasi lucerne lucenti in loco caliginoso, donec dies clarescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* At potius contrarium inde colligitur. Nam hoc ipso, quod prophetia veteris Testamenti de Christo, dicitur esse lucerna luces, non absolute, sed *in loco caliginoso*, satis insinuatur, obscuram esse respectu nostri. Potest autem dupliciter id explicari. Primo, vt dicatur lucere in loco caliginoso, quia non aperte loquitur de Christo, sed quasi per umbras de illo vaticinatur. Et hoc sensu, magnum discrimen esse inter Prophetas V.T. & Ioannem Baptistam. Nam illi vocantur lucernæ lucentes *in loco caliginoso*, propter causam iam dictam. Hic vero vocatur *Lucerna ardens & lucens.* (Ioan. 5. 35.) non *in loco caliginoso*, id est, in umbris

umbbris Mosaicarum ceremoniarum; sed in lumine &
veritate, quia clare & aperte demonstrat Christum
presentem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,*
72 Secundò, ut dicatur lucerna, propter similitudinem
lucernæ domesticæ, quâ nos utimur. Nam sicut
lucerna domestica, quæ in tenebris circumfertur, non
illuminat totū aërem, sed aliquam illius particulam,
ita prophetia V.T. non ubique, sed in sola Iudæa va-
cinabatur de Christo. Item, sicut lucerna domestica,
quæ in tenebris lucet, non perfectè & distinctè, sed
obscure, & quasi per caliginem exhibet nobis res spe-
ctandas, præsertim remotiores; ita prophetia V.T. non
aliter, quam per umbras & intollerabiles ceremoniarum
exhibebat Christum; non presentem, sed futurum. De-
nique, sicut lucerna domestica prodicit quidem in te-
nebris, sed adueniente Sole, non amplius necessaria
aut utilis est; ita prophetia de Christo; proderat quidem
in caligine & tenebris veteris Testamenti; sed adue-
niente Christo, qui est verus Sol, non amplius neces-
saria est, præsertim iis, quibus Sol iste perfectè illuxit
juxta illud Mat. 11.13. *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem,*
qui dígitó demonstrabat Christum adesse. Tunc enim
dictum est Rom. 13. 12. *Nox processit, dies autem appre-*
pinquavit. Et quia Petrus Apostolus scribebat illis, quo-
rum aliis nondum perfectè illuxerat Christus,
hortatur illos, ut tamdiu utrantur lucernā, & scruten-
tur prophetias V.T. donec dies elucescat, & Lucifer oriatur
in cordibus eorum, id est, donec in hac vita perficiatur
ipsorum fides in Christum, per internam mentis illu-
strationem. Ex hac explicatione, quam sequuntur ma-
gni authores, nihil aliud colligi potest, quam proph-
etiam V. T. esse obscuram. At tu, Gardi, contendebas,
claram esse ac perspicuam,

VII. VITIVM GARDI.

73 **S**eptimo, vulgatam editionem Bibliorum, quæ siam multis sæculis in Ecclesia viguit, temere ac imperite reprehendis: Et in eius locum, vel tuam, vel alterius priuati hominis versionem substituis. Hoc triplici exemplo demonstrabo.

Primum est Ecclesiast. 18.1. *Qui viuit in aeternum, creavit omnia simul.* Tu carpis hanc versionem his verbis: *Vitium est vulgatae versionis, aduerbium nouin, quod in græco textu exstat, reddentis per simul; cum tamen idem sit, quod communiter, vel in commune, sicut etiam veriit Arias Montanus.* Quid si dicam, non esse vitium vulgatae versionis sed imperitiam noui Prædicantis? Nam aduerbium *simul*, quo vtitur vulgata versio, solet duplice accipi. 1. vt sit idem, quod simul tempore. 2. vt sit idem quod simul collectione. Priori modo non sumitur loco citato, sed posteriori. Non enim sensus est, Deum creasse omnia simul, id est eodem tempore aut momento, sed creasse omnia simul, id est, pariter seu collectiue, ita vt nihil creatum sit, quod ipse non creauerit. Et hoc sensu saepe usurpatum hoc aduerbium in Scriptura vt Psal. 13.3. *Omnis declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et Psal. 48. 11. *Simul insipiens & stultus peribunt.* Et 2. Mach. 11.9. *Omnis simul benedixerunt misericordem Dominum.* Eodem sensu sumitur apud prophanos authores, vt apud Terent. in Eunucio: *Simul consilium cum re amissisti, id est: utrumque pariter seu collectiue.* Hic remitto te ad Calepinum.

74 Alterum est Psal. 1.5. *Non resurgent impi in iudicio.* Hic tu iterum, in hebreo est, inquis, non stabunt vel consistent impi in iudicio. Proinde falsa translatio, verba Psalmi per se clara & dilucida obscurat. Non est falsa translatio

tio, sed falsa tua accusatio. Si conferres citata verba cum sequentibus, nulla esset obscuritas. Sic habet tex-tus: *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in con-cilio iustorum.* Vbi particula, *iustorum*, quæ exprimitur in posteriori parte versiculi debet etiam intelligi in priori, vt hic sit sensus: *impij non resurgent in iudicio iu-storum, neque peccatores resurgent in concilio iusto-rum.* Vel, quod idem est: Aliud erit iustorum iudicium & concilium, aliud impiorum. Similis loquendi mo-dus est in principio eiusdem Psalmi, cum dicitur. *Be-a-tus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccato-rum non stetit.* Igitur ex principio & fine Psalmi, potest institui hæc comparatio: sicut in hac vita, alia est via seu conuersatio iustorum, & alia impiorum; ita post hanc vitam, aliud erit iudicium iustorum; & aliud im-piorum. Quæ hic obscuritas est: Certe in vulgata ver-sione non est, sed in tuo capite.

75 Tertium est Psalmus 33.6. *Accedite ad eum, & illu-minamini, & facies vestra non confundentur.* Hic etiam in-uenis, quod carpas. Erratum, inquis, vulgatae versionis est. Sic enim in hebreo habetur, ut vertit Pagninus, & Arias Montanus, *Aspicerunt ad eum, & illuminati sunt.* Gran-de scilicet erratum. Quasi non sit idem sensus utriusq; versionis. Est autem hic. *Quicunque estis in tribula-tione, accedite ad Deum;* per fidem & orationem: *Ee-illuminamini,* id est, percipite lumen consolationis & laetitiae: *& facies vestra non confundentur,* id est, non patie-mini repulsam, sed exaudiens orationem vestram. Simili sensu dixit Bersabee ad Salomonem 3. Reg. 2. 20. *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, non confundas faciem meam.* Quid in hoc sensu erroris est? Sed tu fin-gis errores, vbi non sunt.

VIII. VITIVM GARDI.

Octauo libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclæsiastici, & Macchabæorum, nunc reiicis, nunc admittis, nunc laude, nunc vituperio dignos censes. Sic enim scribis: *In libris illis quædam sunt falsa, dubia, & contradictoria; quod è diametro pugnat cum diuina & canonica Scripturæ autoritate.* Grauis sine dubio, censoria. At non multo post, quasi tui oblitus, tribuis illis triplicem laudem. 1. quod sint sacri. 2. quod communis regula vitæ ac morum. 3. quod legantur ad ædificationem plebis. Quomodo hæc cohærent cum præcedentibus? Nimirum ex uno ore calidum & frigidum efflas: quod, cuius animi signum est, nosti?

77 Magis miror, te ex iisdem libris, tuas assertiones nonnunquam confirmare. Afferis quodam loco, circumcisionem non tantum institutam fuisse pro viris, sed etiam ex parte pro fœminis. Quod sic probas: *Piae fœmine veteris Testamenti magnum in pacto circumcisionis contra hostes suos habuere solatium, iuxta illud Iudith. 9. 18. Memento Domine Testamenti tui.* De hac tua assertione nihil iam dico. In probatione dupliciter peccas. Primo, quia accipis illa ex eo libro, quem falsitatis arguis. Deinde, nomine Testimenti intelligis pactum circumcisionis. Cur non potius pactum protectionis & defensionis contra hostes, quod Deus initit cum populo in Horeb, & postea renouauit in campestribus Moab? (Deut. 29. 1.) Nam vitroque loco promisit filiis Israël, quod sicut protexit eos contra Pharaonem & exercitum eius in Ægypto; sic deinceps velit eos protegere contra alios hostes, sub hac conditione, si ipsi vicissim seruent leges à Deo datas.

IX. VITIVM GARDI.

78 **N**ono, ita passim te geris, quasi in Scriptura nihil difficile aut obscurum tibi sit, sed omnia plana, aperta, perspicua: quod arrogantis animi signum est. Sic enim scribis: *Quis tam stupidus est, ut hoc non intelligat?* Item, *Quae vero in textu tam clarae ac dilucido, vel ambiguitas, vel obscuritas?* Item, *Litera est clarissima, quam Pontificij deserunt.* Item, *Tanta est claritas horum verborum, ut mirum sit, &c.* His & similibus loquendi formulis saepe vteris, etiam tunc, quando occurunt eiusmodi Scripturæ loca, in quibus doctissimi quique authores agnoscunt magnam esse difficultatem. Nec unquam, quod mirum est, fateris aliquid in Scripturis esse tam reconditum, quod te lateat. Magis mihi placet Augustini modestia, qui Epist. 119. ad Ianuarium, cap. 21. sic scribit: *Non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nescio plura, quam scio.* Hoc est sapere ad sobrietatem. Utinam & tu sic saperes.

79 Potro, quod ais ad faciliorem Scripturæ intelligentiam prodeesse hæc quinque. 1. peritiam linguarum, 2. ingenij præstantiam, 3. studium ac diligentiam, 4. collationem locorum Scripturæ inter se, 5. orationem ad Deum: Id quidem non nego. Sed eo ipso ostendis, Scripturæ sensum saepe tam occultum & obscurum esse, ut nisi hæc omnia præsidia præsto sint; haberi à nemine possit. At quotusquisque est, obsecro, qui his omnibus præsidiis instructus sit? Tu quidem præsumis, nihil horum tibi deesse. Sed hoc iactantie potius, quam moderati animi signum est.

80 Faciamus tamen nihil horum tibi deesse. An ideo omnia in Scripturis, clarae & aperta tibi sunt?

Nolim

Nolim id affirmare. Quid si oratio tua à Deo non exaudiatur? Et certe in tali casu non semper exauditur. Sicut enim Deus non tribuit vnicuique virtutem miraculorum (sane, nulli hactenus tribuit Lutherano) etiamsi orando illam postulet; sic etiam non statim vnicuique largitur donum interpretationis Scripturarum, etiamsi illud petat. Audi Apostolum 1. Cor. 12.7. *Vnicuique, inquit, datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: Alij sermo scientiae secundum eundem Spiritum: Alteri fides in eodem Spiritu: Alij gratia sanitatum: Alij operatio virtutum: Alij prophetia: Alij discretio spirituum: Alij genera linguarum: Alij interpretatio sermonum.* Hec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, distribuens singulis, proue vult. Non prout singuli volunt aut petunt. Vnde in fine eiusdem capituli sequitur: *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes habent gratiam curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?* Quasi dicat, Minime.

81 Vbi notandum est, duplia esse dona Spiritus Sancti, quæ homini in hac vita conceduntur. Alia ad propriam cuiusque salutem necessaria sunt, ut fides, spes, charitas, gratia iustificans. Et hæc ab antiquis Theologis comprehenduntur sub nomine *gratiae gratum facientis*. Alia non sunt necessaria ad propriam cuiusque salutem, sed conducunt ad alienam; ut donum miraculorum, prophetiae, interpretationis, & similia, quæ ex Apostolo iam recensita sunt. Et hæc vocari solent *Gratiæ gratis dataæ*. (Videatur D. Thomas 1.2.q.111. art.1. & in 2.2.qu.171. & sequentibus.) Priora dantur vnicuique, qui legitime ea petit; posteriora non semper. Et hoc declarat Apostolus pulchra similitudine humani corporis, in quo singula membra non habent quasi

qualslibet functiones; sed alia ad videndum, alia ad gaudiandum, alia ad audiendum, alia ad aliud usum ordinata sunt. Nec est in potestate ullius membra, ut aliud officium sortiatur, quam quod illi à natura concessum est. Sic plane fit in Ecclesia. Non omnes habent donū miraculorum, non omnes donum prophetiae, non omnes donum interpretationis. Nec est in potestate cuiusque, ut habeat, quod optat.

82 Vnde ergo credam, te habere donum interpretationis à Deo, si non omnes accipiunt, qui petunt? Certe non paucā sunt, quae contrarium suadent. Primo, quia hoc donum non datur, nisi in Catholica Christi Ecclesia, quae toto Orbe diffusa est: (1. Cor. 12.27.) At vos Lutherani non estis in Catholica Christi Ecclesia, quae toto orbe diffusa est, sed ab ea segregati, hæretis in angulo Europæ, sicut olim Donatistæ in angulo Africæ. Secundo, in illa tantum Ecclesia reperitur hoc donum interpretationis, ubi reperitur donum miraculorum, ut constat ex eodem Apostolo: At in vestra Ecclesia Lutherana non reperitur donum miraculorum, ut per se notum est: Ergo nec donum interpretationis. Tertio, qui non habent authenticam Scripturam, non possunt habere donum interpretandi authenticam Scripturam: vos non habetis authenticam Scripturam; ut suo loco ostendam: ergo nec donum interpretandi eam Scripturam.

X. VITIUM GARDII.

Decimo, Mala fide citas Augustinum, & alios autores: in quo merito suspectum terreddis. Accipe aliquot exempla. Primo, citas ex Augustino lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. hæc verba: *Tunc Sacramentum Baptismi impletur inuisibiliter, cum id ipsum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.*

Hinc

Hinc probas , infantes sine Baptismo saluari posse , si moriantur antequam possint Baptizari. Sed falso. Primo, quia ista verba formalia non habentur in Augustino. Secundo, etiam si habeantur similia, non tamen intelliguntur de infantibus, sed de adultis. Nam de infantibus aliter sentit. Hoc breuiter tibi explicabo, quia video te Augustini locum , vel non legisse, vel certe non intellexisse. Tria igitur docet Augustinus cap. 23. 24. & 25. Primo, ad salutem ordinarie concurrere haec duo fidem & Baptismum. Et nomine fidei comprehendit etiam conuersionem cordis ad Deum, ut paulò post videbimus. Secundo, infantes tamen saluari posse per Baptismum sine propria fide. Tertio, adultos è contrario saluari posse per fidem & conuer- sionem, sine Baptismo ; quando non omittitur Ba- ptismus ex contemptu , sed ex necessitate, ut contigit in Latrone.

84 Verba Augustini cap. 23. sunt haec : *Sicut in Latro- ne, quia per necessitatem corporaliter defuit sanctificatio Sa- cramenti, perfecta salus est: quia per pietatem spiritualiter adfuit; sic & cum ipsa praesto est, si per necessitatem defit, quod Latroni adfuit, perficitur salus.* Quod traditum tenet universitas Ecclesiae, cum parvuli infantes Baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam , & ore confueri ad salutem, quod Latro potuit.

Et cap. 28. *Sicut in illo Latrone, quod ex Baptismi Sacra- mento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infan- tibus, qui Baptizari moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex etau- tis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.*

Et cap. 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse*
Sacra

Sacramentum Baptismi, aliud conuersionem cordis, sed salu-
eem hominis ex utroque compleri. Nec si unum horum defue-
rit, ideo debemus putare consequens esse, ut & alterum desit:
quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo
potuit esse in Latrone; complente Deo, sine in illo, sine in isto,
quod non ex voluntate defuisse, &c.

85 Vides iam, Gardi,-(si quid vides) Augustinum, quem pro te citasti, tibi contrarium esse. Primò, quia Augustinus non dicit, quod tu dicis: Non enim dicit, infantes sine Baptismo saluari posse, quod tu singulis illum dicere; sed sine fide saluari posse, quod est contra Lutheranos, ut nosti. Secundo, Augustinus confirmat suam doctrinam ex traditione Ecclesiae: tu reiicis traditionem. Quid autem sentiat ipse de infantibus, qui ante Baptismum moriuntur, (quos tu putas saluari posse in casu necessitatis) aliunde constat. Sic enim scribit Epist. 28. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit, quod in Christo viuiscabuntur parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum Baptizandis parvulis festinatur & curriunt, quia sine dubio creditur, alias in Christo viuisci non posse.* Et Epist. 47. ad Valentimum: *Parvuli damnabuntur, quibus per lauacrum regenerationis non subuenit gratia Salvatoris.*

86 Secundo, citas ex August. lib. 5. contra Donatistas cap. 23. hæc verba: *Contra mandatum est, quod venientes ab hereticis; si iam illic Baptismum Christi acceperunt, Baptizantur: quia Scripturarum sanctorum testimonis non solum ostenditur, sed plane ostenditur, multos pseudochristianos, quamvis non habeant eandem charitatem cum sanctis, sine qua nihil profundunt, quecumque sancta habere potuerint: Baptismum tamen communem habere cum sanctis.* Hinc infers,

infers, Augustinum non decidisse quæstionem de Baptismo hæretorum ex sola Traditione & consuetudine Ecclesiæ, sed etiam ex Scriptura.

Falso. Nam priora verba non sunt Augustini, sed Cypriani, cuius authoritate defendebant se Donatistæ. Posteriora sunt Augustini. Tu connectis utraque, quasi essent eiusdem: Et mala fide connectis. Textus Augustini sic habet: *Contra mandatum Dei esse, quod venientes ab hereticis, si iam illuc Baptismum Christi acceperunt, non Baptizantur,* (ut loquitur Cyprianus) quâ Scripturarum authoritate sanctorum ostenditur? (q.d. Non potest hoc ostendi ex Scripturis) Pergit. *Sed plane ostenditur, multos pseudochristianos, &c.* Igitur duò dicit August. 1. Cyprianum non posse ex Scripturis ostendere, quod asserebat, Deum mandasse, ut qui ab hæreticis Baptizati sunt, iterum Baptizentur, quando redeunt ad Catholicos. 2. Se autem posse probare ex Scripturis, Baptismum esse cōmunem bonis & malis Christianis. De hoc plura dicam c. 2. in defensione tertij argumenti, & rem magis explicabo. Nunc sufficiat ostendisse, te mala fide agere.

87 Tertio, citas ex Augustino lib. 3. cōtra Maximum Arrianorum Episcopum, c. 14. hæc verba: *Sed nunc, nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum authoritatibus, non quorumque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Hinc deducis, Augustinum non voluisse nisi sola authoritate Conciliorum absque Scripturis.

Falso. Nam Augustinus cum Maximino sic agit. Inter nos disputatio est, quid sit Homousion? Ego prouocauī ad Concilium Nicænum, quod tu non admissis.

mittis. Tu prouocasti ad Concilium Ariminense, quod ego non admitto. Ut ergo finiamus litem, quæ inter nos est, disputemus ex scriptura, non quacunque, sed ex illa, quam ambo admittimus.

88. Hinc nihil aliud potest colligere, quam hæc tria. Primo, Augustinum prouocasse ad Concilium Nicænum, à tota Ecclesia approbatum; tanquam ad legitimum Iudicem; quod est pro nobis. Secundo, Maximinum hæreticum non voluisse admittere hunc Iudicem, quia sciebat se ab eo damnandum; sed prouocasse ad alium, qui non erat legitimus, nempe ad Concilium Ariminense, quod ab Ecclesia fuit reiectū. Perinde ac si hoc tempore Catholicus prouocaret ad Pontificem; Lutheranus ad Principem sacerdotalem. Tertio, Augustinum cessisse suo iure, & paratum fuisse ex sola Scriptura cum aduersario disputare; sicut etiam Catholici in materia de libero arbitrio, vel de Ecclesia, ex sola Scriptura, tanquam ex partiali Norma: parati sunt cum Lutheranis disputare.

89. Quarto, citas Augustinum lib. 2. de Symbolo c. 9. & tractatu 9. in Ioānem afferentem duo tantum esse Sacra menta. Falso, Nam Augustinus ibi non dicit, duo tantum esse Sacra menta; sed solum dicit, per aquam & sanguinem, quæ influxerunt ex latere Christi, significata fuisse duo Sacra menta, Baptismum & Eucharistiam. De particula, tantum, nulla est mentio in toto Augustino. Imo aperte sentit nobiscum; quia præter Baptismum & Eucharistiam, agnoscit quinque alia Sacra menta, quæ etiam nos agnoscimus.

Agnoscit Confirmationem lib. 2. contra literas Petilianī cap. 104. cum ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signorum, Sacramentum est sacrosanctum, sicut ipse Baptismus.* Quid clarius dici potest?

Agnoscit Ordinem lib. 2. contra Epistolam Parmeniani ca. 13. vbi confert illum cum Baptismo, his verbis: *Vtrumque Sacramentum est: & quadam consecratione homini datur: illud cum Baptizatur; istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare.*

Agnoscit Pœnitentiam lib. 1. de adulterinis coniugii cap. 26. & 28. *Eadem est, inquit, causa Baptismi, & reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* Et tu credis hoc Gardi? Si credis, bene est. Sin minus, ex mente Augustini, homo non es.

Agnoscit Matrimonium l. 1. de nuptiis & concupiscentiis cap. 10. *Huius sacramenti res, ut mas & fœmina, conubio copulati, quamdui viuunt, inseparabiliter perseverent.*

Agnoscit extremam Vnctionem serm. 215. de tempore: *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat: Et inde corpusculum, suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmitur aliquis? Inducat Presbyteros. & orent super eum, unctiones eum oleo, &c.*

Vides, Gardi, Augustinum, non duo tantum, vt tu falsò illi imponis, sed plura Sacramenta agnoscere. An autem ex Scriptura probare possis binarium numerū, videbimus. c. 2. in defensione tertij argumenti.

90. Quinto citas ex Augustino lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. hæc verba, *Cum Christus veritas sit, magis veritatem, quæ in consuetudinem sequi debemus; quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Falso. Nam illa verba non habentur c. 5. sed 8. & 9. Nec sunt Augustini, sed Fœlicis & Honorati, qui in Concilio Cathaginiensi adhærebant Cypriano, & nolebant admittere consuetudinem seu Traditionem Ecclesiæ, recipien-

recipientis eos, qui ab hereticis erant baptizati. Contra hos agit Augustinus, & defendit consuetudinem Ecclesiæ, quæ in hodiernum usque diem perseverat. De qua iterum dicam. cap. 2. §. 82.

91. Sexto, citas ex Cypriano in Epist. ad Pôpeium hæc verba: *Consuetudo etiam longissima, sine veritate in Scripturis patefacta, vetustas erroris est.* Falso. Nam Cyprianus non addit illâ particulam, *In Scriptura patefacta.* Est autem magni momenti illa particula. Nam si dicas cum Cypriano, *Consuetudo etiam longissima, sine veritate, vetustas erroris est,* verissime dixeris. Si autem dicas, ut tu fingis Cyprianum dicere: *Consuetudo etiam longissima, sine veritate in Scripturis patefacta, vetustas erroris est,* falso dixeris. V. G. Consuetudo longissima est, exorcismum adhibere in Baptismo. Et non est patefacta in Scripturis. An igitur vetustas erroris est? Absit.

92. Septimo, citas ex Clemente Romano (Epist. 5. ad suos discipulos, dist. 37. cap. Relatum) hæc verba: *Diligenter obseruandum est, ut Lex Dei, cum legitur, non secundum proprij ingenu intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, que possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte presumit; sed fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus adulteratis, alienum & extraneum debetis querere, aut quoquo modo ipsum Scripturarum auctoritate confirmare; sed ex Scripturis sensum capere, veritatis. Hinc probas, quandounque oritur controversia de sensu alicuius loci Scripturæ, Scripturam ipsam per se esse Iudicem, & clare pronunciare, quis verus ac legitimus sensus sit.*

93. Falso. Nam Clemens loco citato, vult Scripturæ sensum ex Traditione Patrum accipiendum esse; & reprehendit eos, qui relicta Traditione, singunt sibi sensum, quem ipsi volunt, sicut vos Lutherani facitis

Sic enim scribit: Relatum nobis est, quod quidam in vestrīs partibus commorantes, aduersantur sacris doctrinis; & prout eis videtur, non secundum Traditionem Patrum, sed iuxta suum sensum docere videntur. Et paulo post: Et ideo oportet scientiam ab eo discere Scripturarum, qui eam à Maiores secundum veritatem sibi traditam seruat. Quæ omnia, quia tibi tuisque sociis odiosa sunt, omisisti; & in alium sensum conatus es Clementem abducere. Quo candore, tu videris. Nec obstant verba à te citata. Nam hoc solum ex iis colligi potest, quærendum ac tenendum esse genuinum sensum, qui in ipsa Scriptura fundatus est; non extraneum, quem quisque ex suo ingenio comminiscitur. At unde constabit, quis sensus genuinus sit? Ex traditione Patrum.

94. Hæc pauca exempla quæ adduxi, (nam plura adducere necesse non est) satis demonstrant mala fide te usum esse in allegādis authorum testimoniis; quod video Lutheranis & Caluinistis familiare esse. Notati sunt de hac impostura Philippus Plessæus ab Episcopo Ebroicēsi; Kemnitius à Cardinale Bellarmino; Iacobus Hailbrunnerus à nostro Iacobo Keller; & non pauci alij ab aliis. Mirum est, quod toties in hoc scelere comprehensi, non efficiamini cautores.

XI. VITIVM GARDI.

95. **V**Ndecimo, Sæpe, ubi necesse non est, instituis longas digressiones, quæ nihil ad rem faciunt, artept̄a vel minima occasione ex iis, quæ obiter à me dicta sunt. V. G. Quodam loco dixi, apud Lutheranos permisum esse omnibus, etiam mulierculis, legere, docere, & interpretari Scripturam. Hic tu, suscep̄to mulierularum patrocinio, tanto zelo & ardore contendis, recte id fieri, quasi in uno puncto, totius

inter

inter nos controversiæ cardo videretur. Et per multas paginas, tum ex scripturis, tum ex patribus conatis euincere, non modo permisum mulierculis id esse, sed etiam diuino præcepto ad hoc eas obligari. Obstu- pui, cum legerem; & occurrebat, Gardium vel Montani vel Tertulliani spiritu imbutum esse, qui ambo, ut ex historiis constat, quarundam fœminarum, præ- sertim Priscillæ & Maximille, (quas Prophetissas ap- pellabant) acerrimi fuerunt defensores. Semiuiri por- tius, quam viri; & in cincinnatorum contubernium af- cribendi.

96. Alibi dixi, multas ex Scriptura controversias oti- ri, & quasdem, exempli causa, ex iis recensui. Cuius- modi sunt hæc. 1. de verbis Christi, *Hoc est corpus meum,* 2. de necessitate Baptismi. 3. de obseruatione man- datorum Decalogi. 4. de communione sub utraque spe- cie. 5. de concupiscentia. 6. de fide iustificante. 7. de pur- gatorio. 8. de cœlibatu Apostolorum 9. de libero arbi- trio. 10. de fide infantium in Baptismo. 11. de Matrimo- nio. 12. de inuocatione Sanctorum. 13. de duobus te- stibus Apocalypsis. 14. de Antichristo. In his discu- tiendis, plusquam triginta pagellas otiose consumis; & ex aliorum Lutheranorum locis communibus frag- menta quædam transcribis, nullo alio fructu, quam ut volumini tuo apud imperitos, qui non ex doctrina, sed ex magnitudine rem æstimant, authoritatem cœciles, Hoc plane est, extra oleas vagari. Omitto similes di- gressiones: Et repeto, quod initio dixi, nec pauca, nec leuia vitia, toto opere, à te commissa esse, ut hactenus explicatum est.

C A P V T I I.

Defensio Argumentorum Becani.

Contra Gardium.

Deinceps videndum est, quid respondeas ad mea argumenta, quibus probauit, non Scripturam, sed Ecclesiam esse Iudicem controveneriarum, Loquitur autem generatim de iis omnibus controveneriis, quæ vel ad fidem, vel ad religionem quocunque modo pertinent. Huiusmodi sunt controveneriae. 1. de articulis fidei. 2. de Sacramentis & eorum administratione. 3. de præceptis vitæ ac morum. 4. denique de omnibus iis, quæ à Deo reuelata sunt, siue expresse scripta sunt, in sacris literis, siue habeantur ex Traditione Apostolorum. Harum omnium controveneriarum Iudicem, dico esse Ecclesiam; Normam vero, Scripturam & Traditionem. Et hoc contendunt argumenta mea, quæ iam defensurus sum.

I. ARGUMENTVM BECANI.

Ex officio Iudicis.

Hoc argumentum sic proposui in meo libello. Qui est, Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, ut vterque litigantium clare intelligat, quænam sit sententia Iudicis; & alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latam esse; aliqui, nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed vterque suam causam prosequetur: At Scriptura non potest prestare; Ergo non potest esse Index controveneriarum.

3. In hoc syllogismo negas & maiorem & minorēm propositionem. Contra maiorem , adfers tripli-
cem instantiam. *Vnam* de D e o ; qui non semper tam
clare pronunciat sententiā, ut alter fateatur pro se; alter
contra se latam esse. *Alteram* de Christo , qui inter se
& Iudæos voluit Mosem esse Iudicem , id est, scripta
Mosis,(Ioan.5.45.) Et tamen Moses ; id est, scripta Mo-
sis, non tam clare pronunciabant sententiam, ut Iudæi
faterentur contra se latam esse. Imo potius sperabant
in Mose; & ad eundem in disputationibus cum Chri-
sto prouocabant , Ioannis 9. 28. *Teriam* de Iudice seu
Principe sæculari, V.G.de Electore Saxoniæ ; qui pu-
blico scripto decidit varias quæstiones iuris Saxonici,
& tamen subditi in causis & casib⁹ specialibus non
semper clare intelligunt , an pro se, vel contra se facta
sit decisio.

4. Frustra tergiuersaris , mi Gardi,in re clara. Nam
ideo litigantes , qui inter se non possunt conuenire,
debent adire communem Indicem ; ut ab eo clare in-
telligent iudicij veritatem; Et sic vel cessent à litigan-
do, vel si boni viri esse velint, cessare debeant : Si ergo
Iudex , vel tam obscure , vel tam ambigue ferat inter
ipsos sententiam, ut eam clare percipere non possint,
non censetur item dirimere, quod ipsius officium est,
sed differre, & in longum protrahere, quod contra ip-
sius officium est.

5 Nec valent instantiæ, quas adfers. Non prima, quia
tripliciter possumus loqui de D eo. Primo quatenus
ipse ex se, non requisitus à nobis, proponit legem Mo-
saicam & Euangelicam, tanquam Normam seu regu-
lam, quam sequi debeamus. Secundo, quatenus requisiti-
sus à nobis, respondet ad controuersias, quas illi diri-
mendas proponimus; sicut multas proposuit illi Moses

in deserto. Tertio , quatenus in extremo die iudicij, vnumquemque; secundum op̄era sua iudicaturus est. Primo modo, est Legislator; secundo Iudex controuersiarum , tertio , Iudex factorum.

Si ergo loqueris de Deo, primo modo, quatenus est legislator, nihil ad rem dicis. Non enim disputamus de officio legislatoris, sed Iudicis. Et longe diuersa utriusque ratio est. Nam legislator , etiamsi aliquando obscurus aut ambiguus sit in ferendis legibus, non ideo facit contra officium suum. Quare? Quia ex officio semper habet tribunalia, in quibus decidi possunt controuersiae , quae oriuntur ex obscuritate legum aut constitutionum. Et sic bono publico sufficienter prospectum est. At si Iudex ipse , qui debet dirimere controuersias, in iis ipsis dirimēdis tam obscurus esset, ut ab utraque parte litigantium intelligi clare non posset nunquam finirentur lites in Republica ; quod bono communi valde esset perniciosum.

7. Si autem loqueris de Deo, secundo modo, quatenus est Iudex controuersiarum; falsum est, quod assertis, eum non clare pronunciare sententiam. Hoc patet in iis controuersiis , quas Moses illi proposuit. Quorum prima fuit quid faciendum esset cum iis , qui propter immunditiam legalem , non poterant cum aliis celebrare Pascha? (Nu.9.6. Altera, qua pœna deberet affici , qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbati? (Numeror. 15.32.) Tertia , an filiæ Salphaad possent habere hæreditatem inter cognatos Patris sui? (Num.27.1.) Ad singulas clariſſime à Deo responsum est. Ad 1. qui propter immunditiam legalem non possunt celebrare Pascha die 14. mensis primi, celebrent die 14. mensis secundi. Ad 2. qui colligit ligna in Sabbato , obruatur lapidibus. Ad 3. filiæ Salphaad habeant

habeant hæreditatem inter cognatos patris sui: Nihil hic obscurum.

8. Si tertio modo loqueris de Deo, quatenus futurus est Iudex viuorum & mortuorum; sic etiam falsum est; eum non clare pronuntiaturum sententiam. Omnes enim in extremo die iudicij, tam boni, quam mali clarissime percipient hanc iustam Dei decisionem. *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum à constituzione mundi: Esurini enim, & dedistis manducare, &c. &c. è contrario, Ite maledicti in ignem aeternum, &c.*

9. Altera instantia de Christo, nihil pertinet ad propositum. Primo, quia ipse nō voluit Mosen esse Iudicem controversiarum inter partes litigantes (de quali Iudice hic agimus) sed accusatorem Iudiciorum apud Deum Patrem, propter peccatum incredulitatis. *Nolite, inquit, putare, quia ego accusatus sum vos apud Patrem: est, qui accusat vos Moses.* Sunt enim tres personæ hic distinctæ. 1. Moses accusator. 2. Iudæi, rei. 3. Deus Pater, Iudex. Et tu hunc Iudicem vis esse Mosen? Eras. Deinde, cum ait Christus. *Est, qui accusat vos Moses,* non loquitur proprie, sed Metaphorice. Non enim hic sensus est. *Accusat vos Moses,* id est, defert peccata vestra ad Iudicem, sicut fieri solet in humano tribunali: sed hic; *Accusat vos Moses,* id est, peccatum vestrum contra Mosen commissum (quia scilicet non voluistis illi credere) facit vos reos in iudicio Dei. Nihil ergo ex hoc loco præsidij habes. Et si alibi quereras, non inuenies.

10. Nec tertia de Electore Saxoniæ, te iuuat. Nam si is, tanquam legislator, proponit legem Normam, seu Regulam iuxta quam decidi debent controversiæ civiles, quæ in posterum orientur in Saxonia, iam non vitetur officio Iudicis, de quo hic agimus. Si autem,

vt Iudex, decidit controversias, quæ à litigantibus ad ipsum deferuntur, decisio debet esse tam clara, vt ab utraque litigantium parte intelligatur; alioqui nō erit sufficiens ad finiendas controversias; nec tam erit decisio, quam confusio. Et hoc docet praxis.

11. Hactenus de maiori propositione, quam frustra oppugnasti. Minor erat hæc: Scriptura non potest ita pronunciare sententiam, vt uterque litigantium clare intelligat, vel pro se, vel contra se latam esse. Hanc ait esse falsam & blasphemam. Ac primo oppugnas illam ex Scriptura. Deinde adhibes distinctionem, iuxta quam explicari possit ac debeat. Ex Scriptura obiicis hæc tria.

12. Primo, quia Actor 18.28. legimus, quod Appollo conuicerit Iudeos. *Ostendens per Scripturas, Iesum esse Christum.* Ergo inquis, Iudei clare intelligebat ex Scriptura, Iesum esse Christum. At paulo ante, contrarium asseruisti, nempe, tantum abesse, vt Iudei ex Scriptura clare intellexerint Christum esse Messiam, vt potius prouocarint ad Mosen, tanquam Christo contrarium. Sed, vt video, perinde tibi est, quid dicas; modo nontaceas. Quod ad rem attinet, non nego, fieri aliquando posse, vt aduersarij conuincantur ex Scriptura, eo quod non possint respondere ad ea, quæ ex Scriptura adferuntur, (iuxta illud Actor. 6. 9. *Surrexerunt quidam de Synagoga disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiae & spiritui, qui loquebatur.*) Sed nego, semper scripturā esse tam clarā, vt litigātes, in quacunque controversia, possint clare percipere illius sententiam. Hoc clamant controversiæ inter vos & Calvinistas ortæ,

13. Secundo obiici, quod Christus Ioann. 12.48. dixerit Iudas incredulis, *Verbum quod loquutus sum vobis,*
indicas

indicabit vos in nouissimo Die. At Iudæi, inquis, clare intelligent hoc Verbum. Sed quid hoc ad institutum? Nihil penitus. Primo, quia tibi probandum est, Scripturam posse in hac vita definire omnes controversias inter Christianos litigantes. Hoc ex eo loco non probas. Nam ibi non agitur de hac vita, sed de nouissimo die iudicij. Nisi tu velis, decisiones controversiarum, quæ nunc oriuntur, in illum usque diem differre. Deinde, Verbum Christi, quod locutus est Iudæis, non iudicabit illos per modum Iudicis, sed per modum causæ. Non enim verbū illud, quod in hac vita loquutus est, pronūciabit sententiā in die iudicij, sed ipsemet Christus, cum dicet. *Ite maledicti in ignem eternum.* Erit tamen causa damnationis Iudæorum, quia Iudæi noluerunt credere Verbo Christi, quod hic loquutus est; & ideo damnationis sententiam audituri sunt.

14. Tertio obiicis, quia Scriptura iam iudicat incredulos, Ioan. 3. 18. *Qui credit in eum non iudicatur, qui assentem non credit, iam iudicatus est.* Et Marci. 16. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Hoc autem iudicium Scripturæ tam clarum est, ut intelligi possit. Respondeo. Confundis omnia, vt Lectorem decipias. Hæc enim Scriptura, quam tu citas, non iudicat incredulos; sed tantum narrat, eos iam iudicatos esse, tanquam damnationi obnoxios. A quo autem iudicati sunt? Ab illa lege, quā Deus ab initio mundi statuit in omnes homines, propter transgressionē primi parentis in paradyso.

15. Ut hoc melius intelligatur, explicanda sunt verba Christi, non diuisim, sed integre, vt sensus apparet. Verba Christi sunt hæc: *Non misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Quis credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Vbi

Vbi non loquitur de iudicio circa controuersias fidei, de quo nos agimus; sed de iudicio circa posteros Adæ; Nec de iudicio Iudicis, sed legis. Et est hic sensus: Ego non veni ad iudicandos homines, sed ad saluādos. Vel enim credunt in me, vel non credunt. Si credunt, non iudico eos ad mortem, sed à sententia mortis, cui obnoxij sunt transfero ad vitam. Si non credunt, ne sic quidem eos iudico, quia iam ante per legem iudicati sunt, ob legis transgressionem. Hic sensus clarissime exprimitur in fine cap. 5. 36. *Qui credit in filium, habet vitam eternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Quæ est illa ira quæ manet super eum? Nempe quæ in principio mundi super omnes filios Adæ denunciata est. De qua Apostolus Eph. 2. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut & ceteri.* Idem sensus colligitur ex illo Ioann. 5. 24. *Qui credit, habet vitam eternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam;* id est, de sententia mortis æternæ, cui omnes propter peccatum primi parentis subiecti sunt, & à qua per fidem in Christum liberantur.

16. Hunc sensum dupli similitudine illustrat Augustinus tractat. 12. in Ioannem. Altera serpētis & nei, altera Medici. Nam serpēs æneus fuit erectus & propositus iis omnibus, qui lethaliter morbi erant à serpētibus. Qui illum aspiciebant, sanabantur: qui non aspiciebant, moriebantur. Non quod serpēs æneus eos occideret, sed quia iam habebant in se causam mortis, & ab æneo serpente non quarebant remedium. Similiter Medicus offert se ægrotis, non ut eos occidat, sed ut sanet. Qui admittunt medicinam, sanantur: qui respiciunt, moriuntur: non propter Medicum, sed propter morbum, à quo non volunt liberari per Medicum. Sicut ergo de serpente æneo & Medico dici potest

poteſt eos non veniſſe, vt occiſant, ſed vt fanent: ſic de Christo non veniſſe, vt iudicet ad mortem, ſed vt faluet in vitam æternam.

17. Neque hinc ſequitur, Christum non fore Iudicem in die iudicij. Nam vt dixi, duplex eſt iudicium, Legis & Iudicis. Lex dicitur iudicare, quia qui peccat in legem, per ipsam legē iam morti addictus eſt quoad reatum ſeu obligationem; licet ſententia Iudicis non dum ſit lata. Iudex dicitur iudicare, quia in transgrefſores legis profert ſententiam mortis, quoad executionem. Igitur, qui in Christum non credunt, ſunt qui-dem iudicati per legem, quatenus ſunt rei damnatio-nis æternæ, propter legis transgressionem, ſed nihil minus iudicabuntur à Christo, qui in illos ſen-tentiam feret, quoad executionem. Hoc Chrysostomus homilia 27. explicat à simili. Nam qui homicidium comittit, eo ipſo momento, quo illud comittit, condemnatur à lege, tanquam reus mortis: Et poſtea conden-natur à Iudice, vt mortem reiſa ſuſtineat.

18. Hinc etiam explicatur alter locus, à te citatus; *Qui non credit condemnabitur.* A quo condemnabitur? A Christo Iudice in extremo die iudicij, licet iam ante condeſgnatus ſit à lege, vt paulo ante dixi. Porro ex utroque loco nihil aliud poſteſt colligi, quain quod lex ſcripta, vel Scriptura, in qua continentur lex ſcripta, iudicet per modum legis, de reatu filiorum Adæ, coram Deo, Christus autem in fine mundi, iudi-caturus ſit per modum Iudicis. Nemo hoc negat. Sed nihil facit ad propositum, de quo agimus. Nos enim diſputamus de Iudice, qui inter duos litigantes de aliqua controuerſia religionis, debet in hac vita ferre ſententiam, vt lis finiatur, quoad executionem.

19. Hæc ex Scriptura. Nunc audiamus diſtinctionē,
quam

quam adhibes. Est autem hæc. Non esse tribuendum impotentiæ Scripturæ, quod ipsius sententia non intelligatur ita clare, ut litigantes acquiescant; sed pertinaciæ & malitiæ litigantium. Quod dupliciter ostendis, Primo, quia Scriptura per se potest præstare, & aliquando præstat, ut litigantes clare intelligent ipsius sententiam. Nam Christus ex Scriptura tam clare demonstrauit resurrectionem mortuorum, ut Saduceis eos obturauerit. (Matt. 22. 29.) Secundo, quia per accidens est, nempe ex hominum obstinatione, vel excæcatione, vel inani gloria, quod altera pars litigantium non velit fateri sententiam Scripturæ contra se latam esse. Hoc cōfirmas exemplo, tum Arrii & Photini, tum etiam Caluinistatum & Catholicorum, qui nunquam volunt fateri, se à Lutheranis victos esse ex Scriptura, cum tamen reuera victi sint.

20. Hæc distinctio non est sufficiens; quia desunt alia duo membra, quæ tu omittis. Vnum est obscuritas Scripturæ; alterum, infirmitas humani intellectus. Itaque quod litigantes aliquando non fateantur Scripturam contra se esse, hoc non semper prouenit ex malitia hominum, ut tu dicis, sed sæpe, ex obscuritate Scripturæ, & intellectus nostri imbecillitate, seclusa omni malitia, pertinacia, & inani gloria. Accipe exemplum. Augustinus & Hieronymus acerrime olim litigarunt, quo sensu Apostolus Paulus Gal. 2. 13. loquatur de simulatione Petri. Erat autem duplex inter eos cōtrouersia. Vna, an Petrus peccauerit simulando Iudaismum, & usurpando ceremonias legales. Altera, an vere reprehensus sit à Paulo, an tantum simulate? Neutra potuit ab iis finiri ex sola Scriptura: Nec tam id factū est ex eorum malitia, pertinacia, vel inani gloria. Nam ambo erant viri sancti, humiles, & maximo charitatis vinculo

vinculo inter se connexi. Vnde ergo ? Ex eo , quod Scriptura non satis clare ad utriusque captum suam mentem proponebat.

21. Idem dico de aliis controuersiis , quæ diuersis temporibus , inter homines etiam sanctissimos in Ecclesia Catholica fuerunt excitatae. V. G. de Canone Scripturæ ante tempora Innocentij primi , de Baptismo hæreticorum , tempore Cypriani ; de immaculata conceptione B.Mariæ Virginis ; de officia gratiæ , & dealiis similibus. Quæ tamē ex sola Scriptura finitæ non sunt , sed utraque pars litigantium parata fuit submittere se iudicio matris Ecclesiæ , quod etiam nunc seruant Catholici , quando inter ipsos de aliqua re oritur controuersia. Neque hic locum habet malitia , vel pertinacia . vel inanis gloria litigantium. Alioqui non essent parati audire decisionem Ecclesiæ , & illi sponte acquiescere , sineulla ulteriori tergiuersatione.

22. Aliud est de Arrio,Photino, Caluinistis , itemque de vobis Lutheranis, apud quos valet distinctio à te allata. Nam ex mera pertinacia , & inani gloria non vultis obtemperare matri Ecclesiæ ; sed eam deserentes , & quasi refractarij, importune appellatis ad alium Iudicem incompetentem, nempe ad Scripturam , non quocunque modo, sed vestro sensu intellectam; ut hac ratione sententiam subterfugiatis , & controuersiæ in infinitum protrahantur. Exemplum dedit vobis Luthetus. qui ne videretur victus aut damnatus esse à Cardinale Cajetano , primum quidem appellauit ad Pontificem, nescio qua spe elabendi, (ut habetur Tomo 1. Ienensi latino fol. 19;) Sed paulo post, cum ab eo videret se damnari, agrè id ferens appellauit ad Concilium. (ibidem fol. 205.) A Concilio, ad Carolum V.

Impera

Imperatorem (To. 4. fol. 191) Denique, cum nulli horum vellet obtemperare, cōfugit ad solam Scripturā, à qua sperabat se damnari non posse, si eam suo sensu ac arbitrio interpretaretur, Vos Prophetam vestrūm imitamini.

23. Quod addis, Saducæos clare intellexisse sententiam Scripturæ de resurrectione mortuorum; nefcio, vnde habeas. Certe ex Scriptura id colligi nō potest, sed potius contrarium. Primo, quia Christus expresse ipsis dixit. *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Deinde ex Scriptura Mosis sic argumentatus est: *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacobi: Non est Deus mortuorum sed viventium.* Hoc argumento attoniti, siluerunt: non quod vim illius, aut sensum Scripturæ à Christo citatae, clare percepissent, sed quia non habebant ex tempore, quod responderent. Id patet ex verbis sequentibus: *Pharisei autem audientes, quod silentium imposuisset Saducæis, conuenierunt in unum, & interrogauit unus ex eis legis Doctor tenet eum, &c.* Constat inter Saducæos & Phariseos fuisse perpetuam litem ac simulationem. Act. 23. 6. Itaque Pharisei, quia videbant Saducæos obmutuisse, volebant & ipsi Christum aggredi, spe felicioris successus; ut ostenderet Saducæis se esse doctiores; nec Scripturæ sensum, ut illos ignorare. Sed idem his contigit, quod illis: sequitur enim in fine eiusdem capituli: *Nemo poterat ei respondere verbum.*

24. Nec sane mirum est, Saducæos coram Christo obmutuisse; quia argumentū, quod ipse illis opponebat, erat obscurum ac intricatum, ut fatentur interpretes. Neque vos Lutherani, post tot interpretum subsidia, potuistis illud ad formam syllogisticam redigere,

cum

cum id à vobis in colloquio Turlacensi postulatum esset. Tentauit quidem unus ex vestris. Thomas VVege- linus, id præstare, sed irrito conatu. Nam in suo libello cui titulus est. *Iudicium de novo Iesuitarum Amuleto*, rededit in hanc formam.

Deus est Deus viuentium, & non mortuorum.

Deus est Deus Abraham, Isaac, & Iacobi.

Ergo Abrahamus, Isaac & Iacobus viuunt, & non sunt mortui

At infeliciter. Primo, quia non infertur conclusio quæ est inferenda, nempe hæc, ergo mortui resurgent. Hanc perimus inferri in forma syllogistica à Lutheranis. Secundo, quod syllogismus bonus est, quia constat quatuor aut quinque terminis, quod est vitium apud Dialecticos notissimum. Primus terminus est, *Deus* qui in maiori & minori subiicitur. 2. est, *Deus viuentium & non mortuorum*, qui in maiori prædicatur. 3. est, *Deus Abrahami, Isaac & Iacobi*, qui in minori prædicatur. 4. est, *Abrahamus, Isaac & Jacobus*, qui in conclusione subiicitur. 5. est, *viuunt & non sunt mortui*, qui in conclusione prædicatur.

25 Vi videoas vitium, accipe syllogismum eiusdem formæ ac valoris: *Deus est Deus viuentium, & non mortuorum: Deus est Deus cœli & terræ: Ergo cœlum & terra viuunt, & non sunt mortua.* Vel huc: *Deus est Creator Angelorum: Deus est Creator Adami & Euae: Ergo Adamus & Eua sunt Angeli.* Vel istū: *Gardius est confessarius mulierularum: Gardius est confessarius virorum: Ergo viri sunt mulierculæ.* Quid tibi videtur mi Gardi? Succurre VVegeлио tuo, si potes. Nos certè aliter didicimus formare syllogismos. Atque hæc dixerim pro defensione primi mei argumēti, quod hactenus conuelli à te non poruit. Transeo ad reliqua.

II. ARGUMENTVM BECANI.

Ex parte Scripturæ.

26 **H**oc fuit huiusmodi; Scriptura nec secundum nudam externam literam, neque secundū sensum, potest esse infallibilis contruersiarum Iudex. Non priori modo, quia ille non potest esse infallibilis Iudex, qui dicit homines in errorem: At Scriptura, si nudam ipsius literam spectes, s̄aep̄ dicit homines in errorem; vt patet exemplo Iudæorum, Arrij, Sabellij, Macedonij, Manichæi, Pelagij, & aliorum. Ergo non potest esse infallibilis Iudex.

27 Nec posteriori, quia Scriptura, quoad verum & legitimū sensum, s̄aep̄ est obscura & difficilis intellectu; ac proinde s̄aep̄ oritur controuersia de vero & legitimo ipsius sensu. Omnis autem controuersia requirit Iudicem. Debet ergo aliquis esse Iudex, qui definiat, hunc esse legitimū sensum, illum non esse. At hic iudex non potest esse ipsa Scriptura, quia de ipsius sensu ac sententia mouetur controuersia: Ergo aliquis aliis distinctus à Scriptura.

28 Hoc argumentum, quoad utramque partem, fuisse in meo libello prosecutus sum; & in eo explicando multa dixi de litera & sensu Scripturæ; itēq; de obscuritate, & causis obscuritatis: quæ omnia bilem tibi mouent, vt video. Tu vicissim multa obiicis, quæ ad duo capita reuocari possunt. Nam aliqua refutata sunt cap. i. vbi de vitiis à te commissis actum est. Alia hoc loco discutiam, quæ ad vim argumenti, quod propositum est, facere videbantur. Sunt autem fere hæc.

29 Primo dixi, nudam Scripturæ literam, s̄aep̄ duce-

re

re homines in errorem; ideoque infallibilem Iudicem esse non posse. Tu obiicis nudam literam, per se id nō facere, sed per accidens. Hoc quidē non nego, vt constat ex iis, quae dicta sunt c. 1. §. 30. & sequentibus. Sed ex eo satis conuincitur, non posse esse infallibilem Iudicem. Quod sic ostendo. Qui est infallibilis Iudex, debet ita pronunciare & explicare suam sententiam ut litigantes, etiam si indocti sunt, clare intelligent quid Iudex velit, & post auditam eius sententiam, non possint falli aut incerti esse de lata sententia; alioqui respectu eorum non erit sufficiens & infallibilis Iudex: At Scriptura quoad nudam externam literam, non potest hoc modo pronunciare & explicare suam sententiam: Ergo non potest esse infallibilis Iudex. Minor probatur, quia externa litera Scripturæ potest duobus modis spectari. 1. Quatenus significat id, ad quod significandum ex communi hominum sensu ac iudicio destinata est. 2. Quatenus significat id, ad quod significandum ex peculiari Dei inspiratione & voluntate assumitur. Et quanquam Deus sēpe assumat illā in eo sensu, quo ab hominibus usurpari solet, non tamen semper. Hoc autem discrimen, ipsa litera per se nude sumpta non potest ita explicare, ut litigantes clare ac sine errore intelligent. Nam aliquando continet, ut litigantes putent literam in eo sensu assumī à Deo, quo vulgo accipitur ab hominibus, quod non semper sit.

30 Dabo exemplum. Externa Scripturæ litera sic habet, Ioan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Hæc litera, quatenus à Deo assumitur, significat Patrem & Filium esse vius naturæ & essentiæ, salua personarum distinctione. At ex communi hominum iudicio (seclusa Dei reuelatione) hoc non significaret. Nam ex

communi hominum iudicio, vbi est vna tantum natura & essentia, ibi est yna tantum persona: Ac proinde, qui iuxta commune hominum iudicium diceret, Marcum & Tullium esse vnius naturæ & essentiæ, diceret etiam esse vnam eandemque personam. Et contra, qui diceret, Marcum & Tullium esse duas personas, negaret esse vnius naturæ & essentiæ.

31 Item, Externa Scripturæ litera sic habet Ioan. 14. 28. *Pater maior me est.* Hæc etiam litera, quatenus à Deo assumitur, significat Filium esse minorem Patre, secundum naturam humanam; licet æqualis sit Patri secundum diuinitatem. At hic sensus, secundum communem hominum opinionem, ex illa litera colligi nō potest. Nam illa litera, *Pater maior me est*, secundum communem hominum opinionem significat, Filium vel ætate, vel authoritate, vel diuinitatis, vel prudentia, vel simili qualitate, minorem esse Patre: Non tamen significabat, natura minorem esse. Item, Externa Scripturæ litera sic habet Ioan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit de novo, non potest videre regnum Dei.* Hæc litera, quatenus à Deo assumitur, significat spiritalem nativitatem, quæ fit per Baptismum, necessariam esse ad salutem. At ex communi hominum sensu ac conceptu significat, hominem debere iterum nasci ex utero materno. Sic enim Nicodemus intellexit. Omitto similia exempla.

32 Dices, Quamuis illa litera, *Pater maior me est*, per se nude sumpta, non satis explicet, filium secundum naturam humanam esse minorem Patre, licet æqualis sit illi secundum diuinitatem; tamen ex collatione illius literæ cum alijs Scripturæ locis, facile id colligi potest. Nam alibi dicitur, Filium esse Deum, & esse hominem. Ergo itatim infertur, qua Deus est, æqua

æqualem esse Patri; qua homo est , minorem esse Pa-
tre.Idem dicendum de aliis exemplis allatis. Respon-
deo. Hæc collatio potest dupliciter institui. 1. Ut fiat
collatio nudæ literæ cum nuda litera, neglecto sensu,
quem Deus intendit & reuelat. 2. Ut fiat collatio sen-
sus cum sensu à Deo intento & reuelato. Nos hic lo-
quimur de litera priori modo:Et sic collatio non pro-
dest. Imo, qui conferret hanc literam, *Christus est Deus,*
cum litera, Christus est homo, & nihil aliud spectaret, nisi
literam, quatenus significat aliquid ex communi ho-
minum conceptu, diceret, illas inter se pugnare. Nam
ex communi hominum conceptu (seclusa reuelatione)
Deus non est homo , nec homo Deus. Hinc iterum
infero , nudam Scripturæ literam , neglecto sensu à
Deo intento, non posse esse infallibilem controversia-
rum Iudicem. An autem possit esse, si coniugatur cum
sensu à Deo intento , pertinet ad posteriorem partem
argumenti, superius à me propositi.

33 Hæc doctrina potest declarari simili exemplo.
Nam sicut externa litera, ut dictum est , potest dupli-
citer spectari , semel quatenus à Deo assumitur ad ali-
quid significandum, & semel , quatenus ex communi
hominum consensu aliquid significat: sic etiam exter-
na ablutio aquæ potest dupliciter spectari. 1. quatenus
à Deo assumitur in Baptismo, ad generationem spí-
itualem. 2. quatenus ex communi hominum vsu adhi-
betur ad abluendum corpus. Si ergo p̄æcisè secun-
dum se spectetur , quatenus est externa tantum actio;
non potest nobis sufficienter explicare , an assumatur
ad internam generationem , an ad externam ablutionem.
Potest tamen id constare ex aliis circumstantiis,
itemque ex intentione illius, qui usurpat talem actio-
nem. Sic sit in nostro casu. Non negabis , si sanus es.

34 Secundo dixi, Iudæos ideo errasse, quia omnia, quæ in Mose & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundum externam literam, & sensum interius latentem non percipiebant. Et hoc significare Apostolum 2. Cor. 3. 15. cum ait: *Visque in hodiernum d:em, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, id est, Adhuc Iudæi non intelligent Mosen, quem quotidie legunt, quia non penetrant internum ipsius sensum, sed externa litera cōtenti sunt.* Vel, Non agnoscunt Christum, qui sub externis ceremoniis ac sacrificiis Mosaicis, tanquam sub velamine occultatus est. Adhuc hærent in ipso velamine, & non considerant, quid sub illo lateat reconditum. Sic ego in meo libello §. 12.

35 Tu multa obiicis, sed more tuo. Primò, me committere petitionem principij, quia externa litera per se non erat causa erroris Iudæorum, sed neglectus totius literæ, scopi, & collationis Scripturæ & Mosaicæ ac Propheticæ. Nescis, quid sit petitio principij. Is dicitur committere petitionem principij, qui id, quod probandum est, allumit loco probationis. V. G. Probandum tibi est, Ecclesiam Catholicam aberrassè à vera fide. Et probas hoc modo: *Quis dubitat eam aberrassè? Vel, certum est aberrassè.* Hic petis principium. De me hoc dici non potest. Nam mihi probandum erat, literam Scripturæ, neglecto vero sensu, sèpe ducere homines in errorem, si non per se, saltem occasionaliter. Hoc autem probavi exemplo Iudæorum & hæreticorum. An hoc est petere principium? collige sensus tuos. Reliqua, quæ addis, iam explicata sunt.

36 Secundo obiicis, me committere fallaciam accidentis. Et probas, quia quod Iudæi non perciperent sensum Scripturæ, causa non erat externa litera Scri-

pturæ, sed ipsorum cæcitas, stupiditas & negligentia. Videris ex Dialectica Rami aut Melanthonis transcriptis hæs loquendi formulas: *Est petitio principij, Est fallacia accidentis.* Sed parum fæliciter. Nam & ignoras, quid sit petitio principij, vt iam ostendi: & fallaciā accidentis falso mihi attribuis. Non enim dixi; *Iudei legabant externam Scripturæ literam, & ideo non percipiebant sensum;* vt singis me dixisse. Scio enim lectionem Scripturæ, quoad externam literam, non esse causam ignorantiae sensus. Alioqui quotquot legerent externam Scripturæ literam, ignorassent illius sensum; quod absit. Sed sic dixi, Iudeos propterea errasse, quia contenti erant externa litera, & illum solum putabant esse sensum Mosis ac Prophetatum, quem externa litera præ se ferebat. Hic nulla est fallacia accidentis.

37 Postremo objicis, per velamen illud, quod ait Apostolus positum fuisse super cor Iudeorum, non intelligi externam Scripturæ literam, sed partim ceremonias & sacrificia Mosaica, partim stupiditatem & cæcitatem Iudeorum. Vbiique queris, quod carpas. An non clare dixi, quod dicas, externas ceremonias & sacrificia Mosaica fuisse velamen sub quo Christus erat occultatus? At, inquis, externa litera nō erat velamen. Imo, erat. Nam externæ ceremoniæ & sacrificia Mosaica, per externam literam proponebantur. Itaque per velamen, tam externa litera, quæ immediate significabat externas ceremonias & sacrificia; quam ipsæ ceremoniæ & sacrificia, quæ per externam literam immediate significabantur, intelligi debent. Notandum tamen est, duplex velamen esse distinguendum; Vnum legis Mosaicæ; Alterum Iudeorum. Velamen legis Mosaicæ iam explicatum est. Erat enim, tum

externa litera, tum externæ ceremoniæ & sacrificia, sub quibus abscondebatur Christus. Velamen Iudæorum, erat ignorantia & cæcitas eorum, quæ in eo consistebat, quod pertinaciter inhærent externæ literæ & ceremoniis Mosaicis, non considerando Christum qui sub ipsis erat reconditus. Vtrumque suo modo ac sensu erat positum super cor Iudæorum. Prius quidem obiectuè & extrinsecè ; posterius autem subiectuè seu inhæsiuè.

38 Fuit & aliud velamen, quo Moses tegebat faciem suam, quando loquebatur Iudæis : idque propterea, quia facies Mosis, ex colloquio cum Deo, nro quodam splendore, instar lucidissimi Solis, resplendebat; quem splendorem Iudæi intueri non poterant, & ideo quoties loquebantur cum Mose, necessè erat, ut Moses obiecto velamine, splendorem illum occultaret. Exodi 34.29. & 2.Corinth. 3.13.

39 Hoc velamen allegorice significabat velamen legis Mosaicæ, ut ex Apostolo notant interpretes. In qua allegoria, hæc consideranda sunt. 1. Moses, qui loquebatur populo; allegoricè significans legem Mosai-
cam, quæ data erat populo. 2. Velamen Mosis; signifi-
cans velamen legis Mosaicæ. 3. Splendor Mosis, qui tegebarur velamine; significans Christum, qui tegebatur ceremoniis ac sacrificiis Mosaicis. 4. Iudæi lo-
quentes Mosi habenti velamen, sub quo tegebatur splendor faciei ipsius: significantes eosdem Iudæos, legentes legem Mosai-
cam, habentem ceremonias & sacrificia, sub quibus tegebatur Christus. Hanc alle-
goriam explicat Augustin. l.2. contra aduersarium le-
gis & Prophetarum c.7. Theodoretus in cap.34. Exo-
di, & alij.

40 Tertio dixi, non solum Iudæos, sed etiam hæ-
reticos

reticos, ut Sabellianos, Arrianos, Macedonianos, Manichæos, Pelagianos, & plures alios errasse, quod reliquo Scripturæ sensu, quem sequitur Ecclesia, amplexi sunt alienum sensum, quem externa litera præ se fert (§. 14. & sequentibus) Hic vertis te in omnem partem. Ac primo fateris, quod res est. Et citas Augustinum, quem ego citavi, serm. 70. de tempore, vbi ait: *Infelices Iudei, & plus infelices heretici, qui dum solum literæ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine vivificante spiritu, mortui remanserunt.* Deinde expresse addis, multos offendisse in Scriptura, eo quod neglecto Scripturæ sensu, nudo sono literæ pertinaciter inhaeserunt. Hæc omnia pro me.

41 At contra, hæc obiicis. Primo, quod dixerim multos errasse, eo quod reliquo Scripturæ sensu, quem sequitur Ecclesia, amplexi sint alium sensum, quem externa litera præ se fert. Hoc dictum valde exagitas: sed sine causa. Res sic habet. Ecclesia Christi, ex perpetua assistentia Spiritus Sancti, sequitur eum sensum, qui à Spiritu Sancto intentus est. Hic autem sensus sære diuersus est ab eo, quem externa litera, ex communione hominum opinione, præ se fert, ut supta ostendi. Itaque heretici, qui contemnunt Ecclesiam, sicut tu facis, propterea errant, quia interpretantur Scripturam eo sensu, quem ipsi humano iudicio colligunt ex litera Scripturæ; non autem eo, quem Ecclesia amplexitur, quæ errare non potest. Audi Augustinum in Ps. 57. *In ventre Ecclesie veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesie separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur.*

42 Secundo obiicis, exempla hereticorum, quæ attuli, à scopo quæstionis aliena esse. Causam addis, quia quod heretici errant, non est tribuendum literæ Scripturæ, sed prauo hereticorum intellectui.

Imo utriusque tribuendum est; sed diuerso modo. Nam litera Scripturæ fuit occasio errandi; malitia hominū, fuit causa persistendi in errore. Simile est in peccato concupiscentiæ. Multi sunt auari, luxuriosi, fornicarij. Cui id tribuendum? Partim legi diuinæ, partim ipsorum malitiæ. Lex est occasio peccati. Rom. 7.8. At malitia est causa perseverandi in peccato. Miror, si hoc nescis.

43 Tertio obiicis, nec Sabellianos ex illo loco, *Ego & Pater unum sumus*, necessario colligere personæ unitatem; nec Arrianos ex illo, *Pater maior me est*, Filium non esse Deum. Sed frustra hoc obiicis, quia non est contra me. Fateor; nec dogma Sabellianorum, nec Arrianorum, necessario inferri ex Scriptura; alioqui non esset dogma hæreticum. Nam quidquid necessario infertur ex Scriptura, veritas est, non hæresis. Quæ addis de Macedonianis, Manichæis, Pelagianis, non egent noua responsione.

44 Quarto dixi, in Scriptura passim occurrere apparentes contradictiones, quæ Lectori magnam parunt difficultatem: Et aliquas ex iis recensui. (§.28.) Hic cum multa videaris dicere, nihil aut parum dicis. Præcipua sunt hæc. 1. Conaris ostendere, non esse veras contradictiones. Sed frustra. Non enim dixi esse veras, sed apparentes. 2. Ais me illas aliunde sumpsisse. Fateor. Non enim ex meo cerebro eas finxi, sed ex ipsa Scriptura, & illius interpretibus accepi. 3. Ais me risu dignum esse, quod quasdam recensuerim, quæ non magni momenti sint. Ergone & Augustinus, & vester Althamerus risu digni, qui easdem ante me recensuerūt? 4. In iis conciliandis tantum operæ ponis, ut facile appareat, subesse aliquam difficultatem, tametsi verbo id neges. Quod arrogantiæ tuæ tribuendum est. Suntis difficul-

difficultatem , sed ne videaris aliquid nescire, non vis agnoscere. 5. Sæpe, cum aliis conciliandi modus non occurrit, reprehendis vulgatam Editionem ; quod est argumentum à desperatis. Deo quo supra.

45 Quinto dixi, Scripturam ex eo etiam reddi obscuram, quod aliquando, vbi minime putamus, subito fiat transitus de sensu literali ad mysticum , de carnalibus ad spiritualia, de Regibus Israël ad Christum. Et è contrario. Hoc ostendi quatuor exemplis. *Primo*, quia Isayæ septimo fit transitus à duobus Regibus, Syriæ & Israël , ad B. Virginem. Hoc tu negas. Sed inspiciatur textus , & legantur interpres. *Secundo*, Isayæ 14. fit transitus à Rege Babylonis ad Luciferum. Hoc vocas in dubium. Et pro parte affirmante adducis opinionem veterem , quam ego sequor : pro negante tuam coniecturam, quam tibi relinquo. *Tertio*, Psalm. 71. fit transitus à Salomone ad Christum. Hoc etiam negas. Sed affirms Augustin.lib.17.de Ciuitate Dei cap.8. & alij, te doctiores. *Quarto*, Ioan. 5. fit transitus à panibus hordeaceis ad panem Eucharisticum. Et hoc negas. Sed mecum affirman, non modo antiqui Patres, Origenes, Athanasius, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus , Chrysostomus , Augustinus , Cyrillus , Theophylactus, Bernardus, Rupertus, D.Thomas; sed etiam vestris Hussitæ, & non pauci Calviniani.

46 Hæc sufficiant pro defensione. 2. argumenti, quod nunc repeto. Scriptura nec quoad externam literam , nec quoad internum sensum , potest esse Iudex controversiarum. Non priori modo , quia externa litera sæpe dicit in errorem. Nec posteriori , quia sensus Scripturæ sæpe tam obscurus est , ut opus sit alio Iudice, qui definiat, hunc esse legitimum sensum; illum non esse.

III. ARGUMENTVM BECANI.

Ex parte controveneriarum.

47 **H**oc sic proposui. Multæ sunt controveneriæ circa fidem & religionem , quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certe non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit : Ergo in iis dirimendis alius Iudex querendus est. Eiusmodi autem controveneriæ sunt hæc. *Prima*, an libri Tobiae, Iudith, Sapietiae, Ecclesiastici, & Macchabæorum sint canonici , nec ne? *Secunda*, quot sint Sacra mentia nouæ legis? *Tertia*, An exorcismus adhiberi possit in Baptismo? *Quarta*, an Baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? *Quinta*, an Baptismus vna mersione conferri debat? *Sexta*, an Christiani loco Sabbati debeant cole re diem Dominicum? *Sepiima*, an B. Maria manserit Virgo post partum? *Oclaua*, an Petrus Apostolus fuerit Romanae Ecclesiæ Episcopus? *Nona*, an symbolum fidei sit vere canonicum & Apostolicum? *Decima*, an in veteri Testamento fuerit aliquod exterrnum remedium pro fœminis contra peccatum originale?

48 Ad hoc argumentum, quo sentis te premi, dupli citer respôdes. 1. generatim, adhibendo distinctionem. 2. speciatim , descendendo ad singulas controvenerias iam enumeratas. Distinctio est hæc. Ais duplices esse controvenerias. Quasdam , quæ concernunt articulos fidei, & dogmata ad salutem necessaria. Et harum Iudicem in Speciali esse Scripturam. Alias, quæ concernunt ritus adiaphoros, & ceremonias liberas , ab Ecclesia , ordinis ac decoris causa , institutas : Et harum Iudicem in speciali esse Ecclesiam , sed ad generale iudi

iudicium Scripturæ adstrictam.

49 His fateris, Ecclesiam esse Iudicem controversiarum posterioris generis. Hoc accipio. Sed nihilominus duo ex te quæro, quæ alibi ex me quæris. Vnum est, quid intelligas nomine Ecclesiæ: an Pontificem, qui præest Ecclesiæ? an Concilia, quæ repræsentant Ecclesiam? an totam Ecclesiam simul sumptam? Alterum, an Ecclesia sit Index fallibilis, an infallibilis? Si ais infallibilem esse, redit prior quæstio, an illa infallibilitas sit in Pontifice, an in Cœciliis, an in toto Ecclesia simul sumpta? Item, an sit infallibilis absolute, an vero, quatenus astricta est ad Scripturam? Et, si hoc posteriori modo, an magis infallibilis sit, quam quilibet homo priuatus? Nam etiam quilibet priuatus, quatenus astrictus est ad Scripturam, falli non potest. Si ais fallibilem esse, bis peccas. 1. quia disputamus de infallibili Iudice, ut nosti. Infallibilem igitur oportuit assignare. 2. si fallibilis est, quis illam, dum fallitur, de errore iudicabit? An tu, Gardi? Sed & tu fallibilis es. Cui ergo credemus? Ecclesiæ, an tibi? Si neutri, assigna alium Iudicem, qui falli non possit.

50 Porro, distinctio bimembrys, quam aduersi sufficiens non est. Nam multæ sunt controversie, quæ ad neutrum membrum reuocari possunt. Cuiusmodi sunt hæ. 1. An Apostolus Paulus sit author Epistolæ ad Hebræos? 2. an serio Petrum reprehenderit? 3. an prædestinatio ad gloriam facta sit ex præuisis operibus? 4. an Sacraenta sint instrumenta physica, an moralia? 5. an præter tres substantias relatiuas in Trinitate, sit etiam una absolute? 6. an beatitudo æterna formaliter consistat in clara Dei visione, an potius in amore? 7. an B. Virgo concepta sit in peccato originali, nec ne? 8. quomodo numerandas sint 70. hebdomadæ

Danie

Danielis 9. an paradisus terrestris adhuc exstet? 10. quod sit tertium illud cœlum, ad quod raptus fuit? Hæ & similes controværsiae non pertinent ad prius membrum distinctionis, quia non concernunt articulos seu dogmata fidei ad salutem necessaria: alioquin non licet; salua fide & salute, alterutri parti adhærere. Nec pertinent ad posterius, quia non sunt de ceremoniis adiaphoros, & ab Ecclesia institutis, ut per se notum est. Debet igitur assignari tertium membrum, quod tu omisisti.

51. Accipiam exemplum à vobis Lutheranis. Controværsia inter vos est de actuali fide, quam fingitis esse in infantibus. Est autem hæc; An infantes accipiāt actualem fidem in Baptismo, an vero in Exorcismo, qui præcedit Baptismum? Vel, an incipient credere in Exorcismo, an in Baptismo? Lutherus in lib. contra armatum virum Cochlaeum, disertè docet, eos credere vi Exorcismi. Sic enim scribit: *Dicimus ad Baptismum eos credere per vim verbi, quo exorcizantur. & per fidem Ecclesie eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis.* At Philippus in Locis, cap. de Baptismo infantium, Kemnitius in 2. parte Examini Conc. Trid. ad can. 13. de Baptismo, & plures alij Lutherani, tribuunt hoc Baptismo, non Exorcismo. Verba Philippi sunt hæc. *Spiritus Sanctus per Baptismum eis datur, qui efficit in eis nouos motus, & nouas inclinationes ad Deum.* Kemnitij hæc: *Oportet Spiritum Sanctum in infantibus, qui Baptizantur, efficacem esse, & operari.* Et paulo post: *Illam autem operationem Spiritus Sancti in infantibus vocamus fidem, & dicimus parvulos credere.*

52. Hæc controværsia non potest reuocari ad posterius membrum tuæ distinctionis, ut manifestum est, quia fides infantium, ex vestra opinione, non est res adia

adiaphora, sed necessaria. Vel ergo ad prius renocatur, vel ad neutrum. Si ad neutrum, non est sufficiens distinctio. Si ad prius, iam concernit articulum seu dogma fidei ad salutem necessarium. Ergo necesse est, vel Lutherum, vel certe Philippum & Kemnitium errare in aliquo articulo seu dogmate fidei ad salutem necessario; ac proinde hæreticos esse, nec saluari posse. Quid dicis, Gardi?

53 Et, quia semel incidimus in hanc controuersiam, iterum quero, an illa definiri possit ex sola Scriptura, nec ne? Si non potest, firmum est, quod dixi, solam Scripturam non esse Iudicem controuersiarum. Si potest, profer aliquem Scripturæ locum, ex quo eam definias, id est, ex quo clare constet, fidem actualem vel in Exorcismo dari infantibus, ut vult Lutherus; vel in Baptismo, ut volunt Lutherani. Et sane res magni momenti est. Nam ex sententia Lutheri sequuntur hæc tria. 1. Exorcismum ad salutem necessarium esse, quia per illum datur fides, sine qua salus esse non potest. 2. Infantes, qui Baptizantur sine Exorcismo, saluari non posse, quia fidem non habent. 3. Aliquid ad salutem esse necessarium, cuius nulla fiat mentio in Scriptura. Sed quia suspicor, controuersiam hanc ingratam tibi esse, non urgebo; sed progrediar ad alias, quæ à me commemoratae sunt.

I. CONTROVERSIA.

An libri Tobiae, Iudith, Sapientie, Ecclesiastici, & Machabæorum sint Canonici, necne?

54 IN hac & sequentibus controuersiis hoc præcise agitur, an ex sola Scriptura definiri possint? Vel

Vel , an sola Scriptura possit esse earum Iudex ? Ego in meo libello negauī. Tu de plerisque affirmas. Videamus ergo, an alteram partem, quam tu sequeris, ex sola Scriptura probare possis. Hoc ideo volui præmonere, quia sæpe adducis alias probationes, quæ ex Scriptura non sunt. Eas omittam, quia nihil ad rem faciūt. Prima igitur controvērsia est , an supradicti libri sint canonici, nec ne ? Non esse canonicos, probas hoc modo: Illi libri non sunt canonici, in quibus continentur quædam falsa, dubia, & contradictoria: At in libris iam nominatis continentur quædam falsa, dubia, & cōtradic̄toria : Ergo non sunt canonici. Maiorem concedo, minorem nego. Hanc probas inductione. Ac primo.

55 Contra librum Tobiae sic obiicis : *In libro Tobiae multis in locis discrepat editio Graeca à Latina, quemadmodum pluribus exemplis ostendi potest. Quæ igitur vera & indubitate? Respondeo. Hæc probatio, tuo iudicio, non est ex Scriptura , sed ex libro Tobiae , quem negas esse partem Scripturæ. Vana igitur est. Deinde non est sufficiens. Nam ex eo, quod variæ editiones alicuius libri à se inuicem discrepant, non sequitur, librum non esse canonicum. Potest enim fieri, ut vna editio sit legitima, altera vitiosa. Sicut tu ipse , non semel , sed sæpe affirmas (tamen si falso) vulgatam editionem Psalmorum in multis discrepare ab Hebraica: Nec ideo tamen existimas , librum Psalmorum non esse canonicum. Denique cur illam discrepantiam in libro Tobiae; vel vnico saltem exemplo non demonstrasti? Aut, quam responsionem à me poscis, si nihil adfers, quod responsionem exigat ? Neque enim diuinare possum, quæ sit illa discrepantia, quam iactas , quamdiu illam non exprimis.*

56 Contra librum Judith sic obiicis : Primo in eo cōtinetur

continetur talis historia, de cuius tempore nihil certi haberi potest. Secundò, dubia sunt, quæ de Nabuchodonosore & Eliakim referuntur. Tertiò, in versione Latina habetur (cap. 5. 22.) Iudeos tum reuersos fuisse ex dispersione, & iterum possidere Hierosolymam, ubi sint sancta sanctorum. In Graeca, templum ipsorum eversum fuisse & solo aquatum, & ciuitates eorum occupatas ab hostibus. Quartò, cap. 9. 2. laudat Judith factum Simeonis, Sichemitas contra datam fidem interficiens, quod pugnat cum historia canonica, Gen. 34.13. & Gen. 49.5.

57. Respondeo. Hæc omnia friuola sunt. Primo, quia etiam in libro Esther continetur talis historia, de cuius tempore nihil certi haberi potest. Nam sicut interpretes disputant, an historia Judith contigerit ante vel post captiuitatem Babyloniam; sic etiā dīspitant, an historia Esther contigerit ante vel post liberationem ē captiuitate Babylonica, qua Sede chias Rex captus est. At hinc non sequitur, librum Esther ex canone expungendum esse; alioqui Lutherus errasset, qui posuit illum in canone: Ergo in simili casu non sequitur, librum Judith expungendum esse.

58. Idem dicendum est ad alteram obiectionem; quia sicut in libro Judith dubia sunt, quæ de Nabuchodonosore & Eliakim referuntur; sic etiam in libro Esther dubia sunt, quæ de Assuero & Aman narrantur. Et quidem de Assuero septem existant opiniones. Nam aliqui putant fuisse Darium Medium: alij Astyagem, Darij patrem: alij Cambysen: alij Darium Hystaspis: alij Xerxem: alij Artaxerxem Longimanum: Alij Artaxerxem Mnemonem. De Aman sunt tres opiniones. Aliqui putant fuisse Persam: alij Amalecitam: alij Macedonem. Simile dubium est

de Job, quem aliqui volunt descendisse ab Esau, & fuisse tertium ab Esau, & quintum ab Abrahamo: Alij non ab Esau descendisse, sed à Nachor fratre Abrahami, & fuisse tertium à Nachor. Omitto Melchisedech, de cuitis ortu, familia & cognatione nihil certi est. An ideo libri Job & Genesis è Canone excludendi? Absit.

59. Porro discrepantia inter Latinam & Græcam versionem, quam tertio loco obiicis, nihil te iuuat. Primo, quia iam supra dixi, non ideo librum aliquem censeri Apocryphum, quod versiones inter se discrepant. Scis, quā variae & discrepantes sint versiones Bibliorum hoc tempore apud Lutheranos & Caluinistas. An ideo Biblia canonica non sunt? Deinde, non est vera sed apparens discrepantia; & iam pridem à bonis authoribus in concordiam redacta. Præter alios noster Serarius in Commentario, quidquid difficultatis subesse videbatur, penitus sustulit. Cur tu idem non facis? Et cum alibi in conciliandis Scripturæ locis, quæ speciem contradictionis præ se ferunt, tantum laboris ac operæ posuisti, cur hic ignavius es? Si tamen ignaviæ, & non potius odio ac peruvicaciæ adscribendum id est.

60. Quod denique addis de facto Simeonis, qui contra datam fidem interfecit Sichemitas propter stuprum virginis illatum; potuit illud factum, & laudari, & reprehendi, diuerso tamen respectu. Nam quatenus suscepsum erat in vltionem tanti sceleris, potuit laudari, & à Iudith laudatum est: quatenus vero procedebat ex furore, & contra datam fidem, potuit reprehendi, & à Iacob Patriarcha reprehensum est. (Gen. 49.6.) Habemus similia exempla in Scriptura, Lucæ 16.8. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis,*
quia

quia prudenter fecisset. Hic vides in uno eodemque opere , & laudari prudentiam , & reprehendi ini-quitatem. Quod etiam locum habet in facto Nabu-chodonosoris , quando Hierosolymam cepit , tem-plum euertit , & populum in captiuitatem abduxit. Nam illud factum, ex una parte, erat iniquum , quia contra iustitiam & religionem : ex altera , bonum ac laudabile, quia Deus vtebatur illo , tanquam instru-mento, in puniendis Iudæorum peccatis. Et hoc sen-su Nabuchodonosor cum suo exercitu dicitur serui-uisse Deo , ut habetur Ezech. 29.18.

61. Contra librum Sapientiæ sic obiicis. *In libro Sapientiæ cap.9. introducitur Salomon loquens & orans , cum tamen maxime dubium sit, an à Salomone, an vero à Philone scriptus sit. Imo non esse Salomonis , non dubitant doctiores , inquit Augustinus lib.17. de Ciuitate Dei, cap. 20. Respondeo. Dupliciter hic peccas. Primo, quia de-bebas ex Scriptura probare, hunc librum non esse ca-nonicum. Id non facis. Solum probas ex ipso libro, de quo agitur , quem negas esse partem Scripturæ. Deinde, non appetet vis argumenti tui. Nec video, ad quam formam redigi possit, nisi forte ad hanc: Salomon introducitur loquens & orans in libro Sapié-tiæ, quem non scripsit : ergo liber ille non est canoni-cus. Perinde ac si dicas : Christus introducitur lo-quens & orans in Euangelio Matthæi , quod non scripsit: Ergo Euangelium Matthæi non est canoni-cum. Si ita concludis, male: si aliter, explica te.*

62. *Quod ad rem attinet , liber Sapientiæ po-test dupliciter spectari. 1. quoad sententias , quæ in il-lo scriptæ sunt ; & sic est Salomonis. 2. quoad dispo-sitionem , qua sententiæ illæ collectæ & in ordinem redactæ sunt; & sic est Philonis, aut alicuius alterius.*

Priori modo intelligendi sunt antiqui Patres , qui expresse asserunt , illum librum esse Salomonis , vt Melito apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 25. in fine , Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. Cyprianus libro de Mortalitate prope finem , Ambrosius serm. 8 in Psal. 118. Augustinus in Psalm. 63. Hilarius in Psalm. 127. Basilius lib. 5. contra Eunomium , & alij. Posteriori Hieronymus præfatione in libros Salomonis , & Augustinus lib. 2. de doct. Christiana cap. 8. qui vel Philoni Iudæo , vel aliqui alteri illum tribuunt . Non quidem Philoni Iudæo , qui celebris fuit tempore Apostolorum , sed alteri antiquiori , qui vel vixerit tempore Oniæ Pontificis Iudæorū , vt nonnulli volūt ; vel qui fuerit vnum ex septuaginta interpretibus , vt putat Genebrardus in Chronologia. Vide Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei , cap. 13. & ibidem Gretserum in defensione Bellarmini. Nec est nouum , quod asserimus , de libro Sapientiæ. Idem de libro Proverbiorum dicendum est. Nam parabolæ quæ in eo continentur , sunt quidem Salomonis ; sed collectio & dispositio ab aliis facta est , vt habetur Proverb. 25. 1. & ibidem notat Lyranus & alij.

63. Contra librum Ecclesiastici sic obiicis. Primo , in Siracide dissentunt editiones Græca & Latina. Hoc dicis , non probas. Vbi probaueris , responsum accepturus es. Secundo , author in prologo petit veniam. Hoc etiam obiicis contra libros Machabæorum. Ibi respondebo. Tertio , author sentit Samuelem post mortem prophetasse , Regique interitum prænuntiasse , c. 46. 23. cum certum sit ; non Samuelem , sed spectrum diabolicum fuisse 1. Reg. 28. 19. Vnde certum ? Grauissimi autores contrarium tenent , vt Iosephus , Iustinus , Basilius , Ambrosius , Hieronymus , Augustinus & alij
apud

apud Bellarminum l. 4. de Christo c. 11. His facilius credam, quam tibi. Quarto, author cum vulgo statuit Eliam Prophetam reuersurum esse. Sed etiam antiqui Patres id statuunt. Si tu cum vulgo Prædicantium aliter sentis per me licet.

64. Contra libros Machabæorum, hæc obiicis. Primò, author veniam petit. Secundò, laudat Raziam, qui sibi ipsi manus violentas intulit. Tertio, laudat Iudam Machabæum, quod pro sacrilegis casis sacrificium offerri inserit. Quartò, de morte Antiochi tres diuersas narrationes habet. Respondeo. Hic iterum bis peccas. Primò, quia transcribis hæc omnia ex Vvittakero, & Hunnio, quibus iam sæpe responsum. Deinde, quia tibi ipsi contradicis. Nam post vnam aut alteram pagellam diserte ait, libros Machabæorum, sicut & alios iam ante recensitos, esse communem normam vitæ ac morum, & ad ædificationem fidelium legi posse. At hoc pugnat cum tua obiectione.

65. Nec magni momenti sunt, quæ obiicis. Primo, quia ex eo, quod author alicuius libri petit veniam sibi dari de sermone non satis polito ac eleganti, non sequitur librum non esse canonicum. Nam etiam Apostolus 1. Corinth. 2. 1. de se ait: *Non veni ad vos in sublimitate sermonis. Et infra. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasilibus humanæ sapientiae verbis.* Et 2. Corinth. 11. 6. *Etsi imperitus sermone; sed non scientia.* Similiter Moses de se, Exod. 4. 10. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* Et Ieremias Propheta, Ierem. 1. 6. *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Si Apostolus, Moses & Ieremias, sicut palam facti sunt suam imperitiam in sermone, ita veniam deprecari essent apud Lectorem; an ideo libri illorum non censerentur canonici?

66. De Razia vetus quæstio est , quam diligenter excusſit Augustinus lib. 1. contra Gaudentium, cap. 31. Illum consule, si viſ. Res ſic habet. Circumcelliones, qui erant ē ſecta Donatistarum, putabant licitum eſſe , ſeipſos interficere. Et hoc conabantur probare ex Scriptura , exemplo Raziæ, qui laudatus eſt, quod ſeipſum interemerit. Quid Augustinus ? Si fuifſet Lutheranus, negaſſet libros Machabæorum, in quibus exemplum illud habetur, pertinere ad Scripturam ; & ſic argumentum illorum eluſiſſet. At aliter respondit. Summa reſponſionis eſt hæc. 1. Raziam male feciſſe. 2. etiamſi bene feciſſet, non tamen eius exemplo potuiſſe excuſari Circumcelliones ; eo quod Razias non potuerit fugere & euadere mortem ; illi autem potuerint. 3. Eum quidem laudari in Scriptura, non tamen ob illatam ſibi mortem ; ſed ob alias quasdam circumſtantias, quæ quidem habebant ſpeciem boni, ſed reuera, coram Deo, non proderant ad ſalutem. Plura videri poſſunt apud Serarium in Commentario.

67. Quòd Iudas Machabæus ſacrificium offerri iuſſerit pro mortuis, laudabile eſt: Et Ecclesia Catholica illius exemplum imitatur. Audi Augustinum libro de cura pro mortuis, cap. 1. vbi ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etiſi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parua tamen eſt uniuersa Ecclesia, que in hac consuetudine claret, authoritas; vbi in precibus Sacerdotis, que Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et idem cap. 4. Non ſunt pretermittenda ſupplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica ſocietate defunctis ſuſcepit Ecclesia. Sed vos noui homines,

sicut

sicut aboletis diciunia, festa, & alia pia opera; ita etiam orationes & sacrificia pro mortuis. De quo aliis disputandi locus.

68. At erant sacrilegi, inquis, pro quibus sacrificium offerri iussit Machabæus. An ergo, si sacrilegi non fuissent, putares rectè fecisse Machabæum? Si rectè, non omnis oratio pro mortuis damnanda est. Cur igitur omnem damnatis? Si non rectè, quid necesse est excipere sacrilegos; cum omnes, tua opinione, excipiendi sint? Et vnde tibi constat de illorum sacrilegio? Fuerint certè auari, raptiores, inobedientes, quia contra Dei præceptum abstulerunt aurum, & argentum idolorum. An ideo sacrilegi? Fuerint etiam sacrilegi. At non omne peccatum sacrilegij mortale est. Sæpe ob paruitatem materiæ, & alias causas, potest esse veniale. Sed fuerit etiam mortale: potuit tamen, quoad culpam, expiari per actum contritionis, ante mortem. Et quid si in plerisque expiatum sit? Vides, quam multa tibi probanda sint, ut vel minimum efficias.

69. Ad id porrò, quod obiicis de morte Antiochi, prolixè responsum est à Grettero in defensione Bellarmini lib. I. de verbo Dei, cap. 15. Si acquiescis ipsius solutioni, res salua est: sin minus, explica defectum, & occurremus. Concludo; Nihil hactenus à te allatum esse ex Scriptura, quo conuincas, libros Tobiae, Iudith, Sapientię Ecclesiastici, & Machabæorum, non esse diuinos ac canonicos: Ac proinde fixum esse, quod asserui, non omnes controvérsias ex sola Scriptura definiri posse. Hoc pluribus exemplis deinceps demonstrabo.

II. CONTROVERSIA.

Quot sint Sacra menta nouæ legis.

70. **T**V afferis duo tantum esse, Baptismum & Eucharistiam. Hoc ex Scriptura probandum tibi est. Probas autem triplici Scripturæ testimonio Ioan. 19. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.* Et 1. Ioan. 5. 6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Vtroque loco, inquis, per aquam intelligitur Baptismus; & per sanguinem Eucharistia. Et 1. Ioan. 5. 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis.* Vbi similiter, inquis, per aquam & sanguinem intelliguntur duo Sacra menta: Et per Spiritum, prædicatio Euangeli. Vnde infers, præter Euangeli um & duo Sacra menta, non esse alios testes in terra, ac proinde nec plura Sacra menta.

71. Respondeo. Duplex hic error est. Alter in consequentia; alter in explicatione. Nam consequentia quam necis ex primo testimonio, non est valida. Non enim sequitur: Per aquam & sanguinem mysticè intelliguntur duo Sacra menta, Baptismus & Eucharistia: Ergo non sunt plura Sacra menta, quam illa duo. Nam Augustinus, concessò antecedente, nihilominus admittit septem Sacra menta, ut supra demonstratum est. Et patet in simili exemplo. Non enim sequitur: Per arietem & hircum mysticè significantur duo Reges alter Medorum atque Persarum, alter Græcorum, (Dan. 8. 20.) Ergo non sunt plures Reges, quam illi duo. Res clara est.

72. Et

72. Erras etiam in explicatione. Nam in secundo testimonio , per aquam & sanguinem , non intelliguntur duo Sacra menta , Baptismus & Eucharistia ; sed solus Baptismus Christi quatenus opponitur Baptismo I oannis ; ut hic sit sensus : Ioannes venit baptizans in aqua , (Ioan.1.31 .) Christus , non in aqua tantum , sed in aqua & sanguine . quasi dicat : Baptismus Christi perfectior est quam Baptismus Ioannis ; quia Baptismus Christi non tantum abluit corpus per aquam , sed etiam emundat conscientiam à peccatis per sanguinem , à quo vim & valorem suum habet (Hebr.9.14 . & 1.Ioan.1.7 .) Vide Lyranum .

73. Similiter in tertio testimonio , per Spiritum non intelligitur prædicatio Eu angelij , ut falso interpretaris ; sed anima Christi , ut ex contextu patet . Vult enim Apostolus ostendere , Christum esse verum Deum , & verum hominem . Quod sit verus Deus , probat testimonio Patris & Filii & Spiritus sancti . Quod sit verus homo , probat testimonio spiritus , sanguinis & aquæ . Et per spiritum intelligit animam , quam Christus in Cruce exhalauit . Tunc enim exhalando animam , & fundendo sanguinem & aquam ex latere , ostendit se fuisse verum hominem . Sic explicat Lyranus , & ante illum , Augustin . lib . 3 . contra Maximinum Arianorum Episcopum , cap . 22 . his verbis : *Tria nouimus de Christi corpore exisse , cum penderer in ligno . Primo spiritum . Vnde scriptum est ; Et inclinato capite tradidit spiritum . Deinde quando latus eius lancea perforatum est , sanguinem & aquam : Et de his tribus ait loqui Ioannem , cum dicit : Tres sunt qui testimonium dant in terra , &c .*

74. Quod ergo ex hoc loco colligis , præter Eu angelium & duo Sacra menta , non esse alios testes in

terra, inane est. Primo, quia ibi, secundum sensum literalem, nec agitur de Euangelio, nec de Sacramentis; sed de anima, sanguine & aqua, quæ tempore Passionis exierunt de corpore Christi. Secundo, nec agitur de testimonio gratiæ in Christo nobis promissæ, ut tu comminisceris; sed de testimonio humanitatis & mortalitatis Christi. Nam, ut dixi, anima, sanguis & aqua, testatur Christum esse hominem passibilem & mortalem, sicut nos sumus. Niſi aliter deinceps ex Scriptura probaueris, duo tantum esse Sacra menta, nemini persuadebis, Scripturam in hac controuersia sufficientem esse iudicem.

III. CONTROVERSIA.

An exorcismus & similes ceremoniæ possint adhiberi in Baptismo?

75. **D**ixi Lutheranos huiusmodi ceremonias admittere, Caluinistas reiicere. Neutros tamē ex Scriptura suam sententiam posse confirmare. Itaque Scripturam in hac controuersia iudicem esse non posse. Tu præter conuitia, quæ prætereo, duo obiicis. Primo, hanc controuersiam non esse de articulis fidei & religionis, sed de adiaphoris & libertis Ecclesiæ ceremoniis. At Lutherus, ut supra dixi, non putat exorcismum esse ceremoniam adiaphoram, sed ad salutem infantium necessariam. Sed esto; sit adiaphora. Nihilominus opus est iudice inter Lutheranos & Caluinistas. **Quis** ille iudex est? Ais Ecclesiam esse iudicem in specie; Scripturam in genere. Sed quam Ecclesiam intelligis? An nostram Catholicam, quam deserviſtis? An reformatam, in qua

qua vos esse fingitis? Si nostram intelligis, res salua est. Nec aliud vrgeo. Si reformatam, cur illa non iudicat inter vos & Caluinistas? cur litem non dirimit?

76. Ut autem explices, quomodo Scriptura in genere sit Index huius controuersiae, statuis hanc regulam: *Illa ceremonia et tuto recipiuntur & retinentur, qua non pugnant cum Scriptura; & absque ulla superstitione, & scandalo libere usurpantur, & ad edificationem, ordinem & decorum Ecclesiae faciunt. Quae vero, vel pugnant cum Scriptura; vel superstitionis aut idololatriæ speciem manifestam pra se ferunt; vel vi, tanquam pars cultus diuini, Ecclesiae obtruduntur, vel in ea scandalum, turbas & confusiones excitant, merito rejiciuntur.*

77. Iuxta hanc regulam, definis controuersiam de Exorcismo, his fere verbis: *Quædam Ecclesiae Augustanae confessionis retinent Exorcismum, tanquam vetustum ritum, non alio sensu, quam ut per illum significetur, quod infantes, qui propter peccatum originale subiecli sunt spirituali potestati Sathanæ, mox per Baptismum ab ea liberandi sint. Quædam vero non retinent, sed iam dudum illum abrogarunt propter superstitionem Pontificiorum, qui peculiarem illi virtutem & efficaciam tribuunt in ejciendo Dæmonem, magno cum contemptu & detimento Baptismi. Hæc tu.*

78. Hic primum miror, cur Lutherani intet se diuisi sint; & alij retineant Exorcismum cum Catholicis; alij rejiciant cum Caluinistis. Nam si priores, qui illum retinent, bono sensu retinent; cur reliqui similiter bono sensu illum non retinent? Aut si hi, qui illum rejiciunt, propter superstitionem Pontificiorum id faciunt; cur alij propter eandem causam eos non imitantur? Deinde ex tua regula ponohunc

syllo

syllogismum: Illæ ceremoniæ ruto retinetur, quæ non pugnant cum Scriptura, & absque vlla superstitione, necessitate & scandalo recipiuntur. Exorcismus est talis ceremonia: Ergo tu o retinetur. Cur ergo quædam Ecclesiæ Lutheranæ illum non retinent? Scio, quid te perplexum hic faciat. Ex una parte, vester Hunnius infensissime oppugnat Exorcismum, & penitus abolitum vult, cui aperte contradicere non audes. Ex altera, multi alij Lutherani, ne populum offendant, in antiqua consuetudine Ecclesiæ Catholicae persistunt. Quid hic agas? Vtique pede claudicandum tibi est.

79. Quod autem Catholici, quos Pontifices vocas, tribuant Exorcismo vim expellendi Dæmonem, non est superstitione, ut tu putas. Primo, quia Lutherus vester tribuit illi maiorem vim, non modo expellendi Dæmonem, sed etiam conferendi fidem actualem. Vel ergo Lutherus magis supersticiosus est; vel si ipse non est, multo minus Catholici sunt. Deinde, Catholici habent suam doctrinam ab Augustino, & aliis antiquis Patribus, quos superstitiones fuisse, credibile non est. Certe Augustin. lib. 2. de nuptiis, & concup. cap. 29. in fine, sic scribit: *Antiquissima Ecclesiæ Traditione exorcizantur, & exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, Diaboli & Angelorum eius eruti transferantur.* An tu hanc antiquissimam Ecclesiæ Traditionem superstitionis accusabis? Nimis temere.

80. Nec ullus hic Baptismi contemptus est. Nam alia est Exorcismi, alia Baptismi vis & efficacia. Exorcismus, per orationes Ecclesiæ, impetrat à Deo gratiam contra infidias Dæmonum, ne legitimam baptismi administrationem & susceptionem impediant.

Baptis

Baptismus confert gratiam habitualem, per quam homo liberatur à peccato, & constituitur filius Dei adoptius. (D.Thom. in 3.p.q.71.art. 2. ad 2. & alij ibidem.) Apud vos Lutheranos magnus baptismi contemptus est. Nullam illi vim aut efficaciam tribuitis. Nam Lutherus in lib.de capt.Babylonica cap. de baptismō, sic ait : *Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbo promissionis, cui additur baptismus.* Itaq; ex sententia Lutheri, plus potest Exorcismus, quam baptismus. Nam ille vim habet conferendi infantibus actualem fidem; hic nullam habet. Vide, quantus ille baptismi contemptus sit.

81. Et hæc sufficient de prima tua obiectione. Secundo obiicis, neque Lutheranos, neque Caluinistas docere, nullas ceremonias usurpandas esse in Ecclesia, nisi de quibus exstat expressum præceptum in Scripturis. Falsum est, Gardi. Vtrique id docent. Ægidius Hunnius, sine dubio, Lutheranus, in suis Thesibus de abrogando Exorcismo, inter alia argumenta, etiam hoc vtitur: *Nullus cultus potest placere Deo, qui ab hominibus institutus est, sine expresso Dei mandato: Ergo nec Exorcismus.* Et Caluinus in libro de necessitate reformatæ Ecclesiæ: *Vniuersalis, inquit, est regula, quæ purum Dei cultum à vitioso discernit, ne comminiscamur ipsi, quod nobis visum fuerit; sed quid prescribat is, qui solus iubendi potestatem habet, spectemus.* Et ibidem: *Deus non modo irritum habet, quidquid colendi sui studio, preter mandatum suum suscipimus, sed palam quoq; abominatur.* Et rursum: *Satis hoc valere debet ad repudiandum quemcumque cultum, si nullo Dei mandato approbetur.* Et libro 4.instit.cap.15.§.19. *Respuere mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* Si hæc legisti, mendax es, qui

contrarium assertis; si non legisti, temerarius, qui de
ignotis iudicas: Elige alterutrum.

IV. C O N T R O V E R S I A.

An baptizati ab hereticis sint rebaptizandi.

82. **D**ixi, affirmasse olim Cyprianum, negasse Augustinum: Nec tamen ex sola Scriptura, sed ex Apostolica Traditione & Ecclesiæ consuetudine, controversiam hanc decidi potuisse. Quod probauit clarissimis Augustini testimoniis. Tu primum multa obiicis ex Augustino. Deinde conaris ex Scriptura alteram controversiæ partem definire. Expendamus singula.

83. Ac primò obiicis, Augustinum non prouocasse ad solam Ecclesiæ consuetudinem, sed etiam ad plenarium orbis Concilium lib. 2. contra Donatistas, cap. 7. sub finem. Respondeo: Distinguēda sunt tempora. Qui enim docebant contra Cyprianum, baptizatos ab hereticis non esse rebaptizandos (quod etiam nos docemus) partim vixerunt tempore Cypriani & antecessoris ipsius; partim post mortem Cypriani : igitur priores, qui vixerunt tempore Cypriani, prouocabant ad solam consuetudinem, ut diserte testatur Augustinus lib. 2. contra Donatistas c. 9. cum ait: *Nondum factum erat uniuersale Concilium, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hac sola opponebatur induceret volentibus nouitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Loquitur de Cypriano & illi adharentibus: Hi enim volebant inducere nouitatem rebaptizandi; contra consuetudinem Ecclesiæ.

siæ. Qui autem vixerunt post mortem Cypriani, non solum prouocabant ad consuerudinem, sed etiam ad Concilium vniuersale, in quo consuetudo illa fuit confirmata. Vnde ibidem subdit Augustinus: Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur & queritur veritas, non solum inuenta est, sed etiam ad plenarij Concilij autoritatem roburque perducta; post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus.

84. Secundo obiicis hæc Augustini verba, lib. 2. contra Donatistas, cap. 7. circa finem: *In quo (plenario Concilio) veritas post multos dubitationis fluctus diligentius inquisita, & ex ipsis Scripturis definita est.* Respōdeo. Augustinus non habet illam particulam, *Ex ipsis Scripturis.* Tu illam addis. Augustini verba sunt hæc: *Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit Sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi: Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarij Concilij confirmationem producta est; verius creditur, per Agrippinum corrumpi cœpisse, quam corrigi.*

85. Tertio obiicis ex eodem Augustino libro 4. contra Donatistas cap. 6. in fine, hæc verba: *Huc accedit, quod bene perspectis ex utroque latere disputationis rationibus, & Scripturarum testimoniis, potest etiam dici, Quod veritas declarauit, hoc sequimur.* Resp. Loquitur primo de testimonij Scripturarum à Cypriano contra consuetudinem Ecclesiæ allatis. Hoc colligitur ex verbis Augustini immediate precedingibus. Sic enim scribit: *Quanto robustius nunc dicimus, quod Ecclesia censuetudo semper tenuit, quod hec disputatio dissuadere non potuit, & quod plenarium Concilium confirmavit, hoc sequimur.* Huc accedit, &c. Vbi illa

illa particula, *Quod hac disputatio dissuadere non potuit*, intelligitur de disputatione, quæ fiebat ex Scripturis pro sententia Cypriani. Nam illa disputatione, quantumuis fieret ex Scripturarum testimoniis, non tamen potuit persuadere, baptizatos ab hereticis esse rebaptizandos, quæ erat sententia Cypriani.

Deinde, loquitur etiam de testimoniis Scripturæ, quæ ex altera parte contra Cyprianum adferebantur, sed sine effectu & robore. Hoc constat ex verbis Augustini proxime subsequentibus: *Nam reuera illud, quod quidam Cypriani disputationibus opponebant, quod Apostolus ait ad Philip. 1. 18. Verum tamen omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur; recte Cyprianus refellit, ostendens ad causam hereticorum non pertinere.* Ad reliqua, quæ adfers ex Augustino, responsum est cap. i. §. 74. ubi manifeste ostendi; mala fide vbi que te agere; sicut ab Heilbrunnero & aliis tuæ sectæ hominibus decidi.

Porro ex iis, quæ iam dixi, clarissime apparet, controversiam de baptismō hereticorum, non potuisse decidi ex sola Scriptura; quia testimonia Scripturæ, quæ utrinque adferuntur, non conuincebant; sed partim ex Traditione & consuetudine Ecclesiæ, tanquam ex norma; partim à Concilio generali, tanquam à legitimo Iudice decisam esse. Et hæc est Catholicorum sententia.

86. Videamus tamen, an tu possis ex sola Scriptura hanc controvseriam dirimere. Vel, quod idem est, an possis ex sola Scriptura probare, baptismum hereticorum esse validum, ac proinde baptizatos ab hereticis non esse rebaptizandos. Asse posse. Et probas ex hoc fundamento: *Efficacia Sacramentorum nec pendet, nec enervatur à persona administrantis, siue sit heretica,*

retica, sine palam impia, Hoc autem fundamentum cōfirmas variis Scripturæ testimoniis.

Primo, quia incredulitas hominū non potest euacuare fidem, id est, promissionem Dei. Rom. 3. 3.

Secundo, quia Iudæi idololatræ, circumcidentes filios suos, dicuntur eos genuisse Deo. Ezech. 16. 20.

Tertio, quia circumcisio à Sephora muliere infideli facta, fuit valida. Exod. 4. 25.

Quarto, quia ministerium Pharisæorum & Scribarum (quorum doctrinam caueri vult Christus Matth. 16. 6.) in administratione verbi & Sacramentorum fuit efficax. Ideo enim Christus dicit, Super Cathedrā Mosis, sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quecumque dixerint vobis, seruate & facite.

Quinto, quia Paulus sine omni respectu personarum baptizantium dicit, Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus. Roman. 6. 3.

Sexto, quia baptismus ministri Ecclesiæ Sardicensis omnino impij apud Sardenses suam habuit efficaciam. Apocal. 3. 1.

87. Respondeo. Hæc controuersia de baptismo hæreticorum potest esse duplex. Vna, an Catholici, qui baptizati sunt ab hæreticis, debeant iterum baptizari? Altera, an hæretici, qui baptizati sunt ab hæreticis, debeant iterum baptizari? In priori, tota difficultas est ex parte Ministri tantum: in posteriori tam ex parte Ministri, quam ex parte suscipiētis. Priorēm conaris definire ex Scriptura; posteriorem non attingis. Argumenta vero, quibus priorem definis, nullius momenti sunt. Ad singula sic respondeo.

88. Ad 1. Apostolus Roman. 3. 3. docet Iudæos in eo præferendos esse gentilibus, quod ipsis quafi
Opusc. Tom. V. T depo

depositarijs seu custodibus tradita & concredita sine eloquia Dei, id est, sacræ Scripturæ, in quibus continentur eloquia Dei, nempe diuinæ promissiones & prædictiones futurorum. Mox obijcit, multos ex Iudeis non credere Deo promittenti & prædicenti. Respondet, hoc non obstare. Nam eorum *incredulitas non euacuat fidem Dei*, id est, licet ipsi non credant Deo, tamen Deus ex sua parte seruabit fidem, præstando quod promisit & prædictum. V. g. promisit se missurum Messiam: promisit bene operantibus præmia; male agentibus supplicia: prædictum Christi passionem & mortem, descendum ad inferos, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, extremum iudicium. Hæc omnia præstabit, etiam si multi sint increduli.

Quid hinc infers, Gardi? Fortè conficies hunc syllogismum: Quidquid Deus promisit futurum, hoc fiet, etiam si multi non velint credere: sed promisit validum & efficacem fore baptismum ab heretico collatum: Ergo baptisimus ab heretico collatus erit validus & efficax, etiam si multi non credant. Maior vera est; sed minorem unde probas? In quo loco Scripturæ habetur talis promissio? Ostende, si potes. Scio Christum dixisse, *Si quis crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Sed nusquam lego dixisse; *Si quis baptizatus fuerit ab heretico, saluus erit*. Non tamen nego, saluum esse posse: sed nego, in Scriptura id haberi. Hoc tibi probandum est.

89. Ad 2. Apud Ezechiel cap. 16. 20. nulla sit mentio circumcisionis. Nec ullo modo, quod ibi dicitur, de circumcisione intelligi potest. Nam textus sic habet: *Tulisti filios tuos & filias tuas, quas generasti mihi, & immolasti idolis ad deuorandum*. Vbi non

non solum loquitur de filijs, sed etiam de filiabus. At filiae non circumcidebantur: Ergo non loquitur de generatione, quæ sit per circumcisionem.

90. Ad 3. Verum est, circumcisionem factam à Sephora, gentili fœmina, fuisse validam. At inde non necessario infertur, etiam baptismum ab heretico vel gentili collatum esse validum. Est quidem probabilis illatio, præsertim si accedant alia argumenta, quæ illam confirment; sed per se non euincit. Non enim, quidquid circumcisioni conuenit, etiam baptismino competere necesse est. In multis differunt. 1. quia circumcisione pertinebat ad solos masculos; baptismus etiam ad fœellas 2. circumcisione fiebat octaua tantum die; baptismus non astringitur ad certum diem. 3. circumcisione, ut multi & magni authores docent, non erat primario instituta ad tollendum peccatum originale, sed ob alios fines; secus est debaptismo. 4. circumcisione erat propria Iudæorum; baptismus, communis omnium. Simile exemplum est de Agno Paschali. Nam sicut circumcisione erat typus seu umbra baptismi; ita Agnus Paschalis Eucharistie. At non quidquid conuenit Agno Paschali, conuenit etiam Eucharistie. Nec est necessaria hæc illatio: Agnus Paschalis non poterat immolari, nisi die decimo quarto mensis primi: Ergo idem seruandum est in Eucharistia.

91. Ad 4. In hac unctione, quam facis (Ministerium Pharisæorum in administratione verbi & Sacramentorum erat efficax: Ergo etiam ministerium hereticorum in utraque administratione est efficax) duplex committis virium: Alterum in probatione antecedentis; alterum in consequentia. Probas enim antecedens ex illis verbis Christi: *Super Cath-*

dram Mosis sederunt Scribae & Pharisei. Omnia ergo quacunque dixerint vobis, seruate & facite. At in illis nulla fit mentio administrationis Sacramentorum. Imo constat, multos fuisse Phariseos, qui non potuerint administrare omnia Sacraenta veteris Testamenti. Erant enim quædam Sacraenta, quæ à solis Sacerdotibus administrabantur. At omnes Sacerdotes erant ex tribu Leui. Pharisei autem non erant ex certa tribu, sed poterant esse ex quacunque. Certe Paulus fuit ex tribu Beniamin.

Nec consequentia valet. Primo, quia Pharisei, qua Pharisei, id est, secundum sectam Pharisæam, non erant hæretici, sed fideles. At non necessario sequitur: Si fideles valide administrant Sacraenta, etiā hæreticos valide administrare. Quod autem non fuerint hæretici, fatetur Paulus Apostolus Act. 26. 5. vbi def. ait: Secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. Hinc enim colligitur sectam Pharisæorum per se non fuisse hæreticam, sed certissimam; licet multi ex illis in hæresim aut errorem prolapsi fuerint, quod est plane per accidēs. Idem patet exemplo Nicodemi, Simeonis, Gamalielis & aliorum similitum, qui quidem fuerunt Pharisei, sed hæreticos fuisse verisimile non est. Videatur Serarius in Trihæresio, cap. 5.

Deinde, fuerint hæretici Pharisei. Non tamen necessario sequitur. Si illi, cum hæretici essent, valide administrauerunt Sacraenta Mosaica; etiam hæreticos valide administrare Sacraenta Euangelica. Nam, ut dixi, magnum discriminem est inter Sacraenta veteris ac noui Testamenti. V. g. inter circumciptionem & baptismum; inter Agnum Paschalem & Euchariastiam; & sic de reliquis. Sicut aliud est umbra; aliud,

aliud, corpus: aliud, figura; aliud, figuratum.

Denique quidquid sit de antecedente & consequentia; certe consequens falsum est apud vos Lutheranos. Docetis enim, sinceram prædicationem verbi, & legitimam administrationem Sacramentorum esse duas certissimas notas, quibus vera Ecclesia distinguitur à falsa; Catholica ab Hæretica. Vnde, cum ex vestra sententia, apud hæreticos non sint notæ veræ Ecclesiæ, necesse est, apud illos non esse validam administrationem verbi & Sacramentorum. Vides, Gardi, quid profeceris cum tuis Pharisæis: Et quam multis laqueis te implicaueris.

92. Ad 5. Illa sententia Apostoli, *Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus*, intelligitur de vero Christi baptismo. An autem verus Christi baptismus debeat conferri à solis Catholicis, an etiam possit valide conferri ab hæreticis, non docet Apostolus eo loco. Nec ex verbis illius de hac re quicquam conuinci potest. Non magis, quam si dicam; Apostolus ait, *Quicunque circumcisi estis, facti estis debitores uniuersæ legis*. Ergo circumcisio valide confertur à muliere infideli. Ridicule. Tamen, qui quidlibet ex quolibet putas te posse confidere, soles huiusmodi illationibus oblectari.

93. Ad 6. Episcopus Sardicensis, tametsi fuerit malus, non tamen hæreticus; ac proinde exemplum illius nihil facit ad rem, de qua agimus. Nam aliud est querere, An hæreticus valide conferat batismum? Aliud, an malus Catholicus valide conferat? Vterq; valide confert: sed de hæretico non potest efficaciter probari ex sola Scriptura; de malo Catholicismo, potest. Vide supra cap. i. §. 74.

V. CONTROVERSIA.

An Baptismus una mersione conferri debeat?

¶ 4. **A** Is hanc controuersiam esse de re adiaphora, nec ex Scriptura speciatim decidi posse aut debere. Recte. A quo ergo Iudice decidenda est? Ab Ecclesia, quæ pro varietate temporum, locorum ac personarum, nunc vnam, nunc trinam mersionem usurpare solita est. Et quidem in primitiuâ Ecclesia, triplex mersio fuit imperata, ad designandam Trinitatem personarum in vna Deitate: idque propter haereticos illius temporis, qui negantes Trinitatem, vna mersione Baptismum conferebant. Hoc patet ex 49. canone Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in baptimate, deponatur.* Postea vero, noui haeretici orti sunt, qui putabant baptismum iterandum esse, ideoque baptizatos rebaptizabant. Ad hunc errorem corrigendum, statutum fuit in Concilio Toletano 4. can 5. ut vna mersione baptismus confertetur, ad designandam unitatem mortis Christi. Cum enim baptismus representet nobis Christi mortem & passionem, (Rom. 6. 3.) & Christus semel tantum mortuus sit; nullo modo baptismus iterandus est, sed semel tantum confendus. Vnde Apostolus Hebr. 6. 6. contra eos, qui putabant in noua lege baptismum repeti posse, sicut in veteri repetebantur lotiones & baptismata, sicut ait: *Rursum crucifigentes sibi meti ipsi Filium Dei, & ostentui habentes.*

¶ 5. In his omnibus mecum sentis. Itaque non est,

est, quod hic hæream. Solum monendus es de errore in citandis authoribus. Ex Gregorio epist. 41. ad Leandrum Hispaniæ Episcopum adducis hanc sententiam : *Cum Ariani trina mersione ad tres naturas trium personarum significandas vterentur; ad discrimen eorum, unam mersionem in Hispania fuisse receptam.* Non inuenio hæc verba in Gregorio.

V I. C O N T R O V E R S I A.

An Christiani loco Sabbati debeant colere diem Dominicum?

96. **T**Ria hic dicis. Primo, esse hoc adiaphoron, & in Ecclesiæ libertate positum. Nihilominus disertam eius fieri mentionem, Apoc. 1. 10. Hoc posterius falsum est, quia ibi nulla sit mentio celebrationis diei Dominicæ, sed tantum nominis. Textus sic habet: *Fui in spiritu in Dominica die, & audiui tecum, &c.* Si hinc aliquid vis efficere, sic inferendum est: Ioannes in die Dominicæ audiuit vocem: Ergo dies Dominicæ loco Sabbati celebranda est. Apage cum his consequentiis.

97. Secundo dicis, Ecclesiam primitiū habuisse legitimas causas, ob quas, loco Sabbati, voluerit coli feriam primam, quæ vocatur Dominicæ. Inter alias adfets hanc, vt publicè constaret, ceremonias Leuiticas, in quibus etiam erat Sabbathum, abrogatas esse. Sit ita. At ceremoniæ Leuiticæ, non humano seu Ecclesiastico, sed diuino iure erant abrogatae. Quomodo ergo paulò ante dixisti, in Ecclesiæ libertate fuisse id positum? Oportebat ut distinctione. Nam duo hic spectanda sunt, i.e. abrogatio

Sabbati Iudaici. Hæc iure diuino facta est. 2. institutio feriæ primæ, loco Sabbati. Hæc ab Apostolis instinctu diuino facta est.

98. Tertio dicas, hanc piam Ecclesiæ primitiæ constitutionem à Christianis retinendam esse. Hoc ambiguum dictum est. Potest enim dupliciter intelligi. 1. Ut Ecclesia Christi, quæ nunc est, nullo modo possit mutare hanc constitutionem. 2. Ut possit quidem mutare, sed non expedit. Si priori modo intelligis, iam non est possum in libertate Ecclesiæ, quod tamen asserebas. Si posteriori, iam Ecclesiam agnoscis iudicem in hac controuersia, quod nos contendimus.

VII. CONTROVERSIA.

An B. Maria manserit Virgo post partum?

99. **A** Is hanc controuersiam ex Scriptura decidi posse; & probari, B. Mariam mansisse Virginem post partum. Probas autem hoc modo: B. Maria expressè appellatur Virgo, quæ virum, ante conceptionem & partum Christi, non cognoverit. (Isaiæ 7.14. & Lucæ 1.27.) Nusquam vero expressè legitur, quod post partum à Iosepho cognita sit, aut consuetudine coniugali uisa fuerit: Ergo etiam post partum mansit Virgo. Absurdè. An nescis. Gardi, argumentum à negativa autoritate non valere? Non enim sequitur, Scriptura expressè non dicit, Melchisedech habuisse patrem & matrem: Ergo non habuit patrem & matrem.

100. Ergo nec sequitur: Scriptura expressè non dicit, B. Mariam post partum fuisse cognitam à Iosepho:

sepho: Ergo non fuit cognita. Consequens quidem verum est; sed non deducitur ex illo antecedente. Alioqui, quid respondebis ad hanc similem illationem? Nusquam expressè dicitur in Scriptura, duo tantum esse Sacra menta, quod tamen docent Lutherani: Ergo non sunt duo tantum Sacramēta, quod est contra Lutheranos. Quid ad hanc? Nusquam expressè dicitur in Scriptura, Exorcismum adhibendum esse in Baptismo: Ergo non est adhibendus.

VIII. C O N T R O V E R S I A.

An Petrus Apostolus fuerit Romanae Ecclesiae Episcopus?

101. **T**Ria asseris. Primo, hanc quæstionem ex Scriptura decidi non posse. Secundo, si velimus sequi iudicium Scripturæ, asserendum esse, Petrum nunquam fuisse Romæ, nedum ibidem Episcopum. Tertio; Et quamvis non pauci historici testentur, eum Romæ vixisse 25. annis; nihil tamen certi haberi posse de annorum serie, propter diuersam supputationem.

102. Hic aperte tibi ipsi contradicis. Nam prima assertio destruitur per secundam; quod sic probo. Qui sequuntur iudicium Scripturæ, debent asserere, Petrum nunquam fuisse Romæ, nedum ibidem Episcopum: At Lutherani, ut tu vis, sequuntur iudicium Scripturæ: Ergo debent asserere, Petrum nunquam fuisse Romæ, nedum ibidem Episcopum. Ergo ex iudicio Scripturæ decidi potest quæstio de Romano Petri Episcopatu. Quid dicis, Gardi?

103. Quod addis de diuersa annorum supputatione,

tione, friuolum est. Non enim quæritur, quot annis Petrus Romæ vixerit, sed an omnino ibi vixerit? Nec ex eo, quod dubium sit apud historicos, quot annis ibi vixerit, necessario sequitur, dubium quoque esse, an omnino ibi vixerit. Nisi in simili causa velis hoc modo ratiocinari: Dubium est apud historicos propter diuersam suppurationem, quot annis Christus vixerit in hac mortali vita: Ergo dubium est, an Christus omnino vixerit in hac mortali vita.

I X. C O N T R O V E R S I A.

*An symbolum fidei sit verè canonicum
& Apostolicum?*

104. **A**ls duo intelligi posse per symbolum fidei. 1. articulos in symbolo Apostolico comprehensos. 2. formulam, qua articuli inter se dispositi & ordinati sunt. Posita hac distinctione tria assertis. *Primo*, articulos symboli esse verè canonicos & Apostolicos, quia singuli ex Scriptura probari possunt. *Secundo*, formulam non esse canonicam & Apostolicam, quia nō habetur in Scriptura. *Tertio*, etiamsi constaret formulam symboli esse traditionem Apostolicam, non ideo esse canonicam.

105. Hic aliquid verè, multa falso asseris. Verum est, articulos symboli canonicos & Apostolicos esse. Falsa sunt hæc. *Primo*, ideo canonicos & Apostolicos esse, quia ex Scriptura probari possunt. Nam antequam existaret Scriptura noui Testamenti (ex qua probari possunt) iam erant canonici & Apostolici, id est, à Spiritu sancto per Apostolos dictati & promulgati. Hoc enim contigit, statim post acceptum

Spiri

Spiritum sacerdotum, antequam Apostoli in varias mundi partes dispergerentur; & consequenter, antequam scripta essent Acta & Epistolæ Apostolorum, ut tradunt antiquissimi Patres, Clemens Rom. Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, Irenæus lib. 1. cap. 2. Rufinus in expositione symboli, Aug. serm. 115. de tempore, Isidorus lib. 2. de Ecclesiasticis officijs, cap. 22. & alij.

106. Secundo falsum est, formulam symboli non esse canonicam & Apostolicam, eo quod ex Scriptura probari non possit. Nam, ut dixi, formula articulorum concepta fuit ab Apostolis & promulgata, antequam Scriptura noui Testamenti exstaret. At tunc erat canonica & Apostolica: Ergo nunc etiam est talis, etiamsi in Scriptura non reperiatur.

107. Tertio falsum est, etiamsi constaret formulam symboli esse Traditionem Apostolicam, non tamen esse canonicam. Nam Traditione Apostolica non minorem autoritatem habet, quam Scriptura. Si ergo Scriptura censetur canonica, seu diuina; cur non etiam Traditione Apostolica? Sic sentiunt Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 27. Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum Traditione. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Et Chrysostomus in cap. 2. Epistolæ posterioris ad Thessal. homil. 4. super illa Apostoli verba. Tenete Traditiones: Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista. Et Augustinus dist. 11. c. Ecclesiast. Ecclesiastarum institutionum, quædam in Scripturis, quædam vero Apostolica Traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus. Quibus par ritus,



& idem utrisque pietatis debetur affectus. Et ratio est, quia sicut mandatum Principis eandem vim & autoritatem habet apud subditos, siue scripto, siue viua voce proponatur; sic etiam verbum Dei, siue scriptum, siue traditum sit. At, inquires, traditio Apostolica non est verbum Dei. Omnino est. Nam sicut doctrina Apostolorum, quæ in illorum scriptis continetur, propterea vocatur verbum Dei, quia à Deo inspirata est, iuxta illud 2. Petri 1. 21. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines:* Sic etiam de doctrina Apostolorum, quæ viua tantum voce tradita est, statuendum est. Quod sic clarius ostendo. Sicut doctrina Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, Petri & Iudæ, quæ ab ipsis scripta est, vocatur verbū Dei, quia Deus illius author est; sic etiam doctrina Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Matthiæ, & Barnabæ, quam ipsis viua tantum voce prædicarunt, debet vocari verbum Dei, quia Deus similiter illius author est. Nec minor fides his Apostolis, qui non scripserunt, quam illis, qui scripserunt, adhibenda est.

X. C O N T R O V E R S I A.

An in veteri Testamento fuerit aliquod exterritum remedium pro fæminis contra peccatum originale.

108. **A** Is, quæstionem hanc esse planè otiosam. **A** Cur igitur tam anxiè suscipis disputationem? Cur tam studiosè conquisis omnia, quæ ad illius decisionem videntur pertinere? Nec tamen obtines, quod vis. Et dum multa assertis, nihil proficiis, hoc ostendo.

109. Pri

109. Primo afferis, Deo nihil prescribendum esse, quia ipse sine extero remedio potuit fœminas liberare à peccato originali. Ita quidem. At non est quæstio, quid Deus potuerit, sed quid voluerit facere, & re ipsa fecerit. Ad hoc respondendum est. Etiam nos in noua lege posset liberare à peccato originali, sine extero baptismo, sed non vult.

110. Secundo afferis, Lombardum in 4. dist. 1. statuere, fidem habuisse eandem vim in fœminis, quam circumcisio habuit in viris. At ex Scriptura, non ex Lombardo, decidenda tibi controuersia est. Nec Lombardus id statuit de fœminis in lege Mosaica. Verba eius sunt hæc: *Melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circumcisionem iustificatos: mulieres vero perfidem & operationem bonam; vel suam, si adultæ erant; vel parentum, si paruulae.* Vbi non solam fidem nominat, ut tu singis, sed etiam bonam operationem, de qua files.

111. Tertio afferis, neque in Scripturis, neque in aliis veterum Iudæorum aut Christianorum libris, quicquam haberis de extero remedio pro fœminis instituto. Esto. Sed inde colligitur, hanc controuersiam ex Scriptura definiri non posse. Si hoc das, sufficit.

112. Quarto afferis, circumcisionem institutam fuisse, non tantum pro viris, sed etiam pro fœminis ex parte, licet in corpore suo capaces non fuerint. Quod tripliciter probas. Primo, quia circumcisione vocatur pactum Domini cum Abraham & semine eius, Gen. 12. 10. At in semine Abrahæ, comprehenduntur etiam filiae Abrahæ. Respondeo. Circumcisio non fuit propriæ ipsum pactum, sed signum pacti seu fœderis a Deo initi cum Abraham (sicut Iris fuit signum

signum fœderis inter Deum & Noë. Gen. 9.12.) ut patet ex verbis sequentibus: *Circumcidetis carnem præputij vestri*, ut sit signum fœderis inter me & vos. Et ex Apostolo Rom. 4. 11. vbi de Abrahamo sic loquitur. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum fidei iustitiae, quæ est in præputio*, ut sit pater omnium credentium per præputium, id est, ut sit pater omnium præputiatorū, seu gentilium, qui in Christum credituri sunt. Tamen si ergo pactum inter Deum & Abraham initum, pertineat etiam ad filias Abrahæ; tamen Circumcisio, quæ est signum illius pacti, non pertinet ad fœminas, sed ad solos masculos.

113. Deinde sic probas: Nemini, nisi circumcisō, licuit vesici de Agno Paschali, Exod. 12. 48. At fœminæ vescebantur de Agno Paschali: Ergo, &c. Respondeo. Major vera est de masculis, non de fœminis, ut patet ex loco à te citato, qui sicut habet. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phasē Domini, circumcidetur prius omne masculum eius, & tunc rite celebrabit, eritq; sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Alioqui, si maior vniuersitate sumatur, tam pro fœminis, quam pro masculis (ut à te sumitur) interenda esset hæc conclusio; Ergo fœminæ erant circumcisæ. Quæ falsa est.

114. Denique probas, hoc modo: Piæ fœminæ veteris Testamenti magnum in pacto circumcisionis contra hostes suos habuere solatium, iuxta illud Iudith 9. 18. *Memento Domine Testamenti tui.* Sed iam supra ad hoc responsum est c. 5. §. 77. vbi dixi, duplicit in hoc argumento te peccare. 1. quia citas librū Iudith, quem falsitatis arguis. 2. quia nomine Testamenti intelligis pactum circumcisionis, cum de beat intelligi pactum protectionis.

ALIÆ

ALIÆ DVÆ CONTROVERSIÆ.

115. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, manifestū est, multas esse cōtrouersias, quæ ex sola Scriptura decidi nō possunt. Si vis, addā alias duas, in tua gratiam. Una est, An infantes, qui moriuntur vel in utero materno, vel in ipso partu, antequā baptizari possint, saluentur sine baptismo? Tu affirmas; & excipis illos ab illa cōmuni obligatione, seu necessitate baptismi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Quæ exceptio maximi momenti est, à qua pendet salus infantium. At ex quo loco Scripturæ probas hanc exceptionem? Ex nullo. Solum producis testimonium Augustini; sed pessima fide, ut c. i. §. 83. demonstratum est.

116. Altera, An Henoch, Moses, & Helias habeant gloria & immortalia corpora, ita ut mori nō possint? Tu affirmas; & vocas somnium, si quis aliter sentiat. Sed ex qua Scriptura definis hanc controvēsiam? Ex nulla. Nec unquam poteris, etiam si omnes Lutherani te iuuent. Quod sic ostendo. Primo constat ex Scriptura, Mosen mortuum ac sepultum esse in terra Moab. Deuter. 34. 5. Si ergo nunc habet corpus gloriosum & immortale, ut tu aies; necesse est, nō solum à mortuis resuscitatum esse, sed etiam in corpore gloriose resuscitatum esse. At hoc probari non potest. Legimus quidem Matthæi 17. 3. Mosen & Heлиam apparuisse Apostolis, & cum Christo locutos esse in monte Thabor: Non tamen legimus, Mosen apparuisse in proprio corpore; multo minus in corpore gloriose & immortali. Potuit enim appa-

rere

rere, vel in corpore alieno, sicut Angeli frequenter apparuerunt: vel in proprio quidem, sed mortali, sicut multi putant apparuisse illos, qui tempore Passio-
nis Christi è monumentis surrexerunt, Matth. 26. 52. Certe, nunquam euinces, in proprio & gloriose ap-
paruisse.

117. Secundo constat ex Scriptura, Henoch & Heliam, viuos à terra in alium locum translatos esse. Heb. 11. 5. *Henoch translatus est, ne videret mortem.* Et 4. Reg. 2. 11. *Ascendit Helias per turbinem in cælum.* Ut ergo probes, habere eos gloria corpora, tria prius probanda sunt. Primo, postquam ex hac terra translati sunt, mortuos esse, Psal. 88. 49. *Quis est homo, qui viuit, & non videbit mortem?* Secundo, resurrexisse à mortuis. Tertio, resurrexisse in corporibus gloriosis. At hæc tria nūquam ex Scriptura probaturus es. Nec ex Patribus. Nam illi communi fere consensu do-
cent, utrumque venturum tempore Antichristi, &
ab eo interficiendum. Supponunt ergo, utrumque mortalem esse.

118. At si mortales sunt, inquies, quo cibo ac potu sustentatur? August. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. insinuat tres solutiones. Prima est, si potuit Deus efficere, ut Israëlitarum vestes & calceamen-
ta per 40. annos non fuerint attrita in deserto; cur nequeat efficere, ut amici ipsius conseruentur ab interitu, sine cibo & potu? Altera, si Helias per 40.
dies potuit ambulare sine nutrimento, ante raptum;
cur non per totidem annos & sæcula, postquam raptus est? Tertia, sicut Adam in Paradiso fuisset conseruatus ex ligno vitæ, nisi peccasset; cur non Henoch & Helias, qui putantur esse in eodem loco, &
vesci de eodem ligno?

IV. ARGUMENTVM BECANI.

Ex usu & praxi veteris Testamenti.

119. **H**oc sic proposui. Certum est, in V. Tomines controversias legales, quæ erant maioris momenti, à summo Sacerdote seu Pontifice, tanquam à supremo in terris Iudice, non autem à Scriptura (tanquam Iudice) dirimi ac definiri debuisse, ut testatur Iosephus lib. 2. contra Appionem. Et manifeste colligitur ex Scriptura, Deut. 17. 8. Ex occasione huius argumenti, multa dixi de usu & praxi, quæ in V. T. circa decisionem controversiarum seruabantur. Quæ hic non repeto.

120. Hic tu aliquid concedis, aliquid negas. Concedis (ut utar tuis verbis) summum Pontificem V. T. fuisse Iudicem controversiarum, & primarium Præsidem in Concilio Hierosolymitano. Negas fuisse infallibilem. At ego exemplo Mosis id probaui in meo libello, §. 62. Nunc iterum tripliciter probo.

Primo, ex discrimine, quod erat inter summum Pontificem, & alios inferiores Iudices. Nam quando oriebatur aliqua controversia difficultior, in eius decisione inferiores Iudices vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant; volebat Deus, ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem in superiori Concilio præsidentem, cum hac promissione, quod ab eo accepturi essent iudicij veritatem. (Deut. 17. 9.) At si Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo iudicij veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta: Ergo dicendum est in

tali casu falli non potuisse.

Secundo, ex mandato Dei. Nam Deus sub pœna mortis mandabat omnibus, ut acquiescerent sententiæ Pontificis. (Deut. 17. 12.) At certum est, nō mādasse, ut acquiescerent sententiæ falsæ, præsertim in negotio fidei ac religionis; Ergo certum est, sententiam Pontificis, præsertim in negotio fidei ac religionis, non potuisse esse falsam, sed ex peculiari Dei assistentia infallibilem.

Tertio, ex parte litigantium. Nam si Pontifex, quando publice in Concilio pronunciabat sententiam, potuisset falli, vel à legitimo Scripturæ sensu aberrare, minquam litigantes, qui illum consulebant, fuissent securi. Cur ergo sub pœna capitis tenebantur sequi, illius decisionem? Cur altera pars, cum tanto onere, debebat subiacere sententiæ contra se latæ, quam poterat suspicari falsam & iniquam esse? Denique, cur totus populus in negotio religionis iubebatur id sequi, quod Pontifex iudicabat sequi oportere, si Pontifex errare poterat?

121. At obijcis, Pontificem, etiam cum toto Concilio, sæpe errasse in negotio religionis. Quod probas varijs exemplis. **Primo**, quia Aaron Pontifex fuit author idololatriæ, quando proposuit populo vitulum adorandum. Exodi 32. 4. **Secundo**, quia Vtias contra legem Dei extruxit nouum altare in templo, ad formam altaris Damasceni, & in eo sacrificia obtulit, 4. Reg. 16. 10. **Tertio**, quia tempore Isaiæ, omnes speculatores populi erant cæci, Isaiæ 56. 10. **Quarto**, quia tempore Ieremiæ, à Propheta usque ad Sacerdotem, omnes loquebantur mendacium, Ierem. 6. 13. **Quinto**, quia idem Ieremias, propter verbum Domini, publico decreto omnium Sacerdotum & Prophe-

& Prophetarum fuit condemnatus ad mortem. Ierem. 26. 11. *Sexto*, quia Christus à Pontificibus, Scribis, & Senioribus populi, in publico Concilio, morti adiudicatus est.

122. Respondeo. Facis, mi Gardi, tuo more. Omnia vis probare ex Scripturis, & nihil probas. Hoc evidenter ostendam in exemplis à te allatis. *Primo*, Aaron nec erat Pontifex, quando vitulum ex auro conflauit, nec fuit author idololatriæ. Nihil ergo iuuat te hoc exemplum. *Quod non fuerit Pontifex, certum est*. Nam à Mose consecratus est in Pontificem, anno secundo egressionis ex Ægypto, prima die mensis primi, quādo Tabernaculum fuit erectum: (Exod. 40. 55.) At vitulus iam antea conflatus erat, cum adhuc Moses erat in monte Sinai cum Deo, & acceptis ab eo tabulis lapideis, iubebatur cōstruere Tabernaculum per Beseleel filium Vri. (Exod. 31. & 32. 1.) Similiter, quod populus fuerit author idololatriæ, non autem Aaron, diserte habetur Exod. 32. 1. *Videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos praeceperant*.

123. Secundo, Vrias non errauit, tanquam Iudex & Præses Concilij, in dirimendis controversijs legibus; sed extra Concilium, errauit in facto, volens satisfacere mandato Regis Achaz, quod non negamus. Itaque nec hoc exemplum ad rem facit. Non enim est quæstio inter nos, An Pontifex nulla in re potuerit errare, aut peccare? Potuit certe in multis, non minus, quam alijs. Sed quæstio est, an in sententia publice ferenda circa controversias legales potuerit errare, vel falsam sententiam dicere? Non potuit. Nec Vrias hoc modo errauit.

124. Tertio, Isaías per speculatores, quos ait cæcos esse, non intelligit Pontifices sui temporis, vt tu putas; sed Scribas & Phariseos, qui erant futuri tempore Apostolorum, quando Ierusalem erat vastanda à Romanis, sub Vespasiano Imperatore, vt interpretatur S. Hieronymus. Et patet ex ipso contextu, qui sic habet: *Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel. Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes bestie agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius caci omnes, nescierunt vniuersi, omnes muti, non valentes latrare.* Scensus est: Ait Dominus Deus: Ego post captiuitatem Babyloniam, in qua dispergentur Iudæi, iterum congregabo illos in Ierusalem, (quod contigit sub Cyro Persarum Rege, 1. Esdræ 1.) Deinde etiam gentiles eis aggregabo (quod factum est tempore Christi & Apostolorum, quando gentiles ad lucem Euangelij vocati sunt, & ex viroque populo coaluit una Ecclesia.) Postea, dicam Romanis, (qui propter infidelitatem vocantur bestiæ agri) *venite ad deuorandum, id est, ad deuastandam & euertendam ciuitatem Ierusalem.* Sed ob quā causam? Quia Speculatores eius, Scribæ & Pharisei, mērebuntur hanc pœnam, duplicitate. Primo, propter suam cæcitatem & incredulitatem. Nam neque ipsi volent Christum agnoscere pro Messia; neq; permisurunt sunt, vt Iudæi in eum credant. Et sic utique propter incredulitatem dignerunt, qui puniantur. Vnde Christus Matth. 15. 14. *Caci sunt & duces cæcorum.* Et cap. 23. 13. *Væ vobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines.* *Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Secundo, quia erunt canes muti non valentes latrare, id est, ignavi Pastores; non defendantes gregē sibi

sibi concredidum , nec vitia subditorum reprehendentes. Ex hac interpretatione, quæ & textui, & Hieronymo cōformis est, nihil potes colligere, quod sit contra nos. Nam nostra assertio est, Pontificem veteris Testamenti non posse errare in definiendis legalibus controuersiis, quæ ad ipsum in Concilio deferebātur. Hæc non euertitur per hoc, quod Pharisæi, tempore Apostolorum, fuerint cæci & increduli in Christum. Frustra ergo altercaris.

125. Quartò, Nec dictum Ieremiæ, quod citasti, tibi patrocinatur : Non enim intelligendum est de errore vel mendacio Pontificis in decisione, controuersiarum legalium ; sed de dolo, seu mendacio Sacerdotum & Prophetarum in prædictione futurorū. Cum enim Ieremias, & alij Prophetæ à Deo missi prædicerent fore, ut populus propter scelera sua puniretur, & in captiuitatem duceretur : Sacerdotes & pseudoprophetæ blandiebantur populo , & omnia prospera vaticinabantur: & sic misere illum decipiebant. Hic sensus colligitur ex ipso textu. Nam Ieremiæ prædictio erat hæc. *Vir cum muliere capietur, senex cum pleno dierum. Et transibunt domus illorū ad alteros, agri & uxores pariter; quia extendam manum meā super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad maiorem omnes auaritiæ student. Quid porrò Sacerdotes & pseudoprophetæ? Sequitur: A Prophetæ usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Vel, ut Septuaginta vertunt. A Sacerdote usque ad pseudoprophetam omnes fecerunt menda- cium. Et curabant contritionem populi mei, parui pendentes, & dicentes: Pax, & ubi est pax? quasi dicat: Quidquid ego ædifico; hoc mali Sacerdotes & Prophetæ*

destruunt. Ego reprehendo scelera populi, & prædicco illi capitatem, ut hac ratione permoueam omnes ad dolorem & contritionem. Illi contra, dolo seu mendacio decipiunt populum, promittendo pacem & prosperitatem; & sic conantur abstergere, & curare contritionem, quam ex mea comminatione conceperat. Ex hoc sensu, qui legitimus est, quid inferes, mi Gardi? Vel nihil; vel hoc: Sacerdotes & Prophetæ in V. T. mentiebantur in prædictione futurorum; Ergo Pontifex errabat in decisione controuersiarum legalium. Illatio te digna.

126. Quinto, quod obiicis, Ieremiæ publico decreto Sacerdotum & Prophetarum fuisse cōdemnatum ad mortem, non spectat ad præsentem quæstionē. Primo, quia tametsi Sacerdotes & Prophetæ peccauerint in hoc facto, non tamen errauerunt in decisione alicuius controuersiæ legalis (de quo errore hic disputamus) sed tantum in eo, quod dicerent falsam esse prædictionem Ieremiae de imminente eversione Ierusalem, vt iam explicauit. Deinde, non solum Sacerdotes & Prophetæ, sed etiam populus condonauit illum ad mortem. Cum enim dixisset Ieremias ex persona & mandato Dei: *Dabo domum istam, sicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ; mox lequivitur: Et audierunt Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verbahæc in domo Domini.* Et paulò post: *Apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur.* Quare prophetauit in nomine Domini dices: *Sicut Silo erit domus hæc, & urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator?* Igitur sententia condēnationis nō fuit legitime & judicialiter lata in Cōcilio seu Synedrio, in quo legales controuersiæ decidebātur, sed in

in tumultuario concursu ac seditione vulgi, ut etiam à Hieronymo notatum est. Et hoc patet ex euentu. Nam Principes Iuda, cum audissent tumultum populi, & conspirationem factam contra Ieremiam, venerunt ad introitum Templi, (vbi seditio excitabatur) & liberarunt Ieremiam à sententia mortis; quod non facilè fecissent, si sententia à summo Pontifice in Concilio fuisset pronunciata. Inspiciatur textus.

127. Sexto, ad id denique, quod aduers de Christo à Pontifice & Senioribus morti adiudicato, facilis responso est. Fateor Caipham, qui tunc erat Pontifex, errasse cum Concilio, nec amplius habuisse infallibilem Dei assistentiam, quia Synagoga iam fere exspirabat. Vbi obiter notandum est, potuisse hæc quinque spectari in Synagoga. 1. Legem Mosaicam. 2. Prophetiam de Christo. 3. Sacerdotium, & sacrificia legalia. 4. Supremam potestatem iudicariam, quæ erat in Pontifice & Concilio. 5. Infallibilem Dei assistentiam, quæ illi potestati erat annexa. Quando & quomodo singula exspirauerint, dicam paucis.

128. Lex Mosaica, quoad obligationem abrogata est in morte Christi, ut docet S. Thom. in 1.2.q.103. artic. 3. ad 2. & alij passim. Tunc enim amisit vim obligandi; quia tunc velum Templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. Matth. 27.51. Et tunc Christus dixit in Cruce, Consummatum est. Vnde sequitur, ante mortem Christi, viguisse simus legem Mosaicam & Euangelicam: post mortem, solam Euangelicam.

129. Prophetia de Christo fuit multiplex: Alia de venturo Christo in hunc mundum; alia de eius

doctrina & miraculis; alia de morte & passione; alia de descensu ad inferos; alia de resurrectione; alia de ascensione. Vnaquæque earū tunc exspirauit, quādo impletum fuit id, quod per eam prædicebatur. Verbi gratia. Prophetia de venturo Christo, exspirauit per aduentum Christi. Matth. 11. 13. *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem.* Et sic deinceps.

130. Sacrificia legalia sunt etiam abrogata per mortem Christi, sicut lex Mosaica. Quod maxime verum est de cruentis sacrificiis, in quibus mactabātur animalia. Erant enim figuræ seu ymbræ cruenti sacrificij, quo Christus in ara Crucis erat mactādus. Itaque adueniente hoc sacrificio, necesse fuit illa exspirare: sicut adueniente Sole, facessunt tenebræ.

131. Suprema potestas iudicaria, itēmque diuina assistentia illi annexa, non videtur simul, seu eodem momento tota exspirasse, sed successiue & quasi per partes. Nam primo certum est, Christum habuisse maiorem potestatē iudicariam, & vberiorem Dei assistentiam, quam habuerit Pontifex in veteri Testamento, iuxta illud Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Itaque Pontifex, respectu Christi, non potuit amplius habere supremā, tametsi habuerit supremam in suo ordine ac statu.

132. Deinde, Assistentia diuina paulatim subtrahita est. Quod facile ostendi potest in iis Conciliis, quæ post Christi nativitatem à Pontifice & Sacerdotibus celebrata sunt. Tria potissimum recensebo. Primum, tempore Herodis, quando tres Magi venerunt Hierosolymam. Alterum, tempore Lazari resuscitati, quando disputabatur, quid de Christo, tot miracula faciente, statuendum esset. Tertium, tempore captiuitatis Christi, quando à Caipha ad mortem condemnata.

condemnatus est. In primo mansit integra assistentia diuina; in altero diminuta est; in tertio penitus sublata. Quod sic demonstro.

133. Primum Concilium conuocatum est propter Herodem, qui à Principibus Sacerdotum sciscitabatur, ubi Christus, iuxta Prophetarum vaticinia, esset nasciturus? Matth. 2. 4. Et responsum est: *In Bethlehem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Quæ decisio fuit vera & infallibilis; ac proinde ex vera & infallibili Dei assistentia profecta.

134. Alterum celebratum fuit ex occasione miraculi, quo Christus Lazarū resuscitauit. Ioan. 11. 47. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisei Concilium, & dicebant: *Quid facimus?* quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus esset pro gente, &c. Ex his verbis manifestè constat, Caiphām ex una parte errasse; ex altera non errasse: Et partim ex odio, more humano; partim ex assistentia Spiritus sancti, in ore propheticō, locutum esse. In eo errabat, quod Christum innocentem morti adjudicaret: Et hoc ex inuidia & æmulatione. (Matth. 27. 18.) In eo non errabat, quod prædiceret Christum moritum pro salute Iudæorum: Et hoc non ex semetipso, id est, ex proprio iudicio & affectu humano, sed ex diuino instinctu, qui Pontifici ratione

sui officij solet assistere.

135. Tertium celebratum fuit , instantे Christi passione, Matth. 26.57. vbi Sacerdotes quarebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent. Et tandem lata est hæc sententia: *Reus est mortis.* Quæ fine dubio fuit iniqua , nec vlo modo à Deo inspirata, sed potius à diabolo, vt iam antea dictum erat à Christo, Ioan. 8.44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere : Ille homicida erat ab initio.* Nec quicquam in illo Concilio gestum est, ex quo constare possit diauinam assistantiam adfuisse.

136. Hactenus responsum est, Gardi, ad ea exempla , quibus conatus es probare , Pontificem veteris Testamenti fuisse quidem iudicem cōtrouersiarum, sed potuisse errare, & re ipsa sāpe errasse. Ex qua response duo colligo. *Vnum* est, priora quinque exempla nihil ad rem facere. Nam Aaron non erat Pontifex, quando errauit. Vrias erat quidem Pontifex; non tamen errauit in iudicio legali, sed in facto. Isaias locutus est de Scribis & Phariseis, qui victuri erant tempore Apostolorum. Ieremias de Sacerdotibus & Prophetis , qui errabant in prædictione futurorum. Alterum est, nostram potius sententiam ex hac obiectione confirmari. Nam ex eo, quod dictum est de Caipha. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit;* perspicue constat, Pontificem habuisse hoc priuilegium, ut à semetipso non decideret controuersias, sed ex diuina potius directione, quod nos asserimus.

137. Adhuc duo obiicis , quæ verbo expediam. Primo, neque Pontificem, neque Concilium potuisse ferre sententiam ex suo ingenio & arbitrio, sed ex lege Dei scripta, id est, iuxta Scripturam. Hoc fateor.

Nam

Nam Scriptura erat norma seu regula , iuxta quam sententia erat pronuncianda. Pontifex autem cum Concilio erat iudex, qui iuxta Scripturam, tanquam normam , pronunciabat sententiam. Sed quia s^ep^e oriebatur difficultas de legitimo Scripturæ sensu; ideo Pontifex indigebat diuina assistentia, ne à legitimo Scripturæ sensu aberraret.

138. Secundò obiicis, me nunquam ex Scriptura probare posse, quod quodam loco dixi, Mosen fuisse Pontificem. Te autem contrarium probare posse. Primo, quia Aaron fuit primus Pontifex: Ergo Moses esse non potuit. Secundò , Apostolus in epistola ad Hebræos confert Aaronem cum Christo , non Mosen. Tertiò , si Moses fuisset Pontifex & supremus controuersiarum iudex, sequeretur Aaronem vel nō fuisse iudicem, vel nunquam suo officio functum esse, quia ante Mosen mortuus est. Respondeo. Et ex Scriptura, & aliunde constat , Mosen fuisse Pontificem. Nam Psal. 98.6. dicitur: *Moses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Deinde exercuit officium Pontificis. Nam & consecravit Aaronem, & sacrificium obtulit. Exodi 40.12. & 27. Accedit consensus Rabinorum apud Genebrardum in Psal. 98. & apud Gretserum tomo 1. defensionis, lib. 3. cap. 4.

139. Nec obstant tua argumenta. Primo , quia Aaron fuit primus ordinarius Pontifex; Moses primus extraordinarius: Secundò , Apostolus non solum Aaronem, sed etiam Mosen & Melchisedech confert cum Christo, noui Testamenti Pontifice. Mosen, cap. 31. Aaronem , cap. 5.4. & cap. 7. 11. Melchisedech , cap. 5.6. & cap. 7.1. Tertiò , non opus erat, ut Aaron fungeretur officio iudicis , viuente Mose; sed sufficiebat , fungi euni officio Pontificis, offeren

offerendo sacrificia, & consecrando Leuitas ac Sacrae
cerdotes.

V. ARGUMENTVM BECANI

Ex usu & praxi noui Testamenti.

140. **H**oc ita proposui. Sicut in veteri Testamen-
ti non Scriptura, sed Pontifex cum Con-
cilio fuit Iudex controveneriarum; sic etiam in novo
haec tenus seruatum est. Omnes enim controveneriae,
vel à Conciliis, vel à Pontifice decisæ sunt. Et quidem
tempore Apostolorum, decisa est controveneria de
obseruatione Circumcisionis: Postea verò subsequen-
tibus saeculis, decisæ sunt aliæ non paucæ, quas in
meolibello recensui.

141. Hic fateris, Concilium Episcoporum esse
Iudicem controveneriarum, sed secundarium. Scrip-
turam verò esse primarium. In hoc erras. Scriptura
est Norma, non Iudex. Nam, ut sæpe dixi, illa voca-
tur Norma seu Regula, iuxta quam fertur sententia.
Ille vocatur Iudex, qui fert sententiam. At Conci-
lium Episcoporum fert sententiam iuxta Scriptu-
ram, ut vltro concedis: Ergo Concilium Episcopo-
rum est Iudex; & Scriptura est Norma. Quod si etiā
Scriptura ferret sententiam per modum Iudicis pri-
marij, ut tu fingis, quid necesse esset, Concilium ferre
sententiam per modum Iudicis secundarij? Vel
enim Scriptura per se est sufficiens Iudex, vel non
est. Si est sufficiens, quid opus est alio Iudice, cum
Scriptura in promptu sit? Si non est sufficiens, quid
illi deest? De hac re dixi cap. primo, §. septimo, & se-
quen-

quentibus. Reliqua, quæ obiicis, speciatim discutenda sunt.

DE CONTROVERSIA IN CONCILIO APOSTOLORVM DECISA.

142. **D**ixi hanc Controuersiam non fuisse delata tam ad solam Scripturam, tanquam communem Iudicem utriusque partis, sed ad Concilium Apostolorum: Et Apostolos nullum Scripturæ testimonium produxisse, quod directe ad circumcisio- nem, de qua agebatur, pertineret; sed ex directione & assistentia Spiritus sancti, sententiam pronuncia- se, iuxta illud Act. 15. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

143. Hic vertis te in omnem partem. Ac primò ais, non esse quæstionem, an illa controuersia delata fuerit ad solam Scripturam, tanquam communem Iudicem. (Neminem enim ita sentire) sed, an ita fuerit decisa à Concilio Apostolico, ut Scriptura nullo modo fuerit Iudex? Mitor te, Gardi. An non diserte & sæpe dixisti, *solam Scripturam esse infallibilem Iudicem controuersiarum fidei ac religionis?* Non potes negare. Verba tua citata sunt cap. 1. §. 6. Si igitur in eo constans es, necesse est te sentire, hanc controuersiam de circumcisione, ad solam Scripturam, tanquam infallibilem & communem Iudicem, deferendam esse. Aut si ad alium Iudicem infallibilem deferriri potest, iam sola Scriptura non est infallibilis Iudex. Et sic euertis te ipsum.

144. Secundo ais, Non valere hanc consequen-
tiam : Controuersia de circumcisione delata est ad
Conci

Concilium , tanquam ad Iudicem : Ergo Scriptura non fuit Iudex. At certe valet vel maxime, si adiicias, quod ego adieci, hoc modo : Controversia de circumcisione delata fuit ad Concilium , tanquam ad Iudicem , & Apostoli in Concilio nullum Scripturæ testimonium produxerunt , quod directe pertinet ad circumcisionem : Ergo Scriptura non fuit Iudex.

145. Tertiò ait, Spiritum sanctum in illo Concilio immediate rexisse & illuminasse Apostolos, ideoque Scripturæ iudicium non fuisse illis necessarium. Aliter rem habere in aliis Conciliis, quæ postea celebrata sunt : in quibus Spiritus sanctus non rexit & illuminauit Episcopos immediate per se, sed media te per Scripturam ; ac proinde Scripturæ iudicium necessarium illis fuisse. Hoc non cohæret cum eo, quod paulò post addis, nempe Apostolos in eodem Concilio, *Scripturæ iudicium secutos esse*. Nam si illud secuti sunt, iam Spiritus sanctus non immediate illos rexit & gubernauit, eo sensu, quo ex tua sententia explicatum est ; sed mediante iudicio Scripturæ , quod prius negasti.

146. Quartò ait, et si non legimus aliquod Scripturæ testimonium ab Apostolis productum esse, quod directe ad circumcisionem pertineat; colligi tamen ex ipso textu , fuisse aliquod tale productum. Act. 15. 6. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, &c. Quis crederet, inquis, in hac conquisitione, neque Phariseorum sectatores, neque Paulum & Barnabam, testimonium aliquod Scripturæ de circumcisione in medium protulisse ? Hoc est querere, non probare. Ego vicissim quero. Quis crederet Apostolos in Concilio congregatos, aliquod Scripturæ*

pture testimonium de circumcisione in medium protulisse, cum , vt tu ipse fateris , nulla de eo fiat mentio ? cum immediate à Spiritu sancto fuerint illuminati? cum Scripturæ iudicium non fuerit illis necessarium? Responde ad meam quæstionem; respondebo ad tuam.Omitto conuitia, quæ hic exspuis.

247. Quintò ais , Petrum sententiam suam deduxisse ex Scripturis , & vnanimi consensu Prophetatum:Et Iacobum ex Propheta Amos, cap.9.11. de gratuita vocatione gentium, eandem confirmasse. Audi, mi homo. Nō afferui absolute, Apostolos nullo Scripture testimonio vsos esse; sed, nullo vsos esse, quod directe ad circumcisionem pertineret. De hoc inter nos lis est. Si vñi non sunt , vt ego afferui. salua est mea assertio. Si autem vñi sunt, vt tu vis, ostende, & credam. Hactenus non ostendisti.

148. Deinde falsum est , Petrum suam sententiam deduxisse ex Scripturis , & vnanimi consensu Prophetarum. Verba Petri sunt hæc : *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij , & credere. Et qui nouit corda Deus , testimonium perhibuit , dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis ; & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum , imponere ingum super cervices discipolorum , quod neque Patres nostri , neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Hic nullam facit mentionem Scripturæ, aut Prophetarum. Solum refert, quid sibi olim contigerit:Et est hic sensus verborum illius. Vi- ri fratres, vos scitis, quod ante aliquot annos (cū esse in excessu mentis, & viderem cœlū aperiū, & descendēs vas quoddam, in quo erant omnia quadrupedia

&c

& serpentia terre, & volatilia cœli) elegerit me Deus, ut gentibus, ac nominarim Cornelio Centurioni annunciatem Euangelium Christi, quod &c feci. (Act. 10.34.) Et quotquot ex illis fidem Euangelicam amplexi sunt, acceperunt Spiritum sanctum in visibili specie, non minus, quam nos Iudei, qui in Christum credimus: (Act. 10.44.) Vnde colligo, gentiles, qui nō sunt circumcisi, nec seruant legem Mosaicam, non esse deterioris conditionis apud Deum, quam Iudeos, qui circuncisi, & legi Mosaicæ subiecti sunt: Ac proinde circumcisionem, & alias ceremonias Mosaicas non esse necessarias ad salutem. Quid ergo vultis tam graue onus illis imponere?

149. Hic discursus non fundatur in aliquo Scripturæ testimonio à Petro citato (quia nullum hoc loco ab eo citatum est) sed in eo, quod Deus, ante aliquot annos, re ipsa ostendisset, tam præputiatus, quam circumcisos, accipere Spiritum sanctum, & saluari posse per fidem in Christum; nec ullum inter eos esse discriminem apud Deum. Quod alibi aliis verbis, sed eodem sensu, explicat idem Apostolus, Act. 10.34. *In veritate comprei, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi;* nullo habito respectu præputij, aut circumcisionis. Et Paulus ad Galath. 5. 6. *In Christo Iesu, neque circumcisione aliquid valeat, neque præputium, sed fides, qua per charitatem operatur.* Non sola fides sine operibus.

150. Quod addis, Iacobum ex Propheta Amos confirmasse sententiam Petri, ex parte verum est, ut ex textu patet. *Viri fratres, inquit Iacobus, audite me. Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo:* Et huic concordant

dant verba Prophetarum sicut scriptum est : Post haec reuertar , & reædificabo tabernaculum Dauid , quod decidiit ; & diruta eius reædificabo , & erigam illud ; ut requirant cæteri hominum Dominum , & omnes gentes , super quas inuocatum est nomen meum , dicit Dominus faciens haec : Notum à seculo est Domino opus suum . Propter quod & iudico non inquietari eos , qui ex gentibus conuertuntur ad Deum , sed scribere ad eos , ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum , & fornicationis , & suffocatis & sanguine Q. D. Petrus narrauit , quomo-
do gentiles per ipsum ad Euangelium vocati sunt . De hac vocatione multo ante prædictis Deus per Amos Prophetam , in hunc sensum : Ego , qui nunc loquor per Prophetas , reuertar ad vos in assumpta natura humana (Baruch 3. 38. Post haec in terris visus est , & cum hominibus conuersatus est) & loco Synago-
gæ , quæ diruetur , ædificabo Ecclesiam , ad quam non solum Iudæi , sed etiam gentiles admittentur , qui in me credituri sunt . Sic enim ab omni æternitate de-
cretum & conclusum est . Hæc prophetia concordat cum eo , quod Petrus dixit de vocatione gentium . Et quia ille adiecit , gentiles sine prævia circumcisio-
ne & obseruatione legis Mosaicæ , accepisse Spiritum sanctum , non minus quam Iudæos (quod ipse ocu-
lis suis vidit) ego idem sentio , quod ipse ; nimis enim gentiles , qui ad Christum conuertuntur , non esse yr-
gendos ad circumcisionem & legem Mosaicam , sed solum monendos , ut abstineant ab immolatis simu-
lachrorum , & sanguine , & suffocato , & fornicatione .

151. Hinc manifeste apparet , quid Iacobus ex Scriptura confirmauerit , quid non confirmauerit . Nam sententia Petri complectitur duo puncta . 1. quod gentiles ad Euangelium vocati sunt , sicut Iu-

dæi. 2. quod non necesse sit eos seruare legem Mo-
saicam. Prius confirmauit Iacobū testimonio Amos
Prophetæ; non posterius. Utique tamen suo suf-
fragio subscriptis.

152. Notant hic magni authores; Petrum, Paulum,
& Barnabam, nullo testimonio, sed narratione rege-
stæ, confirmasse vocationem gentium; solum Iacobū,
Scripturæ testimonio usum esse. Et quidem, quid Pe-
trus narrauerit, iam explicatum est. Quid vero Pau-
lus & Barnabas, immediate sequitur in ipso textu:
*Tacuit autem multitudo (cum Petrus absoluisset suam
narrationē) & audiebant Barnabā & Paulum narran-
tes, quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per
eos.* Postea Iacobus, qui nullū miraculum à se factum
potuit adducere, pro vocatione gentiū. (Erat enim
Episcopus Hierosolymæ, ubi non habitabant genti-
les, sed Iudei) adduxit testimonium Scripturæ: non
quod necesse id esset ad decisionē controversiæ, quæ
iam erat sufficiēter decisa per Petru, sed ut satisface-
ret Iudeis, qui pluris faciebāt testimonia Prophetarū,
quæ visiones aut miracula Apostolorū (2. Petri 1. 18.)

153. Hæc sufficient de Concilio Apostolorum, in
quo controversia decisa est. Reliqua, quæ addis, vel
non egent refutatione, vel cap. 7. §. 17. refutata sunt.
Porro ex ijs, quæ hoc loco vel à me dicta, vel à te
cōcessa sunt, perspicuum est, Iudicem huius contro-
uersiæ non fuisse Scripturam, sed Concilium Apo-
stolorum. Nunc quero, an fuerit Iudex fallibilis, an
infallibilis? Non dices fallibilem fuisse, si Christianus
es. Si ergo fuit infallibilis, & non opus habuit te-
stimonio Scripturæ, ut antea concessisti; necessario
sequitur, falsum esse, quod vos Lutherani assertis,
solam Scripturam esse Iudicem infallibilem.

DE ALIIS CONTROVERSIIS.

QVÆ POSTEA DECISÆ SVNT.

154. **D**ixi, post tempora Apostolorum, variæ cōtrouersias fuisse decisas, vel à Pōtifice Romano, vel à Concilijs ab eo approbatis: Et pro hæreticis fuisse habitos, qui illorum sententiæ noluerunt acquiescere. Quod varijs exemplis confirmavi. Tu multa obijcis. Primo, Non valete hanc consequiam. Post tempora Apostolorum controuersiæ religionis decisæ sunt per Concilia: Ergo tantum Concilia fuerunt Index, non Scriptura. At ego non dixi hoc de solis Concilijs, sed, vel de Concilijs, vel de Pontifice. Itaque non ista, quam tu ponis, sed hæc est mea consequentia: Post tempora Apostolorum controuersiæ religionis decisæ sunt ab Ecclesia, (quo nomine comprehendo simul Pontificem & Concilia.) Ergo Ecclesia fuit Iudex, non Scriptura. Quæ consequentia optima est, si intelligatur eo modo, quo hactenus intellexi. Suppono enim ex dictis, itemque ex tua concessione, hæc duo. 1. Ecclesiam esse Iudicem cōtrouersiarum. 2. Scripturam esse Normam, iuxta quā iudicat Ecclesia. His positis, sic concludo: Ecclesia decidit controuersias iuxta Scripturam, tanquam Normam: Ergo Ecclesia est Iudex, & Scriptura est Norma. At si est Norma, non est Iudex, ut cap. 1. §. 7. & sequentibus ostensum est.

155. Secundò obijcis (inuertendo id, quod dixi) Scripturam in Cōcilijs semper fuisse supremum & infallibilem Iudicem controuersiarum. Et hoc probas ex Bellarmino lib. 2. de Concilijs, cap. 12. vbi

sic ait: Concilia non habent, neque scribunt immediatas reuelationes, aut verba Dei, sed tantum declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum vel traditum, & quomodo intelligi debeat; & præterea ex eo per ratiocinationem deducunt conclusiones. Item, Cum Nicænum Concilium definit, Christum esse homouision Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus diserte continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum: ex quibus sequitur necessario, Patrem & Filium eiusdem esse substantię & diuinitatis. Ex utroq; testimonio sic argumentaris: Quod ex Scripturis deducitur, illud in ipsis Scripturis exstat, alioqui deduci ex ijs non posset: Conclusiones Conciliorum (quæ sunt decisiones controuersiarum) deducuntur ex ipsis Scripturis, factente Bellarmino: Ergo exstant in ipsis Scripturis. Iam pergis: Quidquid in ipsa Scriptura continetur, Verbum est & iudicium immediatum Spiritus sancti: Verbum vero, ac iudicium immediatum Spiritus sancti, est in Ecclesia supremum & infallibile, ut negari nequit: Ergo quod in Scriptura continetur, & ex ea postea deducitur, iudicium est in Ecclesia supremum & infallibile; Et per consequens, Scriptura est in Concilijs supremus & infallibilis controuersiarum Iudex.

156. Frustra te fatigas, Gardi. Nam Bellarminus contra te est. Primo, quia ipse admittit Verbum Traditum, quod tu reijcis. Deinde ipse ait, Ecclesiam per Concilia definire haec duo. 1. quodnam sit Verbum scriptum, vel traditum. 2. quis sit legitimus illius sensus & interpretatio. At vos Lutherani in utroque punto contemnitis Ecclesiæ definitionem.

157. In priori syllogismo, quem sumis ex Bellarmino, fraudulenter agis. Nam minor propositio, nempe,

nempe, *Conclusiones Conciliorum deducuntur ex ipsis Scripturis, fatente Bellarmino*, falsa est. Non enim fatetur hoc Bellarminus generatim de omnibus conclusionibus, sed tantum de quibusdam. Nam aliquæ (ex illius sententia) deducuntur ex Verbo Dei Scripto; aliquæ ex Verbo Dei Tradito, ut patet ex priori ipsius testimonio.

158. In posteriori plus doli ac fallaciæ later, Coniugis enim hæc duo, *Verbum, & indicium Spiritus sancti*, quasi idem valeant; cum tamen maxime distincta sint. Nam quidquid continetur in Scriptura, est quidem Verbum Spiritus sancti; non tamen propriæ indicium Spiritus sancti. V.G.in Scriptura continentur leges, promissiones, & comminationes; quæ omnia vocari possunt Verbum Dei, sed non propriæ Iudicium. Non n. prolata sunt à Deo, tanquam à Iudice, qui controversias dirimit; sed tanquam à legislatore, qui præcepta suis subditis proponit; & simul pœnas transgressoribus, præmia obedientibus pollicetur. Vide, quæ supra dixi c. 1. §. 8. & c. 2. §. 5. & 6.

159. Tertiò objecis, falsum esse Ecclesiam Catholicam in Concilijs tulisse unquam sententiam, per Pontificem Romanum, tanquam Caput & Pastorē totius Ecclesiæ. Et hoc probas. *Primo*, quia inter Lutheranos & Catholicos controvèrtitur, An Pontifex sit Caput & Pastor Ecclesiæ. *Secundo*, quia Episcopi Romani solent tantum præsidere particularibus Concilijs, quæ Romæ celebrantur; non autem alijs nisi forte rogati. *Tertiò*, quia tota Ecclesia non probauit sententiam Victoris in Concilio Romano, de celebratione Paschatis contra Asiaticos latam. Restiterunt enim illi Polycrates & alij Episcopi in Asia. *Quarto*, quia in præcipuis Concilijs, tam particulari-

bus, quain generalibus, non præsederunt Episcopi Romani. Nam in Concilio Antiocheno præsedit Malchion Presbyter Antiochenus: in Alexandrino, Athanasius: in Nicæno I. Hosius: in Constantinopolitano, Nestorius: in Ephesino, Cyrilus: & sic deinceps. *Quintò*, quia in Conciliis generalibus, nō Episcopi, sed Imperatores fuerunt Præsides ac iudices cum singulari iurisdictione ac potestate: Et ex illorum consensu, Episcopi sineulla iurisdictione, propter solum ordinem ac directionem.

160. Hæc obiectio, quam fusè prosequeris, parum ad rem facit. Non enim ex professo hic disputamus, An Pontifex sit caput Ecclesiæ? vel, An Imperator debeat cum autoritate Conciliis præsidere? Sed hoc agimus, An Ecclesia sit infallibilis iudex controvèrsiarum, quod ego assero; an verò sola Scriptura, quod vos asseritis. Tibi probandum est, solam Scripturam esse, non Ecclesiam. Hoc autem non probas ista tua obiectione. Quod si semel concederes, Ecclesiam esse infallibilem iudicem, & in eo mecum sentires; iam supereffset alia inter nos quæstio, An Ecclesia debeat ferre sententiam per Imperatorem, an verò per Pontificem & Episcopos? Eo res non venit.

161. Deinde, tota obiectio, non solum nullius momenti est, sed continet etiam multa mendacia, ut iam pridem à Bellarmino, Gretsero, & aliis demonstratum est. Nec opus est hic repetere. Solum ad singula argumenta paucis respondebo. Ad 1. Non ideo falsum est aliquod dogma, quod de illo inter aliquos sit controvèrsia; alioqui nullū dogma Christianæ religionis esset verū. v.g. Controvèrsia est inter Arianos & Catholicos, An Christus sit verus Deus? Non ideo falsum

falsum est, esse verum Deum. Item, controuersia est inter vos & Calvinistas, an Christus realiter sit praesens in Eucharistia? Non ideo falsum est, realiter praesentem esse. Ergo eodem modo, tametsi inter vos & nos controuersia sit, An Pontifex sit caput & pastor Ecclesiæ; non ideo falsum est, esse. Vos quidem falsum esse contenditis, quia vultis vos subtrahere ab obedientia Pôificis, sicut facere solent rebelles subditi, sed nobiscum sentiunt antiqui Patres, ut perspicue ostendam in sequenti capite.

162. Ad 2. & 5. Negandum est, Imperatores cum autoritate & potestate praesedisse Conciliis generalibus; non autem Prælatos Ecclesiæ. Nec est huius loci id disputare. Disputavi de hac re in libro de Primatu Regis Angliæ: itemque in Duello, de eodem Primatu. Ex iis, quæ ibi dixi, hæc accipe. Ius noui Testamenti conditum est à Christo. Si ergo Reges & Imperatores, non autem Apostoli & Episcopi, iure Testamenti haberent potestatem conuocandi Concilia, iisdem præsidendi, controuersias fidei decidendi; id deberet constare ex quadruplici hoc capite. Primo, ex verbis Christi, quibus suā mentem in hac re declarauit. Secundo, ex testimoniois Apostolorum, qui sine dubio mentem Christi affecti sunt. Tertio ex praxi Ecclesiæ, quæ illo tempore in Ecclesia servata est. Quartò ex aliis circumstantiis. At contrarium ex his capitibus colligitur. Primo, quia Christus non dixit Tiberio, Herodi, aut Pilato, *Pascoues meas*; sed Petro. Secundo, quia testimonia Apostolorum confirmant Primum Episcoporum, non Regum & Imperatorum. Acto. 20. 28. *Attende uobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Tertio, accedit

praxis Ecclesiæ. Nam Apostoli indixerunt primam Synodum, & litem de circumcisione direxerunt; non Rex aut Imperator. Quartò, si Christus voluisse Reges & Imperatores habere potestatem regendi Ecclesiā, & controversias dirimendi, nō item Episcopos, debuisset certos Reges designare, qui illam curam susciperent. At contra factum est. Designauit Apostolos, qui Ecclesiā gubernarent. Ex his ita concludo: Iure noui Testamenti gubernatio Ecclesiæ pertinuit ad Apostolos & Episcopos, non autem ad Reges & Imperatores, ut iam ostensum est: At hoc ius ab eo tempore nunquam fuit mutatum, nec ab ullo homine mutari potuit, cum sit ius diuinum: Ergo ab eo tempore gubernatio Ecclesiæ semper pertinuit ad Episcopos, & nunquam ad Imperatores. Quo igitur iure, vos Prædicantes vultis illam eripere Episcopiſ, & transferre ad Imperatores? Responde, Gardi, si potes.

163. Ad 3. Nihil obstat, quod aliqui restiterint sententiæ Victoris Papæ, quam in Concilio Romano pronunciauit de celebratione Paschatis. In quo unquam Concilio lata est sententia decisiva inter partes, cui non aliqui, saltem initio, refragati sunt: Vix inuenias. Facit hoc superbia & contumacia hominum, ut ægrè pareant iudici, contra opinionem semel cōceptam & obfirmatam. Sed bene habet, quod hoc tempore, etiam vos Lutherani approbetis decisionem Victoris, & eodem die, quem ille præscripsit, Pascha celebretis. Quid ergo adhuc murmuras?

164. Ad 4. Concedo, in Conciliis particularibus, quæ extra Romanā prouinciam celebrata sunt, præsedisse Episcopos locales; non Pontificem Romanum. Sed hoc nihil ad rem. Nego in generalibus
Ponti

Pontificem non præsedisse. Exempla, quæ adfers in contrarium, ex Bellarmino transcripsisti. Debebas & responsonem transcribere, si bona fide agere voluisses. Sed quia aliter res habet, non fecisti.

165. Quartò obiicis, Non solam Ecclesiæ & Conciliorum decisionem & autoritatem esse causam, quod agnoscamus Arium, Sabellium, & similes hæreticos, meritò damnatos esse, & pro hæreticis habendos; sed principaliter ipsius Scripturæ supremum iudicium & autoritatem. Hoc probas, quia decreta Ecclesiæ & Conciliorū non valent, nisi propter Scripturæ autoritatem & consensum. Et pro hac re citas Hieronymum in cap. 5. Epist. ad Galatas, Athanasium epist. de synodis Arimini & Seleuciae, & Augustinum lib. 3. contra Maximum Arianorum Episcopum, cap. 14.

166. Respondeo. Duplex potest assignari causa. Vna ex parte iudicis: altera ex parte normæ. Ex parte iudicis, non est alia causa legitimæ damnationis hæreticorum, quam decisio & authoritas Ecclesiæ. Ex parte normæ, authoritas verbi Dei, siue scripti, siue traditi. Quod addis, decreta Ecclesiæ non valere, nisi propter Scripturæ autoritatem & consensum; distinguendum est. Non valent, si sint contra autoritatem & consensum Scripturæ: Et hoc docet Hieronymus loco citato. Valent tamen, non solum propter autoritatem Scripturæ, sed etiam traditionis. Nec est maior Scripturæ, quam traditionis authoritas, sed par utriusque, ut supra ex Patribus ostensum est. Verba Augustini, quæ adducis, alio sensu ab ipso scripta, quam à te citata sunt, vt dixi cap. 1. §. 87.

167. Quintò obiicis, Non sequi, si sola Scriptura

esset index, & Ecclesia suam sententiam non interposuisset, in hodiernū usque diem durarent antiquæ controuersiæ, nec adhuc clarè & palam omnibus constaret, Arium, Sabellium, & similes, pro hæreticis habendos esse. Et hoc probas. 1. quia multi fuerunt hæretici primis trecētis annis in Ecclesia, qui in nullo Concilio, tanquam hæretici, damnati sunt. 2. quia Ecclesia in Conciliis non solet ex priuato arbitrio damnare hæreticos, sed ex Scriptura. 3. quia falsum est, quod palam & clarè non constaret omnibus, Arium & similes pro hæreticis habendos esse, si Ecclesia per Concilia suam sententiam non interposuisset.

168. Respondeo. Non oppugnas mēam assertiōnem, sed tuam phantasiam. Assertio mea est hæc: Non constaret clarè & palam omnibus eos pro hæreticis habendos esse, nisi Ecclesia suā authoritatem interposuisset. Hanc non oppugnas, sed istam: Nisi Ecclesia per Concilia suā authoritatem interposuisset. At ista non est mea. Non enim adieci illam particulam, *Per Concilia*. De hac tua fraude, seu mala fide, conquestus sum, cap. i. §. 19. Deinde nunquam dixi, Ecclesiam ex priuato arbitrio damnasse hæreticos, non ex Scriptura. Tuum figmentum hoc est.

DIGRESSIO GARDII CIRCA
INFALLIBILITATEM
ECCLESIAE.

169. Post obiectiones, ad quas responsum nunc est, instituis longam digressionem, in qua dispu-

disputis, An Ecclesia possit errare in ferenda sententia , an vero sit infallibilis Iudex ? Præmittis autem hanc distinctionem. Ecclesia potest dupliciter sumi. 1. pro tota Ecclesia collectiue sumpta, quatenus constat ex omnibus fidelibus, qui toto orbe dispersi sunt. 2. pro Concilio Episcoporum, quod repræsentat Ecclesiam. Ais igitur, Ecclesiam priori modo sumptam errare non posse; posteriori, non solum posse; sed saepe etiam errasse. Quod probas dupliciter. 1. authoritate Bellarmino , qui fatetur Concilia tam generalia, quam particularia errare posse , quando non accedit confirmatio Pontificis. 2. Exemplo variorum Conciliorum , quæ re ipsa errarunt. Adducis autem duo genera Conciliorum : Alia, quæ errarunt ex concessione Catholicorum: Alia, quæ absolute errarunt. Prioris generis sunt hæc. 1. Ariminense, Seleucium, & Ephesinum secundum, fatente Bellarmino. 2. Constantinopolitanum primum, & Chalcedonense, decernendo Episcopum Constantinopolitanum debere esse parem & æqualem Romano Pontifici ; Constantiense & Basiliense, definiendo Concilium esse supra Papam. Posterioris sunt hæc. 1. Neocæsariense, decernendo Presbyterum non debere interesse secundis nuprijs. 2. Carthaginense quartum, statuens Episcopum non debere legere libros gentilium, nec rei familiaris curam gerere. 3. Toletanum primum, definiens eum, qui pro vxore habet concubinam , à communione repellendum non esse. 4. Nicenum secundum, sanctiens cultum & adorationem imaginū. 5. Constantiense , adimens laicis communionem calicis. 6. Tridentinum, statuens plurima decreta contra Scripturam & consensum Patrum , ut Kemnitius ad oculum demonstravit.

170. Oleum & operam perdis, mi Gardi. Primo, quia nos fatemur, Concilia errare posse, nisi à Pontifice sint approbata. Et hanc scis nostram esse sententiam. Cur ergo tot exempla accumulas, ut id, probes, quod nos vltro damus? Duplici, ut opinor, de causa id facis. 1. Ut simpliciores Lutherani concipiunt magnam opinionem de Gardio, quasi is lustrauerit & examinauerit omnia Concilia, quæ hactenus in Ecclesia celebrata sunt. Si scirent, te ex Bellarmino Catholico, & Hunnio Lutherano transcripsisse, non tanti te æstimarent. 2. Ut etiam Catholicis, præsertim rudioribus, possis persuadere, non temere tot Concilia à te citata esse. Sed non obtinebis, quod vis. Noræ sunt Prædicantium imposturæ, ut facile caueri & contemni queant.

171. Deinde, multa ex iis, quæ dixisti, falsa sunt. Ac 1. falsum est, Concilium Constantinopolitanum primum decreuisse, Episcopum Constantinopolitanum debere esse parem & æqualem Episcopo Romano. Nusquam hoc inuenio in Concilio. Inuenio quidem cap. 5. hæc verba. *Constantinopolitanae ciuitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma.* Sed aliud est, esse parem & æqualem Episcopo Romano; aliud, esse proximum post Episcopum Romanum. Hoc posterius inuenio; prius non item.

172. Secundò falsum est, errare Concilium Carthaginense 4. statuendo, Episcopum non debere legere libros gentilium, nec rei familiaris curam gere. Nullus hic errore est, sed preceptum vel consilium Ecclesiasticum. Potest enim Ecclesia suadere, vel etiā legitimis ex causis mandare, ut Episcopi abstineant à lectione librorum gentilium, & vident lectioni Scri-

pturarum ac sanctorum Patrum. Similiter, vt non implicent se curis & negotiis secularibus, sed occupentur officio pastorali, quod ipsis incumbit. Et hoc est conforme Scripturæ. 1. Timothei 4. 16. *Atten-de tibi & doctrinæ:insta in illis.* Et 2. Timoth. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Et Act. 6. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

173. Tertiò falsum est, errasse Concilium Tolitanum primum, definiens eum, qui pro vxore habet concubinam, à communione repellendum non esse. Non est error Concilij, sed imperitia Gardij. Concilium Can. 17. sic habet: *Si quis habens uxorem fidelē, & concubinam habeat, non communicet.* Ceterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tantum ut unius malieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit coniunctione contentus. Alias viuens abiiciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam reuertatur. Vbi, per concubinam, non intelligitur fornicaria, quæ extra matrimonium viuit, vt tu putas, qui Canonem non examinasti; sed uxor, quæ sine externa solennitate viro coniuncta est, vt patet ex iure canonico, apud Grat. dist. 34. can. 3. vbi sic dicitur: *Concubina autem hic intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis, unita est, & coniugali affectu affectetur.* Hanc coniugem facit affectus concubinam vero lex nominat. Et glossa ibid. *Accipitur hic concubina, quæ cognoscitur uxoris affectu, sed non fuit ducta cum solennitate.* Et talem lex concubinam vocat. Itaque is, qui non duxit uxorem cum solennitate, sed tamen habet concubinam, quam affectu maritali accepit sine solennitate; non propterea repellendus est à communione. Nihil erroris hic est. Eodem sensu loquitur Isidorus

de distantia noui & veteris Testamenti, cum ait: *Christiano, non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est: nisi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (si coniunx defit) concubinam.* Refertur apud Gratianum loco citato, cap. 5, videri potest Aug. libro de bono coniugali, cap. 5.

174. Quarto, falsum est, errasse Concilium Nicænum 2. sanciendo cultum & adorationem imaginum: Itemque Constantiense, adimendo laicis communionem calicis. Tu quidem dicas errasse, sed non probas. Eodem iure liceat mihi dicere, te errare. Sed extant de utroque puncto doctissimæ controversiae, iam pridem à nostris conscriptæ ac diuulgatæ. Eas oppugna, si vir es.

175. Quinto falsum est, Concilium Tridentinum sanxisse plurima decreta contra Scripturam, & consensum Patrum. Nec aliunde hoc probas, quam auctoritate vestri Kemnitij, qui propter apertissima mendacia merito infamis est.

176. Hæc de tuis falsitatibus. Videamus nunc, quid respondeas ad testimonia Scripturæ, quibus ego in meo libello probavi, Ecclesiam errare non posse. Primum est, Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Tu respondes hoc intelligendum esse, non de omnibus, qui sunt in Ecclesia, sed de electis seu prædestinatis, qui constanter adhærent doctrinæ & confessioni de Christo. An igitur putas, in Concilijs, quæ in Ecclesia celebrantur, nunquam interesse huiusmodi electos, & prædestinatos? Si nunquam intersunt, necesse est, omnes reprobos fuisse, qui interfuerunt Concilio Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, quod est incredibile. Si aliquando

quando intersunt, necesse est aliqua Concilia errare non posse, quod est contra te. Deinde quero, An nobis in hac vita constare possit, quinam sint illi, qui constanter adhaerent doctrinæ & confessioni de Christo : Si potest constare, poterit etiam constare, quinam sint electi seu prædestinati, quod tamen falso est. Si non potest constare, vnde ego constabim, Concilia Episcoporū errare, vel non errare? Et si hoc constare non potest, omnia incerta sunt. Catholici aliter rem explicant. Eos sequere, si sapis.

177. Secundum est, i. Timoth. 3. 15. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. Tu respondes, Ecclesiam esse quidem columnam & firmamentum, non tamen fundamentum. Hoc enim esse ipsum Christum, i. Corin. 3. 11. qui est veritas Dei, Ioann. 14. 6. Vnde sic concludis: *Sicut columna in domo non est ipsum fundamentum, sed eidem innititur: & quandiu innititur, tamdiu reliquam structuram suffulcire potest; si ab eo recedat, structura corruit. Ita Ecclesia est columna veritatis, superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cui si firmiter innitatur & inhereat, veritatem sustentare & conseruare potest: sin ab eo recedat, & ipsam corruere, & veritatem perdere, necesse est.*

178. In hac responsione duplex peccatum est. Vnum, quia cum ego dixerim, Ecclesiam non posse errare, eò quod sit columna & firmamentum veritatis; tu contra virges, posse errare, quia non est fundamentum, sed innititur fundamento: Itaque errare, si recedat à fundamento; non errare, si non recedat. Nunc quero, an loquaris de Ecclesia collectiue sumpta; an de Concilio, quod representat Ecclesiam? (vtror tua distinctione.) Si de Ecclesia collectiue, necesse

necessē est, totā Ecclesiā errare posse, quod supra negasti. Si de Concilio, quod repræsentat Ecclesiā; iam sequitur ex tua sententia, Apostolum locutum esse de Concilio, quando dixit, *Ecclesiā esse columnā & firmamentū veritatis.* At hoc falsū est, ut patet ex contextu. *Hec, inquit, scribo tibi, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari: quae est Ecclesia Dei viui, columnā & firmamentū veritatis:* Vbi per dōnum Dei non intelligit Concilium Episcoporum, sed Ecclesiā; quia non instruit illum, quomodo debet conuersari in Concilio Episcoporū, sed potius, quomodo in Ecclesia Christi; cuius gubernatio (ex parte) erat illi, tanquam Pastori & Episcopo particuliari commissa. Legatur series totius capitū.

179. Alterum peccatum est contradictionis. Nam distinguis hic tria. 1. Fundamentū, quod est Christus, veritas Dei. 2. Columnā seu firmamentū, quod innititur fundamento. 3. Reliquam structuram, quae sustentatur à columnā seu firmamento. Quando ergo dicis, Ecclesiā esse columnā veritatis, per veritatem intelligis reliquam structuram, quae à columnā sustentatur. Et rursus, quando dicis, Christum esse fundamentū, necessario dicendum tibi est, veritatem esse fundamentū; quia Christus, ut fateris, est ipsa veritas, super quam Ecclesia fundata est. Aperite igitur tibi ipsi repugnas; semel asserendo veritatem esse fundamentū, cui Ecclesia tanquam columnā innititur; & semel veritatem esse reliquam structuram, quae in columna sustentatur.

180. Tertium est, Isaiae 54. 17. vbi de Ecclesia dicitur: *Omnem linguam resistenter tibi in iudicio, iudicabis.* Tu respondes, inde non posse colligi infallibilitatem

bilitatem Ecclesiæ in iudicando ; sed hoc tantum, quod omnes calumniae & criminationes hæreticorum , & aliorum hostium Ecclesiæ, erunt irritæ & inanes. Quid si utrumque colligatur ? vt certe colligitur. Nam sicut Deus in illo capite promittit Ecclesiæ Christi fœcunditatem , amplitudinem & firmitatem; sic etiam promittit victoriam , & iudicium contra hostes. At priora infallibiliter illi promittit : Ergo & posteriora. Cum ergo dicit. *Iudicabis omnem linguam resistentem tibi in iudicio;* promittit illi infallibile iudicium contra linguas & sectas hæreticorum: Ergo iudicium Ecclesiæ circa controuersias fidei non potest errare; alioqui vana esset Dei promissio.

VI. ARGUMENTVM BECANI.

Ex Analogia Iudicis controuersiarum ciuilium.

Hoc argumentum sic proposui. Inter res fidei ac religionis ex una parte , & inter res ciuiles ac politicas ex altera , potest spectari multiplex analogia. 1. Sicut in politicis acciubibus s̄p̄e oriuntur litiges ac controuersiae, quæ requirunt aliquem iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes ; Sic etiam in fide ac religione. 2. Sicut in controuersiis ciuibus distinguntur haec tria, Iudex , Lex Scripta, & consuetudo : sic etiam in controuersiis fidei , haec tria, Iudex , Scriptura utriusque Testamenti, & Traditione. 3. Sicut Princeps , vel Magistratus saecularis fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum ciuilium: sic etiam Prælatus Ecclesiasticus , vel Synodus Ecclesiastica , fungitur officio Iudicis in

decisione controversiarum fidei. 4. Sicut lex scripta est quasi Norma quædam seu Regula , quam sequitur Iudex secularis in decidendis controversijs ciuilibus : sic etiam Scriptura utriusque Testamenti est quasi Norma quædam seu Regula , quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in decidendis controversijs fidei. 5. Sicut sola lex scripta non est sufficiens & integra Norma omnium controversiarum ciuilium , sed lex scripta & consuetudo simul : sic etiam sola Scriptura utriusque Testimenti, non est sufficiens & integra Norma omnium controversiarum fidei , sed Scriptura & Traditio simul. Hæc omnia in meo libello fusijs explicauit.

181. Tu obijcis, hoc argumentum non valere, eo quod non sit eadem ratio iudicij civilis & Ecclesiastici; sed multum inter se differant. Assignas autem varias differentias, quæ examinandæ sunt. Prima sumitur ex his Scripturæ locis. Ioann. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*; quod interpretaris de Ecclesia Christi. Item Lucæ 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum. Vos autem non sic*. Item 1. Petri 5. 2. *Parcite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè: neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti ex animo*. Et 2. Corint. 1. 23. *Non quia dominamur fidei vestre, sed adiutores sumus gaudijs vestri*.

183. Nescio quorsum spectent hæc testimonia. Esto, differant inter se Ecclesia & Respublica; quod hæc sit terrena, illa cœlestis & spiritualis. At inde non exerititur Analogia, quā posui, sed stabilitur hoc modo: Sicut Respublica terrena in suo iudicio seu tribunali, habet Iudicem sæcularem , qui iudicat ; & Normam proportionatam , iuxta quam iudicat: sic etiam Ecclesia, quæ est Respublica spiritualis, habet Iudicem

Iudicem Ecclesiasticum, qui iudicat; & Normam si-
bi consentaneam, iuxta quam iudicat. Et sicut in
priori iudicio distinguitur Iudex à Norma, Prin-
ceps à lege; sic etiam in posteriori. Quis du-
bitat?

184. Illud porrò, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic;* intelligendum est hoc sensu:
Vos Apostoli, qui ad Ecclesiæ gubernationem voca-
ti estis, non debetis imitari ambitionem, fastum, &
tyrannidem gentilium Principum; sed potius debe-
tis esse humiles, & bonis moribus populo prælucere.
Neque hic sensus obstat Analogiæ, quam assignauit.
Nam ex eo non licebit concludere, hoc modo: In iu-
dicio gentilium Principum distinguitur Iudex à lege
scripta: Ergo in iudicio Ecclesiastico non distingui-
tur; quia dictum est, *Vos autem non sic.* Sed potius hoc
modo: Principes gentiles solent severæ, tyranni-
ce, & fastuose se gerere erga subditos in suis tribu-
nalibus ac iudicijs. Hoc non debent facere Prælati
Ecclesiastici. Eodem fere sensu explicanda sunt reli-
qua testimonia.

185. Altera differentia, quam ponis, est hæc: Deus
ab initio mundi, diuersis temporibus constituit diuer-
sam formam regiminis & iudicij in Ecclesia; quod
de forma regiminis & iudicij ciuilis dici non potest.
Nam ante diluvium, viua voce iudicavit de statu &
controuerbijs religionis. Quod etiam factum est post
diluvium, tempore Abrahæ, Isæ c, Iacob. At post
egressum populi ex Ægypto, non tantum viua voce,
sed etiam lege scripta intentiam tulit. Postea Apo-
stoli partim per immediatam reuelationem Spiritus
sancti, partim per Scripturam, controuersias decide-
runt. Successores Apostolorū, per Scripturā rancum.

186. Hanc differentiam fuse persequeris. Sed falsa est. Nam etiam forma regiminis ac iudicij politici saepe mutata est. Et quidem ante diluuium, sicut viua voce ferebatur sententia iudicis in iudicio Ecclesiastico, sic etiam in politico. Aut, si putas eo tempore viginisse legem scriptam, quae fuerit Norma iudicij politici, unde id probabis? In libro Genesis nihil inuenies, vel de lege politica, vel de Ecclesiastica, quod fuerit scripta. Si ergo neutra fuit scripta, nulla ex hac parte potest assignari differentia.

187. Rutsum, sicut post egressum filiorum Israël ex Aegypto, fuit lex scripta, iuxta quam Iudex Ecclesiasticus ferebat sententiam; sic etiam fuit lex scripta, iuxta quam Iudex politicus ferebat sententiam. Hoc constat ex libris Exodi, Leuitici, Numerorum, & Deuteronomij, vbi scriptæ sunt leges, non tantum ceremoniales, quæ ad religionem spectant: sed etiam iudiciales, quæ externæ politiæ subseruiunt. Cuiusmodi sunt leges de bello, matrimonio, repudio, homicidio, testibus, seruis & ancillis, mercenarijs, peregrinis, pauperibus, pignoribus, usuris, furis, deposito & commodato.

188. Denique, sicut in nouo Testamento, Norma iudicij Ecclesiastici duplex est, Scriptura & Traditio; sic etiam Norma iudicij politici duplex est, lex scripta & consuetudo. Vana igitur est differentia, quam commentus es. Et tamen, si vera esset, nihil mihi obstat. Esto enim, forma iudicij Ecclesiastici saepe mutata sit, forma autem iudicij politici mutata non sit; an inde sequitur, iudicem & legem scriptam differre quidem in iudicio politico, non tamen in Ecclesiastico? Nihil minus. In utroque differunt.

189. Tertia differentia, quam assignas, sumitur ex modo

ex modo iudicandi & exequendi. 1. quia Iudex politicus habet potestatē condendi leges, & iuxta eas iudicandi. Ecclesiasticus non potest leges condere, sed debet iuxta Scripturam iudicare. 2. Ille potest in aliquo casu discedere à rigore legis scriptæ, & ex aequo & bono iudicare. Hic non item. 3. Ille potest extrema vi cogere cōtumaces ad executionem: Hic gladio tantum spirituali. Hæc omnia confirmas plurimis Scripturæ testimonijs, quæ iam sæpe ad naufragium inculcasti, & nunc iterum repetis.

190. Nec tamen efficis, quod optas. Primo, quia sicut Iudex politicus habet potestatem condendi leges in rebus adiaphoris; sic etiam Ecclesiasticus. Et sicut ille potest nunc statuere, nunc abrogare leges de rebus adiaphoris, modò salua sit lex naturalis & diuina, sic etiam hic potest in suo genere. Nullum igitur est discriminis. Secundò, sicut Iudex Ecclesiasticus veteris Testamenti in nullo casu poterat discedere à rigore legis ceremonialis; ita nec Iudex politicus à rigore legis iudicialis. Nam de utraque lege intelligendum est illud, Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Et ca. 5. 1. *Audi Israel ceremonias atque indicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.* Et Iosue 1. 7. *Custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses seruus meus, ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram.* Nec in novo Testamento discriminis est. Nam sicut Iudex politicus potest discedere à rigore legis ciuilis, quæ purè humana est; non tamen à rigore legis naturalis aut diuinæ: sic etiam Iudex Ecclesiasticus potest discedere à rigore legis Ecclesiastæ, purè humanae, modo non agat contra legem naturalem aut diuinam. Nihil certius.

191. In executione vtriusque iudicij fateor aliquam esse differentiam ; sed quæ optime cohæreat cum ijs, quæ à me dicta sunt. Differentia est hæc. Iudex sacerdotalis cogit contumaces externa vi ad executionem: Ecclesiasticus, excommunicatione, & alijs remedijs Ecclesiasticis. Per hanc differentiam non euertitur hæc analogia : sicut lex ciuilis est Norma, quam sequitur Iudex sacerdotalis in controuersijs ciuibus; ita sacra Scriptura est Norma , quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in controuersijs fidei.

192. Quartam differentiam sumis ex parte Iudicis, hoc modo. In iudicio ciuali, supremus Iudex , à quo omnes inferiores Iudices dependent , est aliquis Rex vel Princeps, ex hominibus constitutus, qui non minus falli & errare potest, quam inferiores Iudices. At in iudicio fidei ac religionis, supremus Iudex non est homo, qui falli potest; sed Deus, qui falli non potest , & à quo alij pendent.

193. Hic tripliciter erras. Primo, quia Deus absolute loquendo, non tantum est supremus Iudex in causis Ecclesiasticis, sed etiā in ciilibus : Nec soli Ecclesiastici Iudices, sed etiam sacerdtales ab eo , tanquam à supremo Iudice, dependent. Est enim *Rex Regum, Dominus Dominantium, Iudex viuorum & mortuorum.* (1. Timot. 6. 15. Act. 10. 42.) Et quilibet Iudex sacerdotalis, in hoc officio Dei minister est, ut clare explicat Apostolus Roman. 13. 4. *Non sine causa gladium portat : Dei minister est.*

194. Deinde, sicut post Deum supremus Iudex in controuersijs ciilibus est Rex vel Imperator: ita similiter supremus post Deum , in controuersijs fidei ac religionis , est Praelatus Ecclesiæ : *Quod mirum est, te hic negare, cum antea concesseris, his verbis*

verbis : *Non negamus summum Pontificem veteris Testamenti fuisse iudicem controuersiarum, & quidem tanquam Præsidem primarium in Concilio superiori.*

195. Denique falsum est , supremum iudicem in controuersiis ciuilibus non minus errare posse, quam inferiores iudices ; præsertim cum sermo sit de veteri Testamento. Ibi enim inferiores errare poterant; non poterat supremus, ut §. 120. ostensum est.

196. Manet igitur salua Analogia , quam posui. Nec obstat (quod tu obiicis) eam ex Scriptura à me probatam non esse. Satis est, ita certam, claram, & perspicuam esse, ut ex Scriptura refelli à te non potuerit. Reliqua, quæ addis, partim vera, partim ante refutata sunt. Et vix aliquid superest, quod egeat noua responsione. Itaque transeo ad argumenta quæ obiicis.

C A P V T III.

Dissoluuntur argumenta Gardij.

1. **D**Vplicia sunt argumenta , quæ obiicis. Alia pugnant pro Scriptura ; alia contra Pontificem. Priora contendunt , solam Scripturam esse infallibilem iudicem : posteriora , Romanum Pontificem non esse infallibilem iudicem. Si priora valebent , nihil opus esset posterioribus. Vtraque tamen examinanda sunt, eo ordine, quo à te proponuntur.

I. ARGUMENTVM GARDII.

Pro Scriptura.

2. **H**oc sic proponis. Quicunque primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia & capite eius ; ille est supremus & infallibilis controuersiarum iudex.

At sola Scriptura primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia & eius capite.

Ergo sola Scriptura est supremus & infallibilis controuersiarum iudex.

3. Minorem probas quadrupliciter. 1. Ex ipsius rei evidentia ; quia ex sola Scriptura primariò & infallibiliter demonstratur , esse Ecclesiam toto orbe dispersam & Christum esse ipsius caput. 2. Ex Augustino & Chrysostomo, qui idem sentiūt. 3. Ex praxi & concessione Catholicorum. Quando enim volunt probare, Ecclesiam esse infallibilem, & non posse deficere, & Pontificem esse caput illius, non aliunde id probant, quam ex Scriptura. 4. ratione , quia non potest aliis esse iudex , quam Scriptura. Non enim potest esse vel Ecclesia , vel Pontifex , quia de utroque est quæstio. Nemo autem est iudex sui ipsius, nisi solus Deus.

R E S P O N S I O.

4. **R**espondeo cum distinctione. Nam terminare & definire quæstionem , potest dupliciter intelligi. 1. per modum iudicis. 2. per modum normæ. Vterque enim, tam iudex , quam norma dicitur terminare

minare & definire quæstionem ; sed diuerso modo. Iudex per modum causæ efficientis. Norma, per modum causæ exemplaris. Vnde sicut aliud est Architectus, qui domum ædificat ; aliud Idea , secundum quam ædificat : sic etiam aliud est iudex, qui effecti-
nè definit & terminat controuersiam ; aliud norma,
secundum quam definitur & terminatur contro-
uersia.

5. Posita hac distinctione, duplex formari potest syllogismus. Prior ; qui primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia & illius capite, per modum iudicis, ille est supremus & infallibilis controuersiarum iudex : sola Scriptura primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia & illius capite , per modum iudicis : Ergo sola Scriptura est primarius & infallibilis controuersiarum iudex. In hoc syllogismo, minor falsa est. Nam Scriptura non terminat & definit illam quæstionem per modum iudicis, sed per modum normæ.

6. Posterior ; qui primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia , per modum normæ , ille est suprema & infallibilis controuersiarum norma : sola Scriptura primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia per modum normæ : Ergo sola Scriptura est suprema & infallibilis controuersiarum norma. In hoc syllogismo maior vera est hoc sensu, qui primariò & infallibiliter terminat controuersiam de Ecclesia per modum normæ, ille est suprema & infallibilis norma controuersiæ de Ecclesia. Falsa hoc sensu : qui primariò & infallibiliter terminat controuersiam de Ecclesia per modum normæ, ille est suprema & infallibilis norma omnium controuersiarum. Nam duplex est norma,

ut s^epe dixi, Scriptura & traditio. Igitur aliquæ controuersiæ terminantur per Scripturam ; aliquæ per traditionem ; aliquæ per vtramque simul. Hinc patet, quid de minori & conclusione sentiendum sit. Nam si ita subsumas in minori; Sola Scriptura primariò & infallibiliter terminat controuersiam de Ecclesia ; inferenda erit hæc conclusio : Ergo sola Scriptura est suprema & infallibilis norma controuersiæ de Ecclesia. Quæ, etiū concedatur, nihil obest nostræ causæ.

7. Ad reliqua argumenta, quibus minorem propositionem probasti, sic respondeo.

Ad 1. Ex Scriptura, tanquam ex norma; primariò & infallibiliter demonstratur, esse Ecclesiam toto orbe diffusam, & Christum esse illius caput.

Ad 2. Augustinus & Chrysostomus eodem sensu intelligendi sunt.

Ad 3. Catholici ex Scriptura, tanquam ex norma, probant Ecclesiam esse infallibilem. Quod autem Pontifex sit illius caput, non quidē primarium (quod est Christus) sed secundarium seu vicarium; probant partim ex Scriptura, partim ex traditione.

Ad 4. Ecclesia potest definire per modum iudicis, quis sit legitimus Scripturæ sensus, ut tu ipse fateris: Ergo potest definire per modum iudicis, quod ex legitimo Scripturæ sensu constet, non aliud in hac vita, quam Ecclesiam, esse iudicem controuersiarum.

8. At nemo, inquis, potest esse iudex sui ipsius, nisi solus Deus. Respondeo, si ita est, iugulas te ipsum. Quod sic ostendo. Nemo nisi Deus potest esse iudex sui ipsius: Scriptura non est Deus: Ergo Scriptura non potest esse iudex sui ipsius: Ergo quando oritur controuersia de Scriptura, debet esse alius iudex.

Dicen

Dicendum igitur est, Ecclesiam posse esse Iudicem sui ipsius, ut aperte testatur Deus per Prophetam, Isaiae 54.17. cum ait: *Omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis.* Et patet ex praxi ipsius Ecclesie, quæ à tempore Apostolorum hucusque, semper declarauit pro hereticis habendos esse, qui ipsius doctrinam oppugnarent. Hinc in Concilijs Ecclesiasticis visitata est illa verborum formula: *qui aliter sentit, anathema sit.*

9. Obiicies, Ergo eodem modo Scriptura potest esse sui ipsius Iudex. Respondeo. Prius probandum est, esse Iudicem. Deinde videndum, an possit esse sui ipsius Iudex. Et certum est, non posse, quando oritur controuersia de ipsius sensu. Tunc enim alio Iudice opus est, qui illius sensum ac mentem infallibiliter interpretetur. De Ecclesiæ sensu, vel non solet oriri controuersia; vel si qua oritur, facile per viuam ipsius vocem tolli potest. In qua re magna est differentia inter Scripturam & Ecclesiam. Nam Scriptura, quod semel dixit, non repertit. Ac proinde, quod semel obscure ab ea dictum est, manet obscure dictum, quantum est ex parte ipsius. At Ecclesia, quod semel dixit, potest repetere: ideoque, si quid semel obscure ab ea dictum esset, potest clarius ab ea postea explicari.

**I I . A R G V M E N T V M
G A R D I I**

Pro Scriptura.

10. **A** Lterum sic proponis. Quidquid complectitur & explicat iudicia Domini in controvërsiis religionis & cultus, immediata inspiratio-ne Spiritus sancti prolata, ideoque penitus infallibilia, illud, loco iphius, supremi & infallibilis iudicis of-ficio in iisdem fungitur.

Sola Scriptura complectitur & explicat iudicia Domini in controvërsiis religionis & cultus, imme-diata inspiratione Spiritus sancti prolata, ideoque penitus infallibilia.

Ergo sola Scriptura, loco ipsius, supremi & infal-libilis iudicis officio in iisdem fungitur.

Maiores probas, quia Deus est supremus & in-fallibilis iudex controvërsiarum. Isaiæ 33.22. *Domi-nus iudex noster, Dominus legifer noster.* Et Iacobi 4.12. *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* Idem vero est, siue Deus viua voce, siue scripto suam sententiam pronunciet.

Minorem probas variis Scripturæ testimoniis, in quibus verbum Dei, & præcepta eius appellantur *iudicia Domini.*

R E S P O N S I O.

II. **R** Epondeo. Nomen iudicij (quantum ad hunc locum attinet) duobus modis sumi-potest. 1. Pro sententia iudicis, seu pro auctuali deci-sione controvërsiarum, quam iudex facit inter partes litigan-

litigantes. 2. pro lege, vel Norma, vel præceptis, quæ in pronuncianda sententia seu decisione controuersiarum seruari debent.

Si igitur priori modo usurpas nomen iudicij, neganda est minor propositio. Non enim Scriptura complectitur & explicat actualē decisionem omnium controuersiarum, quæ hoc tempore disputantur, ut cap. 2. ostensum est: sed tamen complectitur Normā seu Regulam, iuxta quam fieri debet actualis controuersiarum decisio; non totalem, sed partialem.

Testimonia vero Scripturæ, in quibus Verbū Dei Scriptum, & præcepta eius appellantur *iudicia Domini*, intelligi debet posteriori modo. Appellatur enim *iudicia Dei*, id est, præcepta judicialia, quæ seruanda sunt à Iudice, quando sententiam pronunciat. Hoc patet ex iis ipsis testimoniis, quæ à te citata sunt. V. G. Exod. 24. 3. *Moses narravit plebi omnia verba Domini atque iudicia*, id est, præcepta judicialia, de quibus c. 21. 22. & 23. actum erat. Item Leuit. 18. 4. *Facie iudicia mea, & præcepta mea seruabitis*. Vbi per iudicia, intelliguntur præcepta judicialia, quæ ad iustitiā colendam spectant. Per præcepta vero, præcepta ceremonialia, quæ ad cultum Dei referuntur.

13. Alia duo testimonia, quibus probas Deum esse supremum Iudicem controuersiarum, non valent ad hoc institutum. Nam illud Isaiæ, *Dominus Index noster, Dominus Legifer noster*, intelligitur de Christo, quatenus est Iudex operum seu factorum; non autem, quatenus est Iudex controuersiarum inter partes litigantes de fide ac religione.

Illud vero Iacobi: *Vnus est Legislator & Index, qui potest perdere & liberare*, intelligitur de Deo, quatenus est Iudex occulotorum, ut patet ex contextu. Vult enim

enim Apostolus ostendere, non conuenire homini,
sed soli Deo, ut iudicet alios de occulta intentione
factorum. *Vnus, inquit, est Legislator & Iudex, qui potest*
perdere & liberare. Tu autem, quis es, qui iudicas proximi-
num? Eodem sensu dicit aliis Apostolus, Rom. 14.4.
Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Et 1. Cor. 4.5.
Nolite ante tempus iudicare, quo ad usque veniat Domi-
nus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & mani-
festabit consilia cordium. Itaque haec testimonia nihil te
iuuant. Non enim agunt de Iudice controversiarum
fidei ac religionis, sed de Iudice factorum & con-
scientiarum.

III. ARGUMENTVM GARDII.

Pro Scriptura.

14. **H**oc sic proponis: Cui Spiritus sanctus tri-
buit officium, vim, & facultatem iudicandi
in causis fidei & religionis, ille vere in iisdem Iudex
est. Scripturæ sacræ Spiritus sanctus tribuit officium,
vim, & facultatem iudicandi in causis fidei & reli-
gionis.

Ego Scriptura sacra vere in iisdem Iudex est. Ma-
iorem probas, quia cui conuenit definitio, & pro-
prium eidem conuenit definitum, & id cuius est pro-
prium.

Minorem confirmas ex Scriptura. Isaiae 2.3. *De Sion*
exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem: Et iudicabit
gentes, & arguet populos multos. Et Ioann. 5.45. Nolite
putare, quod ego sim accusator vos apud Patrem: Est,
qui accusat vos Moses. Accusare vero & iudicare, hoc
loco

loco sunt æquipollentia. Et Ioa. 12. 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Et Rom. 2. 12. *Quicunq[ue] in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Et Apocal. 20. 12. *Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Et Hebi. 4. 12. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio anticipit,* &c.

RESPONSIo.

15. **R**espondeo cum distinctione. Nam officium, **I**us & facultas iudicandi non tantum conuenit Iudici, qui effectiū iudicat, & sententiam inter litigantes pronunciat; sed etiam legi seu Normæ, secundum quam sententia Iudicis pronunciatur, ut saepe dictum est. Itaque maior propositio vera est hoc sensu; Cui Spiritus sanctus tribuit officium, vim & facultatem iudicandi effectiue, per modum Iudicis, is vere Iudex est. Sed minor falsa. Non enim Scripturæ tribuit officium iudicandi effectiue per modum Iudicis, sed obiectiue, per modum Normæ.

16. Testimonia Scripturæ, quæ adducis, nihil efficiunt. Primum est, Isaiæ 2. 3. *Iudicabit gentes & arguet populos multos.* Hoc intelligitur de Christo, non de Scriptura.

Secundum est, Ioann. 5. 45. *Est qui accusat vos Moses. Vbi accusare non est idem, quod iudicare, ut tu putas.* Nam ut supra dixi c. 2. §. 9. Christus distinguit tres personas. 1. Mosen accusatorem. 2. Deum Patrem Iudicem. 3. Iudeos, qui accusantur à Mose, & iudicantur à Deo Patre.

Tertium est, Ioannis 12. 48. *Sermo quem locutus sum,*

sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Ad hoc responsum est c.2. §.13.

Quartum est, Rom. 2. 12. *Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Nempe, tanquam per Normam, non tanquam per Iudicem. Iudicabuntur enim à Deo Iudice, iuxta illam legem, quam transgressi sunt.*

Quintum est, Apocal. 20. 12. *Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris. Hoc intelligitur de extremo die iudicij, in quo iudicabuntur opera: non autem de hac vita, in qua iudicantur controvèrsiæ fidei. Est autem hic sensus, Mortui iudicabuntur à Christo Iudice secundum ea, quæ scripta sunt in libris conscientiarum.*

Sextum est, Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei & efficiax, &c. Hoc non intelligitur de Verbo Deo scripto, ut tu interpretaris, sed de Verbo Dei in creato, ut ostensum est c.1. §.51.*

I V. A R G V M E N T V M G A R D I *Pro Scriptura.*

17. **H**oc est tale. Quod essentia sua est immediata & infallibilis vox & doctrina Spiritus sancti de vera religione & cultu Dei, illud, loco Spiritus sancti, est supremus, infallibilis & absolutus Iudex controvèrsiarum.

Sola Scriptura essentia sua est immediata & infallibilis vox & doctrina Spiritus sancti de vera religione & cultu Dei.

Ergo sola Scriptura est supremus, infallibilis & absolutus

solutus Iudex controversiarum.

Maior, inquis, non eget probatione. Minorem probas quadruplici genere testimoniorum Scripturæ. Nam aliqua testantur, Scripturam esse vocem Dei. Alia, Scripturam esse à Deo inspiratam. Alia, Scripturam id dicere, quod Deus dicit. Alia denique Spiritum sanctum, quasi præsentem loqui ea quæ in Scriptura legimus.

R E S P O N S I O.

18. **R**espondeo. Et maior & minor propositio falsa est. Maior quidem, quia non quidquid est vox & doctrina Dei de vera religione & cultu, est Iudex controversiarum. Nam Deus multa dixit & docuit de vera religione & cultu, quæ non dixit & docuit, tanquam Iudex, sed tanquam supremus Dominus & Princeps, tanquam legislator, tanquam conditor veteris ac noui Testamenti. V.g. dixit & docuit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nō potest intrare in regnum Dei.* Item, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Item, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis.* Hæc non dixit & docuit, tanquam Iudex controversiarum, quia cum illa diceret & doceret, nulla erat controversia inter homines de Baptismo, Eucharistia, & Absolutione, cùm nihil adhuc expresse de eiusmodi Sacramentis auditum esset: Sed dixit & docuit, tanquam noui Testamenti conditor & legislator.

19. Minor etiam falsa est, quia non sola Scriptura, sed etiam Traditio est vox & doctrina Dei. Imo vox & doctrina Dei prius fuit tradita, quam scripta. Neque tunc minus erat vox & doctrina Dei, quan-

do non erat scripta, quam nunc, postquam scripta est. Porro quadruplicia illa testimonia, quæ adducis ad probandam minorem, nihil omnino probant. Non enim valent hæ consequentiæ. 1. Scriptura est vox Dei: Ergo sola Scriptura est vox Dei. 2. Scriptura est à Deo inspirata: Ergo sola Scriptura est vox Dei. 3. Quod Scriptura dicit, hoc Deus dicit: Ergo sola Scriptura est vox Dei. Quartò, Spiritus sanctus quasi præfens loquitur ea, quæ in Scriptura legimus: Ergo sola Scriptura est vox Dei. Si apud vos valent, habetis nouam Dialecticam, sicut & nouam fidem.

V. ARGUMENTVM GARDII

Pro Scriptura.

20. **H**oc est huiusmodi Quidquid ab ipso Deo ideo inspiratum & dictatum est, ut de articulis fidei & religionis Christianæ ad salutem necessarijs, certo & infallibiliter nos erudiat, veram doctrinam confimeret, falsam rejiciat & condemnet, illud, loco Dei, fungitur officio supremi & infallibilis Iudicis in controversijs fidei & religionis.

Scriptura sacra ab ipso Deo ideo inspirata & dictata est.

Ergo Scriptura sacra fungitur officio supremi & infallibilis Iudicis in controversijs fidei & religionis.

Maiorem sic probas, quia proprium officij arguit ipsum officium: At certo & infallibiliter pronunciare de articulis fidei ad salutem necessarijs, veram doctrinam assertere, falsam damnare, proprium est officij supremi

supremi & infallibilis Iudicis controuersiarum : Ergo arguit ipsum officium supremi & infallibilis Iudicis. Minorem probas ex Scriptura. Exodi 24. 12. Et Deut. 17. 18. Et Deut. 31. 24. Et 4. Reg. 22. 13. Et Lucæ 1. 2. Et Rom 15. 4.

RESPONSIÓ.

21. Respondeo Illud officium, quod describitur in maiori propositione, non est proprium Iudicis, sed commune Iudicij & Normæ: sed diverso modo, ut supra dixi. Nam Iudex per modum causæ efficientis; Norma per modum causæ exemplaris, infallibiliter nos erudit veram doctrinam confirmingando, falsam reiiciendo. Vnde maior propositio debet distingui. Vera est hoc sensu. Quidquid à Deo inspiratur, ut nos infallibiliter erudiat per modum Iudicis, fungitur officio Iudicis. Falsa hoc sensu. Quidquid à Deo inspiratur, ut nos infallibiliter erudiat per modum Normæ, fungitur officio Iudicis. Similiter minor vera est, si intelligatur de Norma: falsa, si de Iudice. Non enim Scriptura à Deo inspirata est eo fine, ut nos erudit per modum Iudicis, sed per modum Normæ. Nec aliud probant testimonia à te citata. Singula tamen percurram.

22. Primum est, Exodi 24. 12. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem & mandata, quæ scripsi, ut doceas eos.* Sensus est, Dabo tibi decem præcepta decalogi in tabulis lapideis à me scripta, ut doceas filios Israël. Hinc tu infers; Ergo decē præcepta decalogi ideo data sunt, ut sint Iudex controuersiarum. Ego sic infero; Ergo data sunt, ut sint Norma,

secundum quam viuere debeamus. Utet rectius?

Secundum est in Deut. 17. 18. Postquam Rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, legetque illud omnibus diebus vita sua: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, qua in lege præcepta sunt. Hic etiam non agitur de Deuteron. tanquam de Iudice controuersiarū, sed tanquam de Norma seu lege, quā Rex in vita & moribus iubetur sequi & obseruare.

Tertium est in Deuteron. 31. 24. Postquam scripsit Moses verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium. Hic tu vim ponis in illis verbis, Ut sit ibi contra te in testimonium. Quæ putas sic accipienda esse; Ut iudicet te, vel, ut sit Iudex controuersiarum apud te. Erras. Verus sensus colligitur ex eo, quod immediate sequitur: Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: Quantio magis cum mortuus fuero? Sunt verba Mosis ad populum seu filios Israël. Quasi dicat; Ne post meam mortem contentiose agatis contra Deum (sicut sæpe egistis) & pertinaciter negetis, vos ab eo legem Deuteronomij accepisse; volo, ut liber iste, in quo scripta est lex Deuteronomij, recondatur in arca, & diligenter custodiatur à Leuitis; ut si aliquando contingat vos Deo rebelles esse, & malitiose obtendere, quod nihil sciatis de lege vobis data; possit ipsum exemplar vobis exhiberi, & contra vestram contumaciam in testimonium veritatis proferri. Ex quo sensu, qui verissimus est, nihil aliud sequitur, quam librum Deuteronomij

Deuteronomij positum fuisse in arca, ut esset testis contra Iudæorum contumaciam, non autem ut esset iudex controuersiarum.

Quartum est, 4. Reg. 22. 13. Vbi Iosias Rex loquens de volumine legis, ait: *Non audierunt Patres nostri verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est nobis.* Hinc infers; Ergo Scriptura huius libri est iudex controuersiarum. Belle, ut soles. Sic potius; Ergo Patres nostri non secuti sunt normam vitæ ac morum, quæ illis præscripta est.

Quintum est, Lucæ 1.2. Vbi Euangelista reddit causam, cur ad Theophilum scripsiterit historiam de Christo, his verbis: *Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quid hinc efficis? Nimirum, solenne illud, quod soles: Ergo Euangelium Lucæ est iudex controuersiarum. Quasi verò, qui cunque liber eo fine scribitur, ut veritas innotescat, statim controuersiarum iudex dicendus sit.

Sextum est, Rom. 15. 4. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Id est, quæcunque in Scriptura veteris Testamenti scripta sunt, præsertim de Christo (de illo enim citauerat illum versiculum ex Psalm. 68. *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*) ad nostram, qui Christiani sumus, instructionem & imitationem scripta sunt; ut exemplo eorum, quos Scriptura commemorat aduersas res patienter sustinuisse, & inde cōsolationem percepisse, discamus etiam nos aduersa patienter ferre, & firmam spem consolationis concipere, quam Deus tempore aduersitatis largiri solet. An etiam hinc concludes, Scripturam esse iudicem controuersiarum? Mirus artifex es.

Septimum est. 1. Corinth. 4. 6. *Hæc autem, fratres, trāfiguraui in me & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est unus aduersus alterum infletur pro alio.* Hic maiusculis litteris notas illa verba, **N O N S V P R A I D, Q V O D S C R I P T V M E S T S A P E R E.** Sed quos sum, nescio. Sensus Pauli est; *Quæ haec tenus dixi contra nouam gloriationem Magistrorum, itemque cōtra eos, qui aiunt, Ego sum discipulus huius Magistri. Ego illius, Ego istius: Hæc omnia transfiguraui in me & Apollo, id est aliorum personam in nos duos transtuli, & de ijs sub nostro nomine locutus sum, ut nostro exemplo discatis, non amplius inflari, & gloriari, & contentiones ferere, sed modeste de vobis loqui & sentire, sicut ego supra de me scripsi & locutus sum, c. 2. 2. Non iudicaui me sci-re aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Hinc fortasse sic cōclades: Non debetis plus vobis arrogare, quam quod ego de me supra scripsi: Ergo Scriptura ideo inspirata est, ut sit Iudex controversiarum. Reliqua testimonia, vel eiusdem momenti sunt, vel iam sæpe explicata.

VI. & VII. ARGUMENTVM

GARDI

Pro Scriptura.

23. **S**extum nihil differt à præcedentibus, nisi modo proponendi. Est autem tale. Quod tanquam immediatum verbum & iudicium suum in rebus diuinis ipse Deus Ecclesiæ commendauit, ut ab eo certam, perspicuam, & infallibilem sententiam & doctrinam de vera religione & cultu, fide & moribus, peteret;

peteret; id ipsum, loco Dei, est supremus & infallibilis iudex controversiarum fidei & religionis. Scripturam sacram, tanquam immediatum verbum & iudicium suum, in rebus diuinis ipse Deus Ecclesiae commendauit, ut ab ea certam, perspicuam, & infallibilem sententiam & doctrinam de vera religione & cultu, fide & moribus peteret.

Ergo Scriptura sacra, loco Dei, est supremus & infallibilis iudex controversiarum fidei & religionis.

Maiorem ais per se claram esse. Minorem confitmas plurimis Scripturæ testimoniis, quæ nihil aliud conuincunt, quam quod à Scriptura, tanquā à norma vel regula debeamus petere doctrinam de fide & moribus. Quod non nego.

24. Septimum est eiusdem momenti, quod sic proponis. Cuius iudicium & sententiam, loco Dei, p̄ij in veteri Testamento, in dubiis religionis & cultus principaliter secuti sunt, is fuit supremus & infallibilis iudex controversiarum, & adhuc est.

Scripturæ iudicium & sententiam loco Dei, p̄ij in veteri Testamento, in dubiis religionis, & cultus principaliter secuti sunt.

Ergo Scriptura fuit supremus & infallibilis iudex controversiarum, & adhuc est.

Maior certa est, inquis. Minorem probas diuersis exemplis.

Primo, quia Rubenitæ, Gadditæ, & dimidia tribus Manasse, secuti sunt iudicium & sententiam Scripturæ, in decisione illius controversiæ, An ipsi rectè fecissent, exstruendo altare in suis finibus? Cui decisioni non solum reliqui Israëlitæ, sed etiam Phinees Sacerdos acquieuit. (Iosue 22.)

Secundò, Iosaphat secutus est iudicium & sententiam Scripturæ, quando excelsa & lucos sustulit. (2. Paralip. 17. 6.)

Tertiò, Amalias, filius Ioas Regis Iuda, Scripturæ definitionem secutus est, non interficiendo filios eorum, qui patrem suum occiderant. (4. Reg. 14. 5.)

Quartò, Ezechias per omnia secutus est sententiam & præscriptum legis, celebrando Pascha mensa secundo. (2. Paralip. 30. 5.) constituendo sacerdotium & sacrificia quotidiana. (2. Paralip. 31. 3.) destruendo simulachra, lucos, excelsa, & nouam reformationem instituendo. (4. Reg. 18. 4)

Quintò, idem accidit tempore Iosiae, qui etiam reformationem diuini cultus instituit iuxta sententiam & iudicium Scripturæ. (4. Reg. 23. 3.)

Sextò, utrumque imitati sunt Iosue & Zorobabel, ac fratres eorum, post reditum è captiuitate Babylonica. (1. Esdræ 3. 2.)

Septimò, iudex in illa quæstione, an alienigenæ uxores essent retinendæ vel dimittendæ; non fuit Esdras, nec summus Pontifex, sed Scriptura. (1. Esdræ 10. 4.)

Octauò, instauratio cultus diuini facta est à Machabæo & fratribus eius, iuxta legem scriptam. (1. Machab. 4. 47.)

Nonò, quæstio de Messia, & de loco nativitatis Christi, à Scriptura decisa est. (Matth. 2. 5.)

Decimò, Christus Iudeis dixit, Ioan. 5. 38. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere.

Vndecimò, & Iudei Ioan. 9. 28. dixerunt: Tu discipulus illius (Christi) sis. Nos autem Mosis discipuli sumus.

Duodecimò , Pharisei in quæstione de libello repudij ad Mosen prouocabant. (Matth.19.7.) Saducæi ad eundem. (Matth.22.24.)

R E S P O N S I O .

25. **R**espondeo. Hæc omnia , quæ tam prolixè proponis, vñica distinctione diluuntur. Nam duplex est sententia seu iudicium. Altera iudicis, altera legis seu normæ, ut dictum est cap. 2. §. 15. & 17. Igitur pij homines in veteri Testamento securi sunt iudicium Pontificis, tanquā ordinarij iudicis. (Deut. 17.) Et rursus, securi sunt iudicium Scripturæ, tanquam normæ seu legis, ut probant exempla à te allata. Est autem magnum discrimen inter sententiam iudicis & legis. Nam sententia iudicis tunc solum exquiritur, quando orta est controuersia de aliqua re ad fidem vel religionem pertinente. At sententia legis seu normæ, semper necessaria est ; etiam in rebus clarissimis, vbi nulla potest esse controuersia. Semper enim tenentur pij homines sequi sententiam & iudicium Scripturæ, quando ipsa , tanquam norma seu lex, præcipit aliquid vel prohibet.

26. Circa exempla à te allata notandum est, falsum esse, quod ais, Rubenitas & Gadditas, ex Scriptura definiuisse quæstionem, an bene fecissent, nouum altare apud Iordanem erigendo. Non definiirent ipsi quæstionem, sed cum accusarentur ab aliis Israëlitis de idololatria, quasi recessissent à vero Deo, & nouum altare falsis diis erexissent ; inuocarunt Deum iudicem, & testati sunt, se nō recessisse à Deo, nec altare contra ipsius præceptum erexisse. Verba illorum sunt hæc : *Fortissimus Deus Dominus, ipse nouit,*

uit, si prænarrationis animo, hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti: Et si ea mente fecimus, ut holocausta & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse querat & iudicet, &c. Ex quibus verbis constat, eos tanquam reos & iniuste accusatos prouocasse ad Deum iudicem, & testatos esse conscientiam suam, se non peccasse contra mandatum Dei, quo iubebatur populus Israëliticus habere tantum vnum locum sacrificij, & vnum altare. (Leuit. 17.8. Et Deuter. 12.5. & sequentibus.)

Addo, Scripturam in hac quæstione non potuisse esse iudicem. Non enim erat quæstio, An absolute liceret nouum altare erigere, sed, An liceret erigere eo animo, ut ibi offerrentur sacrificia? Israëlitæ putabant illos erexisse eo animo. Illi negabant. Scriptura non potuit hanc litem dirimere. Ideo non prouocarunt ad Scripturam, sed ad Deum, qui nouit internas hominum cogitationes, & dixerunt: Si malo animo ereximus, puniat nos Deus.

VIII. ARGUMENTVM GARDII

Pro Scriptura.

27. **O**ctauum eiusdem farinæ est, quod sic proponis. Ad cuius indicium & sententiam infallibilem, Christus in disputationibus de vero cultu Dei, & grauissimis fidei quæstionibus, cum Satana, Iudæis, Pharisæis & Sadducæis habitis, potissimum prouocauit, is sine ullo dubio, loco Dei & Spiritus sancti, absolute supremus & infallibilis est controversiarum religionis iudex.

Ad

Ad iudicium & sententiam Scripturæ sacræ infallibilem, Christus in disputationibus de vero cultu Dei & grauissimis fidei quæstionibus, cum Satana, Iudeis, Pharisæis, & Sadducæis habitis, potissimum prouocauit.

Ergo sola Scriptura sacra, loco Dei & Spiritus sancti, absolute supremus & infallibilis est controuersiarum religionis iudex.

Maior est manifesta, inquis. Minorem probas his exemplis.

Primo, quia Christus disputans cum Satana, prouocauit ad Scripturam, dicens: *Scriptum est Matt. 4.4.*

Secundo, disputans contra Iudeos, prouocauit ad Scripturam Mosaicam, *Ioan. 5.45. Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moses.*

Tertio disputans contra Pharisæos prouocauit ad Scripturam in his quæstionibus. 1. An conuersandum & comedendum sit cum publicanis & peccatoribus? 2. An prophanetur sabbatum à discipulis esurientibus, spicas vellicando & manducando? 3. Quid faciendo, possit quis consequi vitam æternam? 4. An liceat homini quacunque de causa dimittere vxorem suam? 5. An iusto zelo reformatuerit templum? 6. An peccent pueri, acclamantes illi, *O sanna filio Dauid?* 7. Quod sit præceptum in lege maximum? 8. An Christus tantum sit filius Dauidis?

Quartò, disputans cum Sadducæis de resurrectione mortuorum, produxit Scripturam, & legitima consequentia ex ea demonstrauit, resurrecturos aliquando esse mortuos. *Matth. 22.29.*

R E S P O N S I O.

18. **E**adem est solutio huius argumenti, quæ præcedentium. Christus prouocauit ad Scripturam, tanquam ad Normam seu Regulam, quam Iudæi, Pharisæi, & Sadducæi admittebant. Nec aliud probant exempla, quæ aduerseris. Aliqua tamen, vel ne hoc quidem probant; vel omnino ad rem de qua agimus, non spectant. Cuiusmodi sunt hæc duo.

Vnum de Sarana. Nam ille non disputauit cum Christo de fide & religione, sed tentauit illum, ut habetur Matt. 4.1. *Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo, non ut disputaret.* Tentare autem tria significat. 1. Ad peccatum incitare. 2. Cognoscendi causas inquirere & explorare. 3. Dei potentiam experiri velle. Satan igitur tentauit Christum his tribus modis. 1. Quia incitauit illum ad peccandum, cum dixit, *Hac omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.* 2. Voluit inquirere & explorare, an esset Filius Dei: *Accedens tentator dixit, si Filius Dei es.* 3. Voluit experiri potentiam Dei: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Nec obstat, quod uterque Scripturam citauerit. Hoc enim non fecerunt studio disputandi: sed diabolus, ut tentaret Christum; Christus, ut illum confunderet. Alterum est Ioann. 5. 45. *Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moses.*

Hoc testimonium, ut sèpe dixi, nihil ad rem facit. Non enim Moses, id est, Scriptura Mosaica constituit hoc loco Iudex inter Christum & Iudæos, ut tu fingis, sed accusator Iudæorum apud Deum Iudicem.

29. Porro, quod in ultimo exemplo dicis, Christum

stum ex Scriptura per legitimam consequentiam demonstrasse ; resurrectos esse aliquando mortuos ; non quidem nego, sed tamen velim ex te, vel ex aliis Lutheranis intelligere ; quænam fuerit illa legitima consequentia ? Iam aliquot annos in hac quæstione desudastis, & nihil proficitis.

IX. ARGUMENTVM GARDII

Pro Scriptura.

30. **N**eque hoc differt à præcedente. Et est huiusmodi. Ad quem, loco Spiritus sancti, in doctrina vera confirmanda, & falsa confutanda, prouocarunt Apostoli, is loco Spiritus sancti, absolute supremus & infallibilis est controuersiarum religionis Christianæ Index.

Ad solam Scripturam sacram, loco Spiritus sancti, in doctrina vera confirmanda, & falsa confutanda, prouocarunt Apostoli.

Ergo sola Scriptura sacra, loco Spiritus sancti, absolute supremus & infallibilis est controuersiarum religionis Christianæ Index.

Maior clara est, inquis: Quia Apostoli quoque fuerunt controuersiarum Iudices. Si ergo ad alterius iudicium prouocarunt, certe eum omnium supremam & infallibilem autoritatem in iudicando obtinere necesse est.

Minorem probas exemplo trium Apostolorum Petri, Pauli, & Iacobi, qui varia doctrinæ Christianæ capita ex Scripturis confirmarunt.

RES

R E S P O N S I O.

34. **R**espondeo. Non opus est noua solutione. Apostoli prouocarunt ad Scripturam , tanquam ad Normam , quam in doctrina fidei ac religionis sequi debeamus. Non tamen ad solam Scripturam, ut tu fingis. Nam Apostolus Petrus Act.15.7. disputans de circumcitione, non prouocauit ad Scripturam, sed ad historiam rei gestæ, quæ tunc temporis nondum erat scripta, ut cap.2. ostensum est. Similiter in posteriori Epistola canonica cap. 1.17. disputans de Christi diuinitate, non solum prouocauit ad prophetiam veteris Testamenti, sed etiam ad vocem Dei Patris, *Hic est Filius meus dilectus*. Item Paulus & Barnabas in Concilio Apostolorum, volentes ostendere, gentiles sine circumcisione saluari posse, prouocarunt ad miracula , quæ in gentilium conuersione per ipsos erant patrata. (Act.15.12.) Denique Paulus commendauit Traditiones, 2.Theffalon.2.14. *Itaque fratres state, & tenete Traditiones.*

X. A R G V M E N T V M
G A R D I I*Pro Scriptura.*

32. **H**oc sic proponis: Cuius iudicium & definitionem, tanquam ipsius Spiritus sancti, principaliter secuti sunt Patres in Conciliis Ecclesiasticis; ille loco Spiritus sancti, absolute supremus & infallibilis est controversiarum Iudex. Scripturæ iudicium & definitionem, tanquam ipsius Spiritus sancti, principaliter secuti sunt Patres in Conciliis Ecclesiasticis.

Ergo

Ergo Scriptura loco Spiritus sancti , absolute supremus & infallibilis est controuersiatum Iudex.

Minorem probas variis Conciliorum exemplis.

R E S P O N S I O.

33. **R**espondeo. Quia semper repetis idem argumentum, accipe vicissim eandem solutionē. Tria tamen speciatim hic notanda sunt. Vnum est, quod inconstans sis. Nam alibi fateris Pontificem in V. T. itemque Apostolos & Concilia in N. T. fuisse Iudices controuersiarum: Et Scripturam fuisse Normam, quam illi in decidendis controuersijs securi sint. Vnde concludo, si Scriptura respectu Concilio-rum fuit Norma: Ergo respectu eorundem non fuit Iudex.

34. Alterum est, quod cites multa Concilia, quę vestram doctrinam oppugnant. Vel ergo citas illa, tanquam legitima, vel tanquam illegitima. Si tanquam legitima, debes agnoscere à legitimis Conciliis damnatos vos esse. Si tanquam illegitima, non potes ex illis legitime aliquid probare.

35. Tertium est, quod fraudulenter afferas Constantīnum Imperatorem in Concilio Nicæno remisisse Episcopos ad iudicium & sententiam Scripturæ. (ex Socrate lib.1.hist.Ecclesiast.c.7.) Quasi Constantinus sua auctoritate id fecerit, & Episcopis in Con- cilio præfuerit. At contrarium ex Socrate colligitur. Nam loco citato de Constantino sic scribit: *Cum autem iam uniuersi conuenissent, preparatus erat à Rege locus amplius in Regia, instruclius subselliis, & soliis, quæ Episcoporum numero sufficere possent; atque ita debito ipsis honore habito, iussit introire, & consultare de re proposita,*

posita. Ipse quoque cum paucis postremus omnium ingressus est, & parvo in solio posito assedit prefatus veniam prius, & petita concessione ab Episcopis. Estne hoc præsidere in Concilio?

XI. ARGUMENTVM GARDII

Pro Scriptura.

36. **H**oc ita proponis. Cuius iudicium infallibile veteres Orthodoxi Patres in controvërsiis & disputationibus de religione non solum agnouerunt, sed etiam iudicio omnium Conciliorum & Patrum prætulerunt, is supremus ipsis & infallibilis fuit controvërsiarū fidei & religionis Christianæ Index.

Solius Scripturæ iudicium infallibile veteres & Orthodoxi Patres in controvërsiis & disputationibus de religione non solum agnouerunt, sed etiam iudicio omnium Conciliorum & Patrum prætulerunt.

Ergo sola Scriptura illis supremus & infallibilis fuit controvërsiarum fidei & religionis Christianæ Index. Maorem dicis evidentissimam esse. Minorem probas multis Patrum testimonij.

R E S P O N S I O.

37. **R**espondeo. Peccas contra doctrinam, quam defendis. Nam doctrina tua est, controvërsias ad fidem & religionem pertinentes ex sola Scriptura decidendas esse. At controvërsia, de qua agimus, pertinet ad fidem & religionem : Ergo, iuxta tuam

tuam doctrinā, ex sola Scriptura decidenda est. Quorsum ergo tot Patrum testimonia in medium adducis, & ex iis controversiam decidis? Vel enim Patres in hac controversia fallibles, vel infallibilēs sunt: Si fallibles frustra à te citantur. Si infallibilēs, iam non sola Scriptura infallibilis est.

38 Deinde maior propositio argumenti tui falsa est. Nam, ut sāpe dixi, duplex est iudicium. Aliud Iudicis; aliud Legis seu Normæ. Patres agnouerunt infallibile iudicium Scripturæ, non ut Iudicis, sed ut Normæ. Ut ergo vera sit propositio, debet sic explicari: Cuius iudicium infallibile Patres agnouerunt, is fuit ipsis vel Index, vel Norma infallibilis. Minor etiam falsa est. Nam Patres non solum agnouerunt infallibile iudicium Scripturæ sed etiam Traditionis. Hoc supra ostendi. Taceo de mala fide, qua usus es in citādis Patrum quorundam testimoniis. Sed nihil hoc noui est.

XII. ARGUMENTVM GARDII.

Pro Scriptura.

39 **H**oc est eiusmodi. Cui proprietates & conditio-
nes supremi Iudicis Ecclesiastici competunt,
is vere est supremus controversiarum religionis Christianæ Index.

Soli Scripturæ proprietates & conditiones supremi Iudicis Ecclesiastici competunt.

Ergo sola Scriptura vere est supremus controversiarum religionis Christianæ Index Minorem probas, quia proprietates & conditiones supremi Iudicis Ecclesiastici potissimum sunt quatuor.

Prima, ut exortis controversiis, ab omnibus libere

Opusc. To. V.

Aa sem

semper adiri & audiri possit.

Secunda, ut superiorem, ad quem appellari possit,
non habeat.

Tertia, ut absolute sit infallibilis, ita ut nullo modo
errare & fallere queat.

Quarta, ut partes litigantes in conscientiis suis de
sententia vera & falsa conuincere; & ad hanc abiicien-
dam, illam amplectendam, efficaciter cogere possit.
Has omnes & singulas soli Scripturæ competere, pro-
bas ex Scripturis, quas paulo post examinabimus.

R E S P O N S I O.

Respondeo. Vel loqueris de supremo Iudice ab-
solute, vel de supremo, quem in hac vita visi-
biliter præsentem habemus. Si de priori, is non alius
est, quam Deus. Sed prima proprietas à te posita illi
non conuenit. Non enim ab omnibus semper adiri &
audiri potest. Non quidem immediate per se, ut con-
stat. Nec etiam mediate per Scripturam, quæ illius vox
est. Primo, Quia scriptura non est vox Dei, ut Iudicis,
sed ut supremi Principis ac Legislatoris. Non est vox
decidentis controvrsias sed præscribentis Normam
quam in fide & moribus sequi debeamus. Deinde, non
semper ab omnibus adiri & audiri potest. Nam ab
Adamo usque ad Mosen nulla fuit Scriptura diuina
quæ adiri vel audiri potuerit. Traditio sufficiebat.
Nulla itē Scriptura Euangelica vel Apostolica fuit ali-
quot annis post Christi mortem. Nam Matthæus pu-
tatur Euangelium scripsisse anno 8. post Christi Ascé-
sionem: Marcus decem post annis: Lucas quindecim:
Iohannes triginta duobus. Igitur si eo tempore exorta
fuisse aliqua controvrsia. Scriptura Euangelica ab
omnibus adiri & audiri non potuisset. Imo nec mul-

tis annis postea. Nam Baronius refert ex Hilario , nullam Scripturam fuisse in Gallia per aliquot centenos annos.

41 Si autem loqueris de supremo Iudice , quem in hac vita visibiliter praesentem habemus , dico Ecclesiam esse , non Scripturam . 1. Quia Ecclesia semper adiri & aadiri potest , ut iudex . 2. Ecclesia in hac vita non habet superiorem ad quem appellare possit . Matthæi 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit , su tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hic non datur locus appellationi . 3. Ecclesia infallibilis est , & errare non potest . Est enim *columna veritatis , & porta inferi non preueniebunt aduersus eam.* 4. Ecclesia potest partes litigantes in conscientiis de vera vel falsa sententia conuincere . Nec opus est , ut possit eas efficaciter cogere ad veram amplectendam , & falsam abiiciendam . Hoc enim nec Scriptura per se potest facere , nisi aliunde accedat singularis Dei gratia , quæ non minus datur iis , qui obediunt Ecclesiæ , quam qui Scripturam legunt & interpretantur .

41 Obiicis quidem aliquot testimonia , quibus probas Scripturam praestare id posse ; sed frustra . Primum est , Ioan . 17. 20. vbi Christus ait , *Non pro eis (Apostolis) rogo tantum , sed & pro eis , qui crediuri sunt per verbum eorum in me.* Verbum autem Apostolorum , inquis , non est extra Scripturam . Respondeo . Erat tunc extra Scripturam , quando ab initio prædicabant Euangelium , & multi per prædicationem illorum credebant in Christum . Deinde , non sequitur , Christus orat pro iis , qui per scripturam credunt in ipsum ; Ergo scriptura per se efficaciter conuincit partes litigantes ad veram sententiam amplectendam .

Secundum est , Rom . 1. 16. Non erubesco Euangelium.

Aa 2 Virtus

Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Respondeo.
Euangelium non accipitur ibi pro Scriptura vel voce Euangelij, sed pro rebus prædicatis per Euangelium; cuiusmodi sunt, mors & meritum Christi, Sacra menta, promissa & præcepta Euangelica. Hæc enim habent vim seu potentiam saluandi eos, qui in Christum credunt. Et illam vim non accipiunt à Scriptura Euangelica, quia antequam scriptum esset Euangelium, habebant eandem vim, quam nunc habent. Non enim minus potens erat mors & meritum Christi, quando viua tantum voce prædicabatur Euangelium, quam nunc est, quando etiam in Codice scriptum legitur.

44. Tertium est, 2. Timot. 3. 16. Omnis Scriptura diuinus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, &c. Respondeo. Aliud est, utilem esse: Aliud, efficaciter cogere ad amplectendam veram doctrinam. Fateor, Scripturam esse utilem ad ea, quæ dicta sunt. Nego, Scripturam efficaciter cogere partes litigantes ad amplectendam veram doctrinam. Nam si id faceret, nemo persisteret in falsa doctrina: Nemo in errore & hæresi. Contraū clamat experientia.

45. Quartum est, Hebr. 4. 12. Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipi. Respondeo. Non loquitur Apostolus de sermone seu Verbo Dei scripto, sed de sermone seu Verbo Dei increato. De quo Ioan. 1.1. In principio erat Verbum. Hoc iam saep dictum est.

46. Quintum est, 2. Petri 1. 10. Habemus firmiores propheticum sermonem, cui benefacitis attentes quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Respondeo. Nihil ad rem. Non enim sequitur: Scriptura prophetica est lucerna lucentis in loco caliginoso: Ergo efficaciter cogit ad veram

veram sententiam amplectendam. Certe non cogit
Iudeos.

ARGUMENTA GARDII.

Contra Pontificem.

47 **H**actenus responsum est ad duodecim argu-
menta, quibus conatus es probare, solam Scri-
pturam esse infallibilem controversiarum iudicem.
Non probasti hoc. Solum probasti, esse infallibilem
Normam, quam Iudex in decisione controversiarum
sequi debet. Supersunt alia duodecim argumenta
quibus contendis, Romanum Pontificem non esse
infallibilem Iudicem. Ea quanti momenti sint, dein-
ceps perpendendum est. Solum præmoneo, te plera-
que suffuratum esse ex Bellarmino, & solutionem,
quam Bellarminus adhibet, omisisse.

I. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

48 **P**rimum est tale: Cui nec à Christo, nec ab Apo-
stolis in nouo Testamento vñquam tributa est
summa authoritas & potestas iudicandi de controver-
siis fidei, is nec supremus earundem Iudex est.

Atqui Pontifici Romano nec à Christo, nec ab
Apostolis in nouo Testamento, vñquam tributa est
summa authoritas & potestas iudicandi de controver-
siis fidei.

Ergo nec Pontifex Romanus supremus earundem
Iudex est.

R E S P O N S I O.

49 **R**espondeo. Maior distingueda est. Nam illa particula, *Tributa*, potest dupliciter intelligi. 1. vt tribuere idē sit, quod re ipsa dare. Et sic solus Christus potuit tribuere, id est, re ipsa dare alicui supremam authoritatem & potestatem iudicandi de rebus fidei, non item Apostoli, 2. vt tribuere sit idem, quod externa voce vel signo agnoscere ; quo pacto is , qui Petrum vocat Apostolum, censetur illi tribuere dignitatem Apostolicam : non quod re ipsa donet illi dignitatem, quam antea non habuerit; sed quod externo signo profiteatur, & agnoscat illum habere dignitatem, quæ ab alio illi data est.

50 Si ergo maior propositio sumitur priori modo, non debent nominari Apostoli, sed solus Christus, hoc modo: Cui Christus in N. T. non dedit supremam authoritatem & potestatem iudicandi, is eam non habet Pontifici non dedit: Ergo P̄otifex eam non habet. Iam vera est maior; falsa minor. Nam Christus eam authoritatem & potestatem dedit Petro, & illius successoribus, vt postea videbimus.

51 Si autem sumitur posteriori modo, debet esse hic sensus: Quem nec Christus, nec Apostoli externo signo testati sunt habere supremam authoritatem & potestatem iudicandi, is eam non habet: Sed nec Christus, nec Apostoli testati sunt Pontificem habere supremam potestatem iudicandi: Ergo Pontifex eam non habet. Iterum falsa est minor.

52 Sed queris, quo verbo vel signo id testati sunt? Respondeo. Si queris de verbo vel signo scripto, non opus est exhibere. Si de verbo vel signo Tradito, in promptu est. Verbum traditum, est Traditio, quoniam p

majoribus accepimus. Signum traditum, est praxis Ecclesiæ, quæ tot seculis fuit usurpata. Et quidem ex Traditione habemus hæc duo i. Petrum fuisse Vicarium Christi, Caput, Pastorem, & Rectorem totius Ecclesiæ. 2. Pontificem Romanum, cum pari potestate Petro successisse.

53 Prior pars de Petro, asseritur passim à Patribus tam Græcis, quam Latinis. Quorum aliqui expresse illum vocant *Vicarium Christi*, ut Anselmus ad capit. 16. Matthæi. Alij expresse *Caput Ecclesiæ*, ut Hieronymus in Psalm. 13, & Philo Carpatherius in Cantica. Alij *Caput fidelium*, & *Pastorem gregis Dominici*, ut August. in libro quæstionum veteris ac noui Testamenti, quæst. 75. Alij aliis verbis eandem rem explicant, ut idem Augustinus tract. 124 in Euangelium Ioannis: *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumna: cuius Ecclesia Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam.* Et Maximus Taurinensis homilia 3, in Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Quanti igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post nuncula parua remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?* Et D. Chrysostomus hom. 80. ad populum Antiochenum: *Petro per totum terrarum Orbem Ecclesia presidentiam tradidit.* Et Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium Augustum: *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, omnium Apostolorum Principi Petru ratione Ecclesiæ cura commissa est.* Ipsi quippe diciuntur, *Pasce oves meæ.* Similia habent alijs,

54 Posterior pars, de Pontifice successore Petri, & que certa est apud Patres. De qua Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, sic scribit: *Negare non posset, scire te in urbe Roma Petro primam Cathedram Epistola-lem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Ca-*

petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, post pauca, Iulio Liberius, Liborio Damasus, Damaso Siricius, cum quo totus Orbis in una communionis societate concordat.

55 Et August. Epist. 165. ad Generosum: Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenii Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Et Philippus Presbyter in Concilio Ephesino, tom. 2. c. 16. Nulli dubium, ino saeculis omnibus notum est, S. Petrum Apostolorum Principem & Caput Ecclesiae Catholice fundamentum per successores suos hucusque semper viuere, causasque decerueré, semperque victurum esse. Huius ordinarius successor Papa Cælestinus, nos ad hanc Synodus misit. Et ut alios omittam, D. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam cap. 8. Age, indagemus adhuc diligenter, qui sis, quam personam geras in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, sumus Pontifex, Princeps Episcoporum, haeres Apostolorum: Primatu Abel, gubernatu Noe, dignitate Aaron, potestate Petrus. Tu es, cui ones credit & sunt. Sunt quidem & ali gregum Pastores, sed tu tanto glorioius quanto & differenter præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi uniuersi crediti sunt. Nec modo ouiam, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.

56 Habes Traditionem & consensum Sanctorum Patrum. Ex quo sic concluso. Quicunque est Vicarius Christi, Caput & Pastor totius Ecclesiae, is sine dubio habet supremam post Christum authoritatem & potestatem iudicandi: Petrus & eius successor est Vicarius Christi, Caput & Pastor totius Ecclesiae.

Ergo

Ergo habet supremam post Christum autoritatem & potestatem iudicandi. Si petis alia argumenta ex Scripturis, dabo in responione ad proximum argumentum, quod sequitur.

II. ARGUMENTVM GARDIL.

Contra Pontificem.

57 **A**lterum est tale: Quod nec Petro, nec reliquis Apostolis competit, illud multo minus de Pontifice Romano affirmari debet aut potest.

Supremum esse Iudicem controversiarum religionis Christianæ, nec Petro, nec reliquis Apostolis competit.

Ergo multo minus de Pontifice Romano affirmari debet aut potest. Minorem probas.

Primo, quia nusquam in tota Scriptura noui Testamenti legitur, vel Petrum, vel alium quemuis Apostolum à Christo constitutum esse supremum controversiarum Iudicem.

Secundo, omnes Apostoli æqualem acceperunt à Christo authoritatem & potestatem, Ioan. 20. 21.

Tertio, nec Petrus, nec Iacobus, nec aliis quispiam ex Apostolis, sed Spiritus Sanctus fuit supremus controversiarum Index in Concilio Hierosolymitano, iuxta id: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.*

Quarto, Paulus Hierosolymam profectus, contulit Euangelium suum non tantum cum Petro, sed etiam Iatobo & Ioanne. Hi enim æque, ac Petrus, videbantur esse aliquid (Gal. 2. 2.) Et tamen diserte scribit, illos nihil sibi contulisse.

Quinto, quin & Iacobum Petro præponit dicens;

*Jacobus, & Cephas, & Ioannes dexteras dederunt mihi
(Gal. 2.9.)*

Sextò accedit, quod Antiochiae in faciem illi restitit, eo quod non recte incederet ad veritatem Evangelij. (Gal. 2.11.)

Septimò, & alibi scribit, nihil minus ab his, qui sunt supra modum Apostoli. (2. Cor. 12.11.)

RESPONSI O.

56 **R**espondeo. Minor falsa est. Nam Petrus, post Ascensionem Christi, fuit supremus Index controvèrsiarum fidei in terra. Hoc confirmant testimonia eorum Patrum, qui appellant illum Vicarium Christi, Caput & Rectorem totius Ecclesie; quae paulo ante citata sunt. Nec obstant probationes, quas in contrarium adfert. Ad quas sic respondeo.

57 Ad 1. Nuspiam quidem in Scriptura legimus hæc verba, Petrus est supremus Iudex controvèrsiarum; sed tamen legimus alia, ex quibus illud datur. Primo legimus, Pontificem V. T. fuisse supremum Iudicem controvèrsiarum, ut tu ipse fateris. At Petrus in N.T. non habuit minorem autoritatem, quam Pontifex in veteri. Secundò legimus, Petro dictum esse à Christo, *pascere oves meas*, Ioan. 2. 17. Sicut David dictum est, *Tu pasces populum meum Israël*. 2. Reg. 5 2. Utroque loco, pascere idem est, quod regere & gubernare.

Sicut ergo Dauidi data est potestas gubernandi populum Israëliticum in temporalibus; ita Petro data est potestas gubernandi populum Christianum in spiritualibus. Et sicut Dauid, ratione illius potestatis, erat Iudex in temporalibus; ita Petrus in Spiritualibus.

58 Dices forte cum Lutherò, pascere idem esse, quod pabulum præbere. Respondeo. Pascere idem est,

quod

quod officium pastorale exerceat. Officium autem pastorale includit tres actus pastorales. 1. est, pabulum præbere, & ad pascua ducere, Ezech. 34. 2. *V& pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur?* 2. est, infirmas oves sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere. Ezech. 34. 5. *Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset Pastor, & factae sunt in deorationem omnium bestiarum agri.* Et infra v. 15. *Ego pascam oves meas. Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiам.* 3. est, praesesse, regere, iudicare, cogere, punire. 2. Reg. 5. 2. *Tu pasces populum meum Israel, id est, reges seu gubernabis, ut patet ex verbis sequentibus, & tu eris Dux super Israel.* Et Psalm. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Græce est τοιμανεῖς αὐτοῖς, id est, pasces eos. Et Ezech. 34. 17. *Vós autem greges mei, hac dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietum & hircorum.* Et v. 20. *Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue & malcentum.* Et v. 22. *Iudicabo inter pecus & pecus.*

59 Vnde sic concludo: Christus cum dixit Petro, *Pasce oves meas,* commisit illi officium pastorale, respectu omnium Christianorum: (nullum enim exceptit.) Ergo dedit illi potestatem exercendi officium pastorale. Officium autem Pastorale est, oves ad pascua duce-re, infirmas curare, dispersas colligere; inter probas & vitiosas iudicare, inter pabulum & pabulum discer-nere, quantumcæs cogere, & ad ouile compellere, lu-pos arcere. (Quæ omnia, ut patet ex Scripturis citatis, & potissimum ex Ezechiele, non tatum intelligun-gur de Pastore brutarum otium, sed etiam de Pastore Ecclesiæ.) Ergo Petrus habuit potestatem hæc omnia, praestandi, respectu totius Ecclesiæ. Potuit igitur, ratio-ne offi-

ne officij Pastoralis , Euangelium prædicare , Sacra-
menta administrare, peccantes corrigere , errantes re-
ducere, inter veram & falsam doctrinam discernere, ad
vunitatem Ecclesiæ compellere , hæreticos & alios ho-
stes arcere. Et sic explicant antiqui scriptores. Orige-
nes in cap.6.ad Rom. Gregorius lib.4. Epist. 32. Theo-
phylactus & Euthymius ad cap. 21. Ioan. Eucherius in
Vigilia S. Petri, & plures alij.

60 Ad 2. Apostoli acceperunt à Christo æqualem au-
thoritatem & potestatem , excepto priuilegio Prima-
tus, quod soli Petro concessum est. Ambrosius in c.2.
ad Galatas : *Soli Petro gratia Primatus inter Apostolos est
concessa.* Et Augustinus tract. 56. in Ioannem. *Quis nesciit
primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum?* Et
Leo serm. 3. de anniversario die assumptionis suæ ad
Pontificatum: *Unus de toto mundo Petrus eligiur qui &
uniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cun-
ctisque Ecclesiæ Patribus preponatur: ut quamvis in populo
Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores , omnes tamen
propre regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et
Basilius orat. 3. de peccato : *Petrus omnibus aliis discipu-
lis antepositus fuit.* Et Epiphanius hæresi 51. *Deus elegit
Petrum, ut esset dux suorum discipulorum.* Et Ephrem ser.
de transfiguratione Domini : *Sicut Moses veteris, sic Pe-
trus noui Testamenti princeps est.* Vide plura Patrum te-
stimonia apud Coccium tom. i. lib. 7. art. 4.

61 Ad 3. Ex eo quod scriptum est, Act. 15. 28. *Visum
est Spiritui sancto & nobis, non recte infers, nec Petrum,*
nec Iacobum, nec alium quempiam ex Apostolis, *fuisse
supremum Iudicem controveneriarum , sed Spiritum
Sanctum.* Nam sicut in illo Concilio Apostolico, sic
etiam in aliis Conciliis quæ legitime celebrantur, da-
tur assistentia Spiritus Sancti, iuxta Christi promissio-

nem; Matth. 18.20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, nempe per gratiam & directionem Spiritus Sancti, de quo, Ioan. 16.13. Ille vos docebit omnem veritatem.* Vnde sicut in illo Concilio dictum fuit, *Visum est Spiritui Sancto & nobis,* sic etiam in Niceno, Ephesino, Constantinopolitano, Chalcedonensi dictum est, vel dici potuit. Et quando vos Lutherani celebratis vestra conuenticula, non dicitis opinor, *Visum est diabolo & nobis,* sed, *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* At sicut hinc non sequitur, neminem in Concilio Niceno, Ephesino, Constantinopolitano, & Chalcedonensi fuisse Praesidem seu supremum Iudicem, nisi Spiritum Sanctum; sic etiam non sequitur, neminem in Concilio Apostolorum fuisse Praesidem seu supremum Iudicem, nisi Spiritum Sanctum.

62. *Vbi notandum est, Spiritum Sanctum in Conciliis per se non proferre sententiam, per modum Iudicis, sed adesse ibi per suam gratiam, & dirigere singulos, qui intersunt, ac potissimum eos, qui praesident cum authoritate, ne a veritate aberrent.* Vnde sicut hac directione seu assistentia non obstante, vos nihilominus asseritis, Imperatores fuisse supremos Iudices in Conciliis generalibus; sic eadem non obstante, nos asserimus, Petrum in Concilio Apostolico, & successores Petri in aliis Conciliis, cum auctoritate praesidissemus. 63. Ad 4. Verum est, Paulum contulisse Euangeliū suū cum Petro, Iacobo & Ioanne; Et hos nihil illi contulisse. Sic enim de seipso scribit, Galatarum 2.2. *Contuli cum illis Euangeliū, quod prædico in gentibus.* Et infra, *Miki qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* At hinc non recte infertur, omnes Apostolos fuisse pares: Nisi velis has duas consequentias negare. 1. Paulus non solum contulit cum Petro suū

Euan

Euangelium, sed etiam cum Iacobo & Ioanne: Ergo Petrus non erat maior Iacobo & Ioanne. 2. Petrus, Iacobus, & Ioannes nihil contulerunt Paulo: Ergo Paulus etat illis æqualis. Vtraque ridicula est. Prior quidem, quia potest aliquis vel consilium, vel doctrinam suam confetere cum pluribus, qui auctoritate non sint pares. Posterior vero, quia illa verba Apostoli, nihil mihi contulerunt, habent hunc sensum; Euangeliū meum ipsi approbarunt, nihil mutando, addendo, aut detrahendo, Hoc constat ex contextu. Nam aliqui Iudaizantes persuadebant Galatis, Euangelium Pauli non esse conforme Euangelio Petri & Iacobi, eo quod Paulus diceret, sufficere fidem in Christum sine circumcidione & lege Mosaica; cum tamen Petrus & Iacobus ceremonias legis Mosaicæ obseruarent. Igitur Paulus defendit suum Euangelium, & dicit se illud contulisse cum Petro & Iacobo, eosque illud approbatum.

64 Ad 5. Nec ex eo, quod Iacobus nominetur ante Petrum (Galat. 2. 9.) Iacobus & Cephas, & Ioannes dextras dederunt mihi, potes inferre, Iacobum Petro fuisse dignorem vel eminentiorem. 1. Quia diserte ait, fuisse omnes pares: quomodo ergo vis unum alteri præferre? 2. Quia Apocalypsis 1. 4. Angeli nominantur ante Christum. Gratia eis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: Et a septem Spiritibus; qui in conspectu throni eius sunt, & a Iesu Christo, qui est testis fidelis. An hinc inferes, Angelos Christo præferendos esse? Denique, si Iacobus semel nominatur ante Petrum; Petrus vicissim saepissime nominatur ante omnes Apostolos, ut Matth. 10. 2. Marc. 3. 16. Act. 1. 13.

65 Ad 6. Fateor Paulum restituisse Petro in faciem, ut ipsemet fatetur, Galat. 2. 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

Non

Non in fide, sed in facto; quia cum aliqua gentilium offensione simulabat Iudaismum. At hinc nō sequitur, Petrum auctoritate non fuisse superiorem Paulo. Imo multi Patres ex hoc ipso loco docent, superiores posse corrigi ab inferioribus, quando sit cum debita humilitate & charitate, vt. August. Epist. 19. Cyprianus Epist. ad Quintinum de hæreticis rebaptizandis, Gregorius homil. 18. in Ezechielem, D. Thom. in 22. q. 33. art. 4. ad 2.

66 Ad 7. Denique cum Paulus ait 2. Cor. 12. 11. *Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli,* non loquitur de Iurisdictione vel auctoritate, sed de laboribus, & passionibus pro Christo susceptis, vt ipsemet explicauit cap. 11. 5. *Existimat me nihil minus fecisse à magnis Apostolis.* Et infra, *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, &c.*

III. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

67 **H**oc sic proponis. Quicquid Christus Apostolis, omnibusque eorum successoribus diserte interdixit: illud Pontifici Romano concedi nec debet, nec potest.

Atqui Christus Apostolis, omnibusque eorum successoribus diserte interdixit, ne vel seipso reliquis, quoad dominium & principatum in Ecclesia præferrent, vel supremos in questionibus fidei iudices appellari paterentur.

Ergo Pontifici Romano quoque concedi nec debet, nec potest.

Minorem tu probas ex his Scripturæ testimoniis,
Matth.

Matth. 20.25. Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et Matth. 23.8. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et infra: Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est, Christus: Qui maior est vestrum, erit Minister vester.

RESPONSIo.

68 R Espondeo. Maior vera est; minor distingueda. Nam in dominio & principatu Ecclesiastico duo spectari possunt. 1. Potestas, auctoritas, & iurisdictio Ecclesiastica. Hanc Christus non interdixit, sed constituit & ordinauit. 2. Modus vtrandi hac potestate, auctoritate & iurisdictione. Qui duplex est: Alter coniunctus cum humilitate, charitate & modestia; Alter cum fastu, ambitione, & nimia dominandi licentia. Hunc posteriorem modum interdixit; priorem commendauit. Et hoc probant testimonia Scripturaræ à te citata.

69 Nam quando Christus dixit, Principes gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos: Non prohibet absolute, quin unus possit maior esse altero; sed monet, ne quis qui maior est, superbe extollat se supra alios. Et hoc confirmat suo exemplo. Nam cum ipse esset maior Apostolis, non gerebat se in moribus; tanquam superiorē, sed tanquam ministram. Idem vult facere alios Ecclesiæ Prælatos. Vult, ut ipsius exemplo, sint humiles: non autem exemplo Principum gentilium, sint superbi, elati, dominatiui.

70 Similiter, quando dixit, Nolite vocari Rabbi, aut Magistri, non prohibet absolute; ne quis vocetur Rabbi

Rabbi autem Magister: Sed prohibet, ne quis in hac re imitetur Phariseos, de quibus dixerat. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis; & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Mox subdit: *Vos autem nolite vocari Rabbi:* Nempe, more Phariseorum, qui propter huiusmodi titulos erant tam tumidi ac superbi, ut reliquis omnibus tam in cathedris, quam in mensis & salutationibus, præferri se vellent.

71. Quod autem non absolute prohibeat eiusmodi titulos, dupliciter confirmari potest. Primo, quia sicut prohibet vocari Rabinos & Magistros, sic etiam prohibet vocari Patres. Et Patrem, inquit, *nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater uester, qui in cœlis est.* At non prohibet, ne quis prærogatiuam illius nominis sibi vendicet, quæ soli Deo debetur, ut explicat Apostolus Ephes. 3. 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Secundo, quia si absolute prohiberet nomen Rabbini & Magistri, peccasset Paulus Apostolus, quando vocauit se *Doctorem genium.* 1. Timoth. 2. 7.

IV. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

72. **H**oc sic proponis. Quibus post Apostolorum tempora in primitiâ Ecclesia, suprema & vniuersalis iurisdictio in causis religionis concessa non fuit, iis etiam omnibusque eorum successoribus, titulus supremi & generalis controversiarum, religionis Iudicis minime competit.

Episcopis Romanis post Apostolorum tempora, in
Opusc. To. V. Bb primitiua

primitiva Ecclesia, suprema & vniuersalis iurisdictio
in causis religionis concessa non fuit.

Ergo Episcopis Romanis, omnibusque eorum suc-
cessoribus titulus supremi & generalis controvrsia-
rum religionis Iudicis minime competit.

Minorem probas variis exemplis. 1. Quia Anicetus
Papa non potuit persuadere Polycarpo, vt eodem die
cum ipso Pascha celebraret, 2. Quia Polycrates &
Irenæus restiterunt Victori Papæ Ecclesiæ Asiaticæ
excommunicanti. 3. Cyprianus Stephanum Papam
nō agnouit Iudicem in cōtrouersia de hæreticis reba-
ptizandis. 4. Idem Cyprianus dicit non esse minorem
authoritatem Episcoporum in Africa, quam Romani
Pontificis 5. Concilium Nicenum decernit, vt Episco-
pus Romanus tantum præsit Ecclesiæ Romanæ. 6.
Concilium Constantinopolitanum primum: & Calce-
donense patem potestatem tribuunt Episcopo Con-
stantinopolitano & Pontifici Romano. 7. Concilium
Milenitanum decernit, vt non liccat Episcopis Africa-
nis appellare ad Romanum Pontificem. 8. Ipsius
Pontifices Romani supremam & vniuersalem iurisdi-
ctionem Ecclesiasticam & illius titulum recusarunt.

RESPONSI O.

73. **R**espondeo. Minor propositio, quam tot exem-
plis confirmare frustra conatus es, falsa est.
Nam certò constat ex antiquis scriptoribus, Pontifi-
cem Romanum semper habuisse supremam & vniuer-
salem iurisdictionem in totam Ecclesiā. Quod tripliciter
confirmo.

74. Primo, Ex duplice illo principio quod supra pro-
posui. Vnum est, Petrum habuisse vniuersalem iuri-
sictionem in totam Ecclesiam. Alterum Pontificem
in

in illa iurisdictione Petri successorem esse. Vtrumque multis Patrum testimoniis demonstrauit.

75. Secundò, ex effectu. Nam Pontifex semper exercuit potestatem & iurisdictionem in alios Episcopos, Et quidem tribus modis. 1. Eos confirmando. 2. Deponendo. 3. Restituendo. Leo Papa confirmauit Maximum Episcopum Antiochenum, & Anatolium Episcopum Constantinopolitanum. Agapetus Papa depo-
suit Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum. Damasus Flauianum Episcopum Antiochenum: Sixtus Tertius Polychronium Episcopum Hierosolymitanum. Iulius primus restituit tres Episcopos, Athanasium, Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum. Hæc omnia inuenies apud Bellarminum lib. 2. de Pontifice c. 18.

76. Tertiò, Ex alio effectu. Nam Pontifex Romanus solet leges concedere pro tota Ecclesia, dispensare in certis casibus, & contumaces excommunicare. De legibus & constitutionibus Pontificum legatur Ius Canonicum: quod tametsi à Lutherò vestro combustum sit, non desunt tamen sat multa exemplaria. De dispensationibus vide Bellarminum loc. cit. cap. 19. De excommunicatione plurima extant exempla. Innocentius primus excommunicauit Arcadium Imperatorem, & Eudoxiam, Gregorius II. Leonem Isauricum. Adrianus Desiderium Longobardorum Regé. Gregorius VII. Henricum Imperatorem. Martinus Petru Aragoniæ Regem. Innocentius II. Siciliæ Rogerium Regem. Adrianus IV. Gulielmum Siciliæ Regem. Alexander III. Fridericum Imperatorem & Henricum Angliæ Regem. Hæc & similia exempla in historiis pastum obvia sunt. Vide Baronium in Annalibus.

77. Exempla, quæ in contrarium obiicis, vel subdole ac fraudulentiter à te citata sunt; vel mihi potius patrocinatur quam tibi. Hoc sigillatim ostendam de singulis.

Primo obiicis, *Anicetus Polycarpo persuadere nō potuit*, ut suum Pascha obseruandi morem deponeret, apud Euseb. lib. 5. c. 23. Hoc eo sensu obiicis, quasi Anicetus Papa conatus sit persuadere Polycarpo, & Polycarpus non voluerit acquiescere. Quod constat falsum esse. Nam Euseb. quem tu citas, sic habet: *Cum B. Polycarpus Rome sub Aniceto ageret, ac propter alia minuta quædam inter se discrepasse, de hoc vero capite nihil inter se contendebant. Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, ne seruaret, quæ cū Ioāne discipulo Domini nostri, ac reliquis Apostolis seruarat: nec Polycarpus Aniceto suavit, ut seruaret, qui sibi Presbyterorum quibus successerat, consuetudinem seruandam esse dicebat. Et cum ista sic haberent communionem inter se habuerunt. Ex quibus verbis perspicuum est, inter Anicetum & Polycarpum nullam fuisse contentiōnem de die Paschatis. Neuter enim volebat alterum à sententia deducere, quia videbant id commode fieri non posse. Et hoc significant illa verba, Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, id est, non volebat, quia commode non potuisset.*

78. Secundo obiicis, Polycrates & Irenæus restituerunt Victori Papæ, Asiaticas Ecclesias excommunicanti. Respondeo. In facto Victoris duo spectari possunt. 1. Potestas excommunicandi. 2. Causa excommunicationis. Igitur Polycrates & Irenæus non negarunt Victorem habere potestatem excommunicandi Episcopos Asiae (ut bene notat Baronius tomo 2. Annalium, Anno Christi 198.) sed negarunt causam excommunicationis fuisse sufficientē, & ideo illi restituerunt.

runt. Causa excommunicationis erat haec, quæ non vellet celebrare Pascha eo die, quem Victor constituerat.

79. Tertio obiicis, Cyprianus Stephanum Papam non agnouit Iudicem in controversia de hereticis rebaptizandis. Respondeo. Tria hic certa sunt. 1. Cyprianum errasse in illa controversia, ac proinde auctoritatem ipsius in hac re non valere. 2. Eudem peccasse, quod non voluerit Stephano Pontifici obedire, ut scribit Augustinus l. 1. contra Donatistas c. 18. & alibi. 3. Non tamen peccasse contra fidem, sed contra obedientiam. Nam Stephanus Papa non definiuerat illam controversiam, tanquam de fide; sed solum præcepit, ut non rebaptizarentur heretici, ut fatetur ipse met Cyprianus in Epist. ad Pompeium,

80. Quartò obiicis, Cyprianus lib. 1. epist. 3. dicit non esse minorem auctoritatem Episcoporum Africæ, quam Pontificis Romani, in iudicio Ecclesiastico. Et hoc probas ex verbis illius, quæ sequuntur. *Nam cū statutum sit omnibus nobis, & aequum sit pariter ac instum, ut unusquisque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus presumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint: nisi paucis desperatis & perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis sudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vincitam, iudicij sui nuper gravitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est: iam de eis dicta sententia est.*

81. Respondeo. Tria hic discutienda sunt. 1. Quod sit illud statutum, de quo loquitur Cyprianus. 2.

2. Qui sunt illi pauci desperati & perditi, quos ait ab Episcopis damnatos esse. 3. Quo sensu intelligendum sit quod ait, *Nisi minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa.*

Est igitur prima quæstio, de quo statuto loquatur Cyprianus: Respondeo. Vel loquitur de statuto Fabiani Papæ, vel de aliquo simili, quod ex illo desumptum est. Statutum Fabiani habetur in Epistola ipsius tertia ad Hilarium Episcopum, his verbis: *Peregrina vero iudicis, salva in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus: quia indignum est, ab extermis ut iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerint appellatum. Vnde patet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiat, qui sunt in Provincia, Episcopis, quia non oportet accusatum alicubi quam in foro suo audiri.* Et paulò post: *Semper ibi causa agatur, vbi crimen admittitur. Et iterum: Placuit etiam, ut si Episcopus appellatur ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod eiusdem Sedis Pontifex statuerit.* Habetur hæc epistola tom. 1. Conciliorum, in decretis Fabiani Papæ. Ex hoc statuto colliguntur hæc duo. 1. Causam vniuersique libere illic andiri & iudicari, vbi admissum crimè est. 2. Licere tamen appellare ad Pontificem Romanum, tanquam ad supremum in Ecclesia iudicem. Quod tibi contrarium est.

81. Altera quæstio, Qui sunt illi pauci desperati & perditi quos ait Cyprianus ab Episcopis Africanis legitime damnatos esse? Respondeo. Sunt quinque, Schismatici Pseudoepiscopi, Priuatus, Felix, Iouinus, Maximus, Repostus, qui proper adulteria, stupra, & nefanda sacrificia legitime accusati, & ab Episcopis Catholicis in Africa damnati sunt. De quibus hæc scribit Cyprianus in Epistola citata. 1. quod Fortunatum

creuerint Pseudoepiscopum , contra Cyprianum, qui erat legitimus Episcopus. 2. Quod Felicem Romam miserint ad Cornelium Papam : non appellandi causa, sed fallendi & mentiendi. Dicebant enim Fortunatum legitime electum esse Episcopū à viginti quinque Episcopis; quod erat falsum, cum non fuerit electus, nisi à quinque Pseudoepiscopis. Dicebant Cyprianum non esse legitimū Episcopū. Hęc & similia dicebant , vt à Cornelio Papa reciperentur ad communionem Sedis Apostolicę, & Cyprianum cum aliis Episcopis facerent suspectū apud Pontificem. Sciebant enim , se pro hæreticis vel Schismaticis habendos , si Apostolicę Sedi communione carerent. De hac ipsorum fraude conqueritur Cyprianus. Vnde colligo hęc tria. 1. Cyprianum non negare quin licet appellare ad Pótificem, si appellatio sit iusta & legitima. 2. Reprehendere tamen mendacem ac fraudulentam appellationem; 3. Nō solum Cyprianum, sed etiam aduersarios ipsius agnoscere Pontificem esse supremum Iudicem in Ecclesia, quia certum persuasum habent , se non habendos pro hæreticis, si cum illo ad communionem admittantur.

83. Tertia quæstio , quo sensu intelligendum sit , quod Cyprianus ait, *nisi minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum?* Respondeo. Non debet sic intelligi, quasi non sit minor auctoritas Episcoporum Africæ, quā Romani Pótificis, in iudicio Ecclesiastico, vt tu putas. Nam si ab Episcopis licet appellare ad Pontificem ; necesse est, minorem esse Episcoporum, quam Romani Pótificis auctoritatem. Debet ergo sic intelligi , quod non sit minor auctoritas Episcoporum in Africa, quā in Gallia & aliis Provinciis. Ut hic sit sensus : Fabianus Papa generatim sta-

tuit, ut si quis Episcopus accusetur super certis criminibus, audiatur ab omnibus Episcopis, qui sunt in Prouincia; vbi crimina commissa sunt. Hoc statutū tā debet intelligi de Episcopis Africæ, quam aliarum Prouinciarum. Si ergo, vigore huius statuti, permis-
suim est Episcopis aliarum Prouinciarum iudicare Episcopum de criminibus in propria Prouincia com-
missis; etiam Episcopis Africæ id permissum est. Nam horum authoritas non est minor, quam aliorum. Hanc explicationem confirmant illa verba Cypriani, *Nam cum statutum sit omnibus nobis, id est, cum statutum Fa-*
biani pertineat & que ad omnes Episcopos, &c.

84. *Quintò obiicis, Concilium Nicænum decreuit, vt Episcopus R. manus curam ageret Suburbicarum Ecclesiarum in diœcesi Romana, sicut & Alexandrinus Ægyptiarum.* Et hoc probas ex Canone sexto, qui sic habet: *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia & Pentapolit, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam & Episcopo Romano parilis mos est.* Respondeo. Postrema pars huius Canonis Græce legitur, ἵνα τῷ ἐν τῇ ρώμῃ ἐπισκόπῳ τέτο τύμχει εἴσιν, id est, quoniā & Romano Episcopo id consultum est. Quæ verba (vt notat Bellarminus li. 2 de Pontifice c. 18.) reddunt rationem, cur Episcopo Alexandrino debeat esse subiecta Ægyptus, Lybia & Pentapolis. Est autem hæc ratio, quia Episcopus Romanus consuevit Alexandrino Episcopo illas tres Prouincias committere gubernandas. Qui sensus, si verus est, confirmat Primum Pontificis, non destruit.

85. Tu putas alium esse sensum, nempe hunc; *Sicut Alexandrinus Episcopus gerit tantum curam Ægypti & vicinarum Ecclesiarum; ita Romanus Episcopus Romæ & vicinarū Ecclesiarum;* Et hoc confir-

mas citando fragmentum octaui Canonis Arabici.
 Nam integrum Canonem citare ausus non es. Integer
 sic habet : *Constitutum est, ut Episcopus Aegypti, id est, Pa-*
triarcha Alexandrinus præsideat, & habeat potestatem totius
Aegypti, & omnium locorum, Ciuitatum & castellarum, quæ
sunt circa eam, quia sic conuenit. Si quidem similiter Episco-
pus Rom. id est, successor Petri Apostoli potestatem habet
omnium Ciuitatum ac locorum, quæ sunt circa eam. Ac simi-
liter Episcopus Antiochiae, id est, Patriarcha, potestatem habeat
Provincia illius totius, & eorum locorum, quæ circa eam sunt.
 Ex quo Canone duo colliguntur. Vnum est, Roma-
 num Pontificē esse Petri Apostoli successorem. Quod
 quia contra te est, non citasti integrum Canonem.
 Quæro nunc, An Canon sit legitimus nec ne? Si sit le-
 gitimus, legitimate per illum condemnātur Lutherani,
 qui negant Pontificem esse Petri successorem. Si non
 est legitimus, cur illum citasti? Alterum est, Canonem
 non loqui de Episcopo Romano, Antiocheno, & Ale-
 xandino, quatenus Episcopi sunt, sed quatenus Pa-
 triarchæ sunt. Assignat enim vniuersique suam ditionem
 Patriachalem, quæ singulis debetur, ratione dignitatis
 Patriarchalis. In Pontifice autem distinguenda est tri-
 plex dignitas. 1. Episcopalis. 2. Patriarchalis. 3. Pontifi-
 calis. Quatenus Episcopus est, gerit curā Ecclesiæ ve-
 bis Romæ: quatenus Patriarcha, vicinarum etiam Ec-
 clesiarum: quatenus Pontifex, omnium Ecclæsiarum
 totius Orbis Christiani.

86. Sextò obiicis, Concilium Constantinopolita-
 num primum & Chalcedonense parem authoritatem
 & potestatem tribuunt Episcopo Constantinopoli-
 tano & Pontifici Romano. Constantinopolitanum
 Canone tertio sic habet : *Constantinopolitanus Episcopus*
ebineto præcipuum honorem ac dignitatem post Episcopum
Romanum

Romanum, ideo quod Constantinopolis noua est. In Calcedonensi vero, Acto. 15. Can. 28. iudicant Patres Constatinopolim aquis cum Roma privilegiis frui debere. Respondeo, In priori Canone solum decernitur, ut Episcopus Constantinopolitanus habeat præcipuam dignitatem post Episcopum Romanum: Non autem, ut habeat parem dignitatem cum Episcopo Romano. Posterior Canon est clandestinus & subreptitus, quem Legati Pontificis nunquam approbarunt. De quo vide Baronium Tom. 6. Annalium, circa annum Christi 451. Et Bellarminum lib. 2. de Pontifice. c. 18.

87. Septimo obiectis, In Concilio Milenitano Canone 22. decernitur, ut non liceat Clericis Africanis appellare ad Pontificem. Respondeo. Hoc solum decernitur de Clericis, qui Episcopo inferiores sunt. Illi enim non possunt à suo Episcopo appellare ad Pontificem, sed ad alios Episcopos eiusdem Provinciarum. At Episcopi possunt appellare ad Pontificem, ut definitum est in Concilio Sardicensi Canone. 4. & 7. Quod etiam testatur Gelasius in Epistola ad Faustum, & Augustin in Epist. 162. Vnde sequitur Pontificem esse supremum Iudicem Episcoporum in tota Ecclesia.

88. Octauo obiectis; Ipsi Pontifices Romani recusarunt supremam & universalem iurisdictionem in causis & negotiis Ecclesiasticis. Quod quadruplici exemplo confirmas.

Primum est, Cum Marcion à Patre excommunicatus ad Episcopum Romanum configureret, & ab eo Vinculi solutionem peteret, respondit ille: Non possumus hoc absque permissione venerandi Patris tui facere. Una enim est fides, & una concordia, & non possumus aduersari bono Communitro nostro. (Ephiphanius hæres. Marcionist.

Respondeo. Epiphanius nullam facit mentionem Episcopi

Episcopi Romani. Solam ait Marcionem à Presbyteris petiuisse recipi in congregationem, & Presbyteros dixisse, *Non possumus*. &c. Sed esto : dixerit hoc Pontifex. Non dixit ex defectione iurisdictionis ex sua parte, sed ex defectu debitæ dispositionis in Marcione. Nam cum Marcion ob enorme crimen excommunicatus esset à suo parente, qui erat Episcopus, non debuit absoluī à vinculo excommunicationis, nisi prius de patrato crimine pœniteret, & parenti reconciliaretur. At Pontifex, aut Presbyteri Romani non poterant scire, an esset parenti, reconciliatus, & ab eo delicti veniam petiisset? Merito igitur dicebant se sine parentis testimonio & consensu nihil in hac re posse facere.

86. Secundum est, *Damasus in Epist. quæ num. 79.* exstat ita inter Epist. Ambrosij scribit: *Cum huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, ut finitimi Bonoso atque eius accusatoribus Iudices tribuerentur, aduertimus, quod nobis iudicandi forma competere non potest.* Respondeo. Non legisti illam epistolam; sed quod obiicis, ex Bellarmino transcripsisti, sicut & alia fere omnia. Debebas etiam solutionem Bellarmini ascribere: Et si vera esset, approbare, sint falsa, refellere. Sed hoc non poteras; illud nolébas. Duplex est solutio Bellarmini. Vna, non esse epistolam Damasi. Altera, etiāsi Damasi esset, nihil tamen ex ea colligi posse contra nos. Non enim dixisse Damasum (si tamen ipse dixit) se non posse iudicare ex defectu iurisdictionis; sed non conuenire, sed congruere, ut ipse iudicet, cum iam alij competentes Iudices à Cōcilio designati sint. Quod perinde est, ac si dicat Imperator: Cū Republica Coloniensis desigauerit certos Iudices in causa Baronis ibi habitantis, non cōpetit, ut ego iudicem. Sic enī seruatur ordo & pax in Imperio. Nam si illi recte iudicauerint, bene quidem;

Sin male, àd me potest fieri appellatio. Quid hinc colligis, Gardi? Nihil certe contra nos. Nec plus contra Pontificem, quam contra Imperatorem.

90. Tertium est, *Pelagius ait* (dist. 29. cap. Nullus) *Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnguam utatur; quia si unus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur.* Respondeo. Hæc verba defumpta sunt ex Epistola Pelagij Papæ ad illegitimum Synodū Constantinopolitanam, & habetur to.

2. Conciliorum in Decretis Pelagij. Scio te illam non legisse. Nam si legisses, non citares. Tota enim Catholica, & Lutheranæ sectæ contraria est. Agit ibi Pelagius contra Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, qui arrogabat sibi titulum vniuersalis Patriarchæ. Ac inter cætera sic scribit: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Ioānem Constantinopolitānum Episcopū, vniuersale se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodū conuocare generalem, cum generalem Synodus conuocandi autoritas Apostolice Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita; & nulla vnguam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta.*

Et paulò pòst: *Prædecessores vero Ioannis, & ipse Ioannes non semel, sed sèpissime epistolas & libelles propria manu subscriptos, sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil vnguam proterue contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius priuilegiis quicquam usurpare. Qui hactenus in archivio sanctæ Romanae Ecclesie sub sigillis ac Chirographis eorum roborati habentur integri.*

Et infra: *Sciat Ioannes, nisi errorem suum cito correxit, à nobis excommunicandum fore. Vniuersalitatis quoq; nomen, quod sibi illicite usurpauit, nolite attendere: nec vocatione eius ad Synodum, absque autoritate Sedis Apostolice, vnguam venire.*

Et mox sequitur : Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur: quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur.

91. Ex his verbis tria colligo. 1. Quod authoritas conuocandi Concilia generalia soli Pontifici Romano sit concessa: Et quod huiusmodi Concilia non sint rata, nisi ab ipso approbentur. 2. Quod Romanus Pontifex possit Episcopos & Patriarchas Orientales excommunicare, nisi pareant: Et quod ipsi agnoscant hanc Pontificis prærogatiuam. 3. Quod Episcopus Constantopolitanus, sub pœna excommunicationis, teneatur Pontifici parere, & nomen vniuersalis Patriarchæ deponere: Nec deinceps ullus alias Patriarcha ausit hoc nomen usurpare. Credis haec vera esse, Gardi? Si vera sunt, errant Lutherani, qui aliter sentiunt. Si falsa, cur ex iis patrocinium quæris? Forte non putabas, me tam rigide tecum acturum. Sed de hoc nomine iam iterum dicendum est.

92. Quartum, Gregorius I. saepe reprehendit titulum vniuersalis Episcopi, ut lib. 4. Epist. 32. *Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nolum sibi nomen usurpare presumit?* Sed absit à cordibus Christianorum nomen illud blasphemie, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Et lib. quarto, Epist. 39. *In isto scelesto vocabulo consentire, nihil aliud est, quam fidem perdere.* Et lib. 6. Epist. 30. *Ego fidenter dico; quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat; vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrat,* quia superbiendo, se ceteris præponit.

93. Respondeo. Gregorius, qui fuit proximus successor Pelagij, agit contra eundem Ioannem Constantinopolitanum; contra quem Pelagius egerat. Et eodem sensu; quo Pelagius, reprehendit illum, quod titulum

titulum vniuersalis Episcopi, vel Patriarche, vel Sacerdotis, sibi arrogauerit. Ut autem constet, quo sensu id fecerit, notandum est, haec duo distingui. 1. Dici vniuersalem Episcopum in Ecclesia. 2. Dici Episcopum vniuersalis Ecclesiæ: Prior titulus reprehenditur in Ioanne, posterior Pontifici conceditur. Et Gregorius dicit priorem esse profanum, blasphemum, & Antichristianum: Posteriorem ipse admittit.

Est autem hoc discrimen inter utrumque titulum. Qui dicit se esse vniuersalem Episcopum vel Sacerdotem, insinuat se solum esse Episcopum, & aliis omnibus derogat nomen & honorem Episcopalem. Et hoc fecisse Ioannem, testatur Gregorius, partim locis citatis, partim lib. 4. epist. 34. Cum ait: *Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coëpiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus.* Et epist. 36. ad Eulogium. Si unus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Et lib. 7. epist. 6b. ad Eusebium: *Nam si unus ut putat, vniuersalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.*

Qui autem dicit se esse Episcopum vel Pastorem vniuersalis Ecclesiæ, non significat se esse solum Episcopum vel Pastorem; sed se habere generalem curam, & gubernationem totius Ecclesiæ, licet alij Episcopi habeant specialem curam, & gubernationem Ecclesiarum particularium. Et hoc sensu Pontifex solet vocari Episcopus & Pastor vniuersalis Ecclesiæ. Quod etiam fateretur Gregorius Nam lib. 6. epist. 32. ait: *Petro omnium Apostolorum Principi, totius Ecclesiæ cura commissa est.* Item, *Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & iamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Idem sentiunt alij Pontifices, qui Gregorium præcesserunt, ut Sixtus I. epist. 2. Victor. Lepist. 1. Pontianus epist. 1. & alij, qui

se vocant Episcopos vniuersales Ecclesie. Verba eorum sunt hæc. *Sixtus vniuersalis Apostolica Ecclesia Episcopus, omnibus Episcopis in Dominio salutem. Item, Victor Romana & vniuersalis Ecclesie Archiepiscopus. Item, Pon-tianus Sancæ & vniuersalis Ecclesie Episcopus.* Et sic alij deinceps.

V. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

94. **Q**uod sic proponis. Qui iudicio Conciliorum, tum quoad fidem, tum quoad mores subiacet, supremus & infallibilis controversiarum fidei & morum Index nec est, nec esse potest.

Pontifex Romanus iudicio Conciliotum, tum quoad fidem, tum quoad mores subiacet.

Ergo supremus & infallibilis controversiarum fidei ac morum Index nec est, nec esse potest.

Minorem probas, Primo, ex praxi, quia multi Pontifices à Conciliis iudicati, aut depositi sunt, ut Marcellinus, Honorius, & alij.

Secundo, ex Decretis Conciliorum. Nam Constantiense & Basiliense definierunt, Concilium generale esse Supra Papam.

Tertio, ex consensu magnorum virorum, qui idem sentiunt, ut sunt Cardinalis Cameracensis, Nicolaus Cusanus, Panormitanus, Abulensis, Gerson, Ocham, itemque Academia Parisiensis, & Craconiensis.

Quarto, addis aliquot argumenta, partim ex Scriptura, partim aliunde petita, de quibus paulò post.

RESPON

95. R E spondeo. Hoc argumentū, si quid valet, cōtra vos valet, nō cōtra catholicos. Vel enim vera sunt, quæ hic afferis, vel falsa, nihil concludis. Si vera, contrā te concludis Nam si vera sunt, Sequitur vera esse, quæ de hoc punc̄to afferunt Concilia & authores à te citati. At illi afferunt, Ecclesiam esse infallibilem Iudicem controvēsiarum ; quod etiam ego afferō. In eo solum discrepamus, quod illi p̄tēnt Concilium esse supra Pontificem. Ego Pontificem supra Concilium. At conuenit inter nos, Concilium cum Pontifice, vel Pontificem cum Concilio, non posse errare ; quod tu negas. In eo autem consistit punc̄tum controvēsiæ inter te & me. Si ergo in hoc punc̄to mecum sentiunt Authores à te citati, frustra eos contra me citasti.

96. Ad exempla Pontificum, quos aīs à Conciliis vel indicatos vel depositos esse, iam pridem responsum est à Bellarmino. Nec est, quod exigas nouam à me responsionem. Potius à te exigo, ut deinceps vel abstineas à scribendo, vel si omnino scribere vis, aliquid in medium adducas, quod noua responsione indigeat.

Quod autem producis testimentiū Concilij Basiliensis & Constantiensis, mirum est. 1. Quia scis vtrumque quoad præsens negotiū, de quo agimus, reprobatur esse in Concilio Lateranensi. 2. Quia vos ipsi non agnoscitis esse legitima. Absurdum autem est producere tales testes, quia neutra litigantiū parte admittūtur.

Authores quos citasti, Catholicī sunt, & nobiscum consentiunt in eo, quod Concilium generale cum Pōtifice, vel Pontifex cum Concilio generali non possit errare; quod sufficit. De qua re vide Bellarminum li. 2. de Conciliis cap. 2.

97 Argumenta, quæ partim ex Scripturis, partim aliunde adducis, nihil efficiunt contra me. Primum sumitur ex illo Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ex quo loco sic argumentaris, *Si Petrus in offendis fratrum, quæ tam in fide, quam in moribus fieri possunt, remittitur ad iudicium Ecclesiae, consequens est, non solum ipsum, sed etiam successores eius, in causis fidei & morum, iudicio Conciliorum, Ecclesiam representantium, subiectum esse.* Sed quareo quid intelligas nomine Ecclesiae, cum dicitur, *Dicit Ecclesiae?* Si intelligis Prælatum Ecclesiae, iam Petrus, ex tua sententia, remittitur ad iudicium sui ipsius: Et similiter Pontifex vel Episcopus ad iudicium sui ipsius. Quod est plane extra propositum. Non enim queritur, an Pontifex sit subiectus sibiipso; sed an sit subiectus Concilio generali. Deinde, si intelligis Prælatum Ecclesiae, non valet hæc tua consequentia. Petrus est subiectus iudicio Prælati, seu sui ipsius: Ergo successor Petri est subiectus iudicio Concilij generalis.

Si autem nomine Ecclesiae intelligis Concilium generale (ut appareret ex scopo, in quem collimas) iam sequitur, Christum remisisse nos ad Concilium generale, quotiescumque occurruunt quotidianæ offenditio[n]es, ac proinde hunc esse sensum Christi: *Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiae, id est, dic Concilio generali.* Hoc autem absurdum est.

98 Secundum, *Qui mittitur, non est maior eo, à quo mittitur,* Ioan. 13. 16. At Petrus cum Ioanne missus est ab Apostolis Samariam, Actor. 8. 14. Ergo non fuit maior Apostolis. Ergo nec Pontifex est maior Concilio generali.

Respondeo. Non probas, quod probandum est. Debemas probare, Pontificem esse subiectum Concilio

generali. Deinde , maior propositio distinguenda est. Nam qui mittitur ex imperio alterius , non est maior eo, à quo mittitur. Qui autem mittitur ex consilio vel consensu alterius, potest esse vel par , vel etiam maior eo, à quo mittitur. Et hoc posteriori modo missus est Petrus ab Apostolis.

99 Tertium , Petrus coactus est rationem reddere Ecclesiæ de Euangeliō gentibus à se prædicato , Act. 11.2. Ergo subiectus fuit Ecclesiæ. Respondeo. Nulla ibi fit mentio Ecclesiæ vel Concilij: Solū dicitur, quod *qui erant ex circumcisione, disceptauerint contra Petrum & dixerint, quare introiisti ad viros præputium habentes, & māducasticum i'is?* Nesciebant enim, Petrum per visionem à Deo monitum esse , vt annunciatet gentibus Euangeliū. Itaque putabant Petrum peccasse , quod cum gentibus cibum sumpsisset. Hinc non sequitur , quod tu infers, Petrum fuille subiectum iis, qui cum ipso disputabat. Nam & æquales cum in aequalibus, & subditis cum superioribus, aliquando disceptant. An non populis Israël saepe disputauit contra Mosen in deserto? Et tamen Moses erat eorum dux & Iudex. An non saepe discipuli disceptant contra præceptores? An non rustici contra Principes?

100 Quartum, Petrus paſſus est se publice reprehendi à Paulo, Gal. 2.11. Ergo Pontifex debet idem facere: Respondeo. Hoc nihil derogat potestati Petri vel Pófificis. Nam, vt supra dixi, superiores possunt aliquando reprehendi ab inferioribus, quando fit cum debita charitate & modestia. Imo in ea re superiores præbent exemplum virtutis. Vnde Augustinus Epistol. 19. ad Hieronymum c.2. in fine: *Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accipit.* Atque ita rariss & sanctiss exemplum posteris prebit,

buit, quo non deditarentur etiam à posterioribus corrigit, quam Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus, pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna charitate, resistere. Et Gregorius homil. 18. in Ezech. Tacuit Petrus ut qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate,

101 Quintum; Hieronymus in Epistola ad Euagrium sic scribit: *Quid mihi profers unius Vrbis (Romæ) consuetudinē? Si authoritas queritur, Orbis maior est Urbe. Quid hinc infers, Gardi? Si vis inferre, quod probandum suscepisti, sic inferendum est: Consuetudo solius Vrbis Romæ minorem habet authoritatem, quam consuetudo totius Orbis: Ergo Pontifex Romanus subiectus est Concilio generali.* Mire subtilis es. Sed si ita pergis, inferes etiam Imperatorem esse subiectum Concilio generali; quod tu, tametsi verum sit, falsum esse contendis. Nam, vt supra dixi, asseris Imperatorem cum autoritate & iurisdictione praesesse Concilio generali, & habere potestatem in omnes, in Concilio congregatos. Hoc tuum dogma destruitur hac simili illatione: *Consuetudo solius Vrbis Imperatoriæ minorem habet authoritatem, quam consuetudo totius Orbis: Ergo Imperator subiectus est Concilio generali.* Si hoc sequitur, contra te valet. Si non sequitur, nec in simili casu contra me valet.

102 Sextum, Augustinus libro 2. de Baptismo capite primo ait: *Quapropter cum Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigiur, & pacis atque unitatis vinculo custoditus, ad martyrium prouehitur: Quanto facilius & fortius, quod per universæ Ecclesie statuta firmatum est, vel unius Episcopi autoritati, vel unius Provincia Concilio preferendum est?* Respondeo. Augustinus in illo capite est tibi contrarius. Confert enim Apostolum Petrum

cum Cypriano Episcopo. 1. In martyrio , in quo ait pares esse. 2. In dignitate, in qua ait Petrum superiorem esse. *Quis nescit, inquit, illū Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatu ipreferendum?* 3. In errore. Nam Petrus in eo errauit, quod cogeret gentes Iudaizare : Cyprianus in eo, quod cogeret haereticos denuo baptizari. Et hunc errorem secuti sunt Episcopi in Concilio Carthaginensi, quod Cyprianus indixerat. His positis, sic argumentatur Augustinus: Si Petrus , qui Primate tenuit , potuit corrigi à Paulo , multo magis sententia Cypriani & Concilij Carthaginensis, potuit corrigi per statutum totius Ecclesiæ; præsertim cum auctoritas totius Ecclesiæ præferenda sit auctorati vnius Episcopi vel Concilij particularis. Vbi notandum est (quod tu vel non aduertis , vel dissimulas) Augustinum , per unum Episcopum , intelligere Cyprianum, non autem Pontificem. Imo Pontificem opponit Cypriano. Nam Pontifex cum tota Ecclesia statuebat , haereticos non esse rebaptizandos: Cyprianus cum Concilio particulari contrarium profitebatur. Nihil igitur præsidij habes ex Augustino. Ad reliqua quæ addis , paulò post respondendum est.

VI. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

Hoc ita proponis. A quo, tanquam ab inimico, iniusto, & suspecto Iudice ad alium , tanquam superiorem & minus suspectum, appellatio fieri consuevit; is nec est, nec esse potest supremus & infallibilis controversiarum Ecclesiasticarum Iudex.

A Pon

A Pontifice Romano, tanquam ab inimico, iniusto, & suspecto Iudice ad alium, tanquam superiorem & minus suspectum, appellatio fieri consueuit.

Ergo Pontifex Romanus nec est, nec esse potest supremus & infallibilis controversiarum Ecclesiasticarum Iudex.

Minorem probas variis exemplis. 1. Donatistæ à Melchiade Papa appellarunt. 2. Episcopi Orientales excommunicarunt Iulium Papam. 3. Philippus Pulcher appellauit à Bonifacio viii. Fridericus ab Innocentio iv. & sic deinceps.

R E S P O N S I O.

104 **R**espondeo. Aliud est, appellationem fieri solere: aliud, appellationem legitime fieri. Tu quidem ostendis, à Pontifice Romano solere fieri appellationem ad alium Iudicem: sed non ostendis, appellationem illam fuisse legitimam. An autem legitima fuerit, facile apparebit ex iis ipsis exemplis, quæ à te allata sunt.

105 Primum est, *Donatistæ appellarunt à Melchiade Episcopo Romano, consentiente Imperatore Constantino, ut testatur Augustinus in Epist. 162.* Respondeo. Quid sentiat Augustinus de hac appellatione, patet ex Epistola citata. Nam sententia Melchiadii Papæ, quam pronunciat in controversia, quæ erat inter Donatistas & Cæcilianum, vocat *innocentem, integrum, prouidam, pacificam.* De Donatistis autem, qui ab hac sententia appellarunt, scribit hæc tria. Primo, quod dixerint, *malos Iudices se esse perppersos.* Quæ vox (ait Augustinus) est omnium malorum litigiorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate, perati. Secundo, quod non appellauerint ad plenarium Ecclesiæ Concilium, sed quod *Iudices Ecclesias-*

sticos, tanta authoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cecilia-ni innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sint, quod male indicarint. Tertio, quod Imperator dederit aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitateibus cedens, & omnimodo cupientiam impudentiam cohærebo. Neque enim (Adhuc verba Augustini sunt) ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosos & fallaces querelas suscipere, vi de iudicio Episcoporum, qui Romæ federant, ipse iudicare; sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem prouocare maluerunt. Quia in re illos quemadmodum detestetur, audistis.

106 Ex his collige hæc puncta, mi Gardi. 1. Sententia Pontificis & Episcoporum illi assistentium, fuit in-nocens, integra, prouida, pacifica. 2. Donatistæ, qui ap-pellarunt ab hac sententia, fuerunt homines peruersi, im-pudentes, tumultuosi, fallaces. Et nihil aliud præten-derunt appellando, quam quod omnes mali litigato-res prætendere solent, malos Iudices se esse perppersos. (Quæ etiam tua prætentio est.) 3. Imperator non vo-luit esse Iudex in illa causa, quia non voluit alienum officium sibi arrogare. 4. Ne tamen Donatistæ conque-ri possent, scilicet ab Imperatore contemptos esse, dedit illis alios Iudices, nempe Episcopos Arelates: non quod necesse id esset, sed ut hominum factiosorum impudé-tiam & tumultum cohiberet. 5. Donatistæ nō con-tenti his iudicibus, iterum ad Imperatorem appellarunt. 6. Imperator hoc eorum factum detestatus est. Vide, an hæc puncta tibi seruant.

107 Secundum exemplum, Iulium Episcopum Roma-num in causa Athanasij & aliorum, Episcopi Orientales nō solum suspectum habuerunt, sed in publica etiam Synodo ex-communi

communicarunt. Sozom lib. 3. cap. 10.

Respondeo. Mirum est te hoc exemplum in mediū adducere. 1. Quia illi Episcopi Orientales erant hæretici, id est, Arriani. Excommunicatio ab illis lata, non fuit legitima. Quod non negabis. Quæro enim, an habuerint iurisdictionem in Pontificem, & alios à se excommunicatos, necne? Si non habuerunt, non valuit excommunicatio ab iis lata. Cur ergo illam alleges? Si habuerunt, sequitur primo, ex tua sententia, hæreticos habere iurisdictionem Ecclesiasticam in Catholicos. Deinde Episcopos Orientales superiores Episcopis Occidentalibus. At tu alibi vis, omnes æquales esse.

108 Tertium exemplum. Multi alij à Pontifice appellarunt ad Cœciliū generale, ut Philippus Pulcher Rex Galliæ appellauit à Bonifacio VI. Fridericus secundus ab Innocentio IV. Ludouicus Bauarus à Ioanne XXII. Sigismundus à Pio II. Ioannes Hus à Ioanne XXIII. Vniuersitas Parisiensis à Leone X. Lutherus ab eodem, Protestantes à Concilio Tridentino ad Cœciliū liberum.

Respondeo. Ut hoc exemplum te iuuet, duo tibi probanda sunt. 1. Omnes has appellationes fuissent legitimas. 2. Omnes factas fuissent in negotio fidei ac religionis. Si alterutrum desit, nihil efficis. Nam si appellatio non sit legitima, non obstat iurisdictioni Pontificis. Si non sit in causa fidei ac religionis, non obstat iudici controuersiarum fidei ac religionis.

109 Quartum exemplum. Nos etiam Lutherani, inquis, appellamus à Pontifice Romano ad liberum Cœciliū generale, & ad Scripturam. Respondeo. Parum interest, quid faciatis vos Lutherani, noti homines, Facitis, quod illi, de quibus Augustinus. Om-

nium malorum litigatorum vox est , malos Indices se esse per-
pessos. Deinde ex te quero:

Primò , Quid intelligas per liberum Concilium
generale? An illud, in quo Lutherani definiunt, quod
volunt? An illud, in quo quisque sentit, quod vult? Sic
nunquam definientur controuersiæ inter partes litigantes.

Secundò, An putas huiusmodi Concilium esse fal-
libile, an infallibile ? Si fallibile est, cur ad illud appelle-
latis ? Si infallibile , iam non sola Scriptura infallibi-
lis est, quod tamen sæpe asseruisti.

Tertiò, Quo exemplo vos appelletis à Pontifice ad
Scripturam , tanquam ad Iudicem? Produxisti hacte-
nus exempla Donatistarum, Arrianorum, Regum, Im-
peratorum, & aliorum, qui omnes à Pontifice appelle-
larunt. At nemo illorum appellauit ad Scripturam.
An vos primi id facitis?

Quartò, si contingat partes litigantes appellare ad
Scripturam , tanquam ad supremum , & infallibilem
Iudicem, & de sensu Scripturæ inter se dissentiant, utri
parti credendum sit: Et quis litem inter illos dirimere
debeat?

Quintò, Cur in hac appellatione nullam facias mē-
tionem Imperatoris , quem alioqui putas eū legit-
imum Præsidem & Iudicem in Conciliis generalibus,
ut sæpe dixisti;

Sextò, Si Imperator esset Catholicus, ut nunc est, an
ad eum valeret appellatio , nec ne? Si valeret, an ipsius
iudicio secure acquiesceres ? Si non valeret, ad quem
alium deberet fieri appellatio? Ad hæc responde , si
potes.

VII. ARGUMENTVM GARDIL.

Contra Pontificem.

110 **H**oc sic proponis. De quo dubium est, An iu
controversiis fidei & morum diiudicandis
perpetuam & infallibilem habeat assistentiam & dire-
ctionem Spiritus Sancti, is supremus & infallibilis ea-
rundem Iudex esse non potest.

De Pontifice Romano dubium est, an in controversiis fidei & morum diiudicandis, habeat talem assistentiam. Ergo, &c. Minorem probas. Primò, Ex concessione Bellarmini & Stapletoni.

Secundò, Quia aliqui Pontifices fuerunt rudes & indocti; alij Iureconsulti quidem, sed non Theologi, alij in armis potius exercitati, quam in studiis; alij Osores scientiæ ac literarum. Quomodo igitur in controversiis fidei per infallibilem Spiritus Sancti assistentiam iudicare potuerunt?

Terriò, multi fuerunt Apostatae, Nicromantici, Simoniaci, Seditiosi, Crudeles, Luxuriosi, Scortatores, Sodomitae, Auari, Rapaces, Periuri. Quibus Spiritum perpetuo & infallibiliter assistere, ne probabiliter quidem demonstrari potest.

Quartò, Constat nos paucos fuisse hæreticos, & nunc etiam hæreticos fieri posse. Vbi igitur perpetua & infallibilis assistentia Spiritus Sancti? Nec valet responsio Catholicorum, infallibilem assistentiam illis adesse, quatenus Pontifices sunt, non autam quatenus priuati Doctores. Nemo enim sani cerebri id capere potest.

R E S P O N S I O.

R Espondeo. Nos non dubitamus, quin Pontifex, quatenus est Pastor vniuersalis Ecclesias, habeat perpetuam & infallibilem assistentiam & directionem Spiritus Sancti in iis rebus, quae directe spectant ad publicam doctrinam fidei ac religionis. Habuit illam Pontifex veteris Testamenti, ut supra demonstratum est. Habuit Petrus Apostolus, cui dictum est a Christo, *Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Cur non habeant successores Petri?

Certe antiqui Patres libenter agnoscunt Ecclesiam Romanam, cui Pontifex praestet esse Matrem & Caput omnium Ecclesiarum: Et omnes alias, ne errent debere illi coniunctas esse, & in doctrina cohaerere. Ergo agnoscunt Romanæ Ecclesie Pontificem non posse errare in fide. Audi illorum verba. Cyprianus lib.4. Epist.8.ad Cornelium Papam: *Nos, inquit, singulis nauigantibus, ne cum scandalo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, ut Ecclesia Catholica Matrem & Radicem agnoscerent ac tenerent.*

Irenæus lib.4.contra haereses cap.3.de eadem Ecclesia Romana sic scribit: *Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorum principilitatem, necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis Traditio.*

Hieronymus Epist.8.ad Demetriadem cap.9. *Illud te pio charitatis affectu premonendam puto, ut Sancti Innocentij, qui Apostolica Cathedra successor est, teneas fidem: Nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.*

August. Epist. 162. ad Episcopos Donatistarum de Cæciliano Episcopo: *Erat magna authoritas, qui posset*

non curare conspirantem multi iudinem inimicorum, cum se videret Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus, per communicatorias literas esse coniunctum.

Opratus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare non potes scire te, in Urbe Roma primam Cathedram Episcopalem Petro collatam esse, cum qua totus Orbis in una communionis societate concordat.*

Bernardus Epist. 131. ad Mediolanenses: *Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens, &c. Plenitudo siquidem potestatis super uniuersas Orbis Ecclesias, singulari prerogativa, Apostolica Sedi donata est.*

112 Quæ te contra obiicis, nullius momenti sunt. Ac primò falsum est, Bellarminum & Stapletonum dubitare, An Pontifex, ut est Pastor Ecclesiæ, habeat perpetuam & infallibilem assistentiam Spiritus Sancti in controvërsiis fidei ac religionis. Diserte affirmant habere. Tu tamen, nescio per quas consequentias Gardianas, conaris clarissimam illorum sententiam in aliam partem traducere; quæ sine dubio magna impugnatura est.

113 Nec obstat, quod aliqui Pontifices fuerint indocti aut flagitosi. Hoc enim non impedit assistentiam & directionem Spiritus Sancti in iis, quæ ad officium Pontificis in decisione cōtrouersiarum necessaria sunt. Certe, Apostoli fuerunt rudes & indocti. Et tamen à Spiritu Sancto infallibiliter instructos fuisse, negare non potes. Multi item, per assistentiam Spiritus Sancti faciunt miracula, expellunt dæmones, de futuris infallibiliter vaticinantur, & tamen non ideo sancti sunt.

An non Balaam Propheta fuit flagitosus? Certum est. An non flagitosi, de quibus Christus in Euangelio,

Matth.

Matth. 7.22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecerimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc conſitebor illis: quia nunquam noui vos: Discidite a me, qui operamini iniquitatem.

114 Iam supra monui, duplia esse dona Spiritus Sancti. Alia, quæ dantur homini ad propriam salutem & sanctitatem, ut fides, spes, charitas, iustitia. Et hæc non consistunt cum oppositis peccatis & flagitiis. Alia, quæ dantur homini ad aliorum salutem & sanctitatem promouendam, ut donum miraculorum, sanitatum, prophetiæ, interpretationis, discretionis. Et hæc communia sunt bonis & malis. Ad hoc genus donorum pertinet illud, quod agnoscimus in Pontifice. Quod addis de hæresi, spectat ad sequens argumentum.

VIII. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

115 **H**oc si proponis. Supremus & infallibilis Iudex controuersiarum fidei ac religionis Christianæ non debet esse fallibilis.

Pontifex Romanus est fallibilis. Ergo, &c.

Minorem probas. Primò, Ex concessione Catholicon, qui fatentur hæc tria. 1. Pontificem, ut priuatū Doctorem, posse errare. 2. Pontificem, ut Pontificem, posse errare in controuersia facti, quæ pendet ex informatione & testimonio hominum. 3. Pontificem, ut Pontificem, posse errare in fide, si definiat aliquid absq; generali Concilio.

Secundò exemplis. Nam aliqui Pontifices errarunt personaliter, ut Zepherinus, Marcellinus, Liberius,

Felix

Felix, Innocentius I. Cœlestinus, Anastasius II. Gregorius VII. Ioannes XXII. Eugenius IV. Alij judicialiter, vt Clemens I. Liberius, Vigilius, Honorius, Pelagius II. Gregorius III. &c.

Tertiò, Ex contrariis Pontificum Decretis. Nam sæpe sit, vt quæ vñus Pontifex decernit, alius reuocet, aut contrarium decernat. Ergo alterutrum errare necesse est.

Quartò, Ratione Erasmi Roterodami. Nam si Pontifex non potest errare, quid opus est Conciliis generalibus?

R E S P O N S I O.

116 **R** Epondeo. Negandum est, Pontificem, vt Pó-tifex est, fallibilem esse in doctrina fidei; licet fallibilis sit, vt homo priuatus est. Nec aliter docent Catholicī, exceptis illis, qui putant illum falli posse, si aliquid definiat sine generali Concilio; non posse, si cum generali Concilio. Hoc tamen contra te est. Cur igitur pro te citasti?

117 Exempla eorum Pontificum, qui putantur errasse in fide, sumpsisti ex Bellarmino. Accipe ex illo & responsionem. Si bona est, quid aliam exigis? Si mala, ostende vitium, & occurram. Alioqui, si, quoties nouellus aliquis Prædicans suffuratur argumenta ex Bellarmino, & solutionem dissimulat toties noua solutio adhibenda esset, quis foret fructus aut finis litigandi?

118 Quod obiicis, Decreta Pontificum sæpe esse contraria, distinguendum est. Sunt enim triplicia eorum decreta. Quædam spectant ad fidem & religionem: Alia ad virtutes & vitia: Alia ad res indifferentes, quæ nunc præcipi, nunc prohiberi possunt, pro diuersitate locorum, temporum & hominum qualitate ac conditione. Igitur Decreta primi & secundi generis nunquā sunt

sunt contraria. Decreta tertij generis possunt esse contraria, quia fieri potest, & quidem legitime, ut quod unus Pontifex statuit fieri propter causam rationabilem, alius renocet ex simili causa rationabili; cum res ex se alioqui sit indifferens, ut suppono.

119 Ratio, quam adducis ex Erasmo, potest retorqueri. Nam sicut tu cum Erasmo argumētaris: Si Pontifex non potest errare, quid opus est Conciliis generalibus? Sic ego argumentabor: Si apostoli non poterant errare, quid opus erat Concilio Hierosolymitano? Item, Si Scriptura, quam tu Iudicem esse vis, non potest errare, quid opus est Conciliis generalibus vel particularibus?

120 Dicam, quod res est. Pontifex non propterea dicitur infallibilis, quasi per se sit sufficienter doctus, & per se possit omnes controversias fidei ac religionis sine errore dirimere; quia hoc constat falsum esse: sed ideo dicitur infallibilis, quia Deus non patitur, ut is, quem constituit Pastorem suæ Ecclesiæ, decipiatur suas oves in fide & religione: sed ita eum dirigit, ut nunquam falsam doctrinam suis subditis possit propone-re & instillare. Et aliquando dirigit illum, ut sine Concilio, aliquando, ut cum Concilio decidat controversias. Et in eo consistit assistentia seu directio Spiritus Sancti, quam Pontifici tribuimus.

121 Cur autem expedit, controversias decidi in Conciliis generalibus, causa duplex est. Vna, quia partes litigantes facilius acquiescunt, quando constat controversiam ex communi totius Ecclesiæ consensu decisam esse. Altera, quia faciliter innotescit Orbi Christiano, quæ sit vera, quæ falsa sententia, quando ex rotulo Orbe Christiano conueniunt Episcopi, & publico suffragio litem definiunt.

IX. ARGUMENTVM GARDIL.

Contra Pontificem.

Hoc sic proponis. Quicunque Scripturas sacras falso, absurde, & inepte interpretari & applicare potest, supremus & infallibilis controuersiarum fidei Iudex esse nequit.

Pontifex Romanus Scripturas sacras falso, absurde, & inepte interpretari & applicare potest, Ergo, &c.

Minorem probas, citando aliquot Scripturæ testimonia, quæ Pontifices male interpretati sunt.

Primum est, Lucæ 22.38. *Ecce duo gladij hic.* Hoc Bonifacius Octavius falso interpretatur de duplice potestate Ecclesiastica, spirituali & temporali,

Secundum, Gen. 1.16. *Fecit Deus duo luminaria magna.* Hoc Gregorius interpretatur de duplice potestate, Pontificali & Imperiali.

Tertium, Leuit. 11.44. *Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Hinc colligunt Syricius & Innocentius, Sacerdotes debere abstinere ab uxoribus.

Quattum, Isaiae 10.3. *Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium?* Hoc Symmachus Papa putat dictum esse de Sede Romana, & illius præminentia.

Quintum, Matth. 19.6. *Quod Deus coniunxit, homo non separat.* Hinc Innocentius III. colligit, neminem propria autoritate posse ab una Ecclesia ad aliam se transferre.

Sextum, Gen. 19.9. *Ingressus es, ut aduenias, nunquid ut indices?* Hinc probat Anacletus, peregrina iudicia in Ecclesia subponenda esse.

Septi

Septimum, Lucae 6.40. Non est discipulus supra Magistrum. Hinc Telesphorus, Sacerdotes non esse corripiendos à populo.

Octauum, Exodi 22.28. *Diis non detrahes.* Hic Innocentius III. per Deos, intelligit Sacerdotes, propter dignitatem Sacerdotalem.

Nonum, Gal. 6.16. *De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in Corpore meo porto.* Hoc Nicolaus III. applicat ad Ordinem Franciscanorum.

Decimum, Rom. 10.10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem sit confessio ad salutem.* Hinc Benedictus XI. probat confessionem auricularem.

R E S P O N S I O.

123 **R**espondeo. Tu ipse, mi Gradi, qui aliorum interpretationes temere reprehendis, omnia sinistre interpretaris. Constat duplicum esse Scripturæ sensum: Alterum literalem, qui ut plurimum, vnicus, certus, ac determinatus est. Alterum mysticum, qui varius est, & ad varias res applicari & accommodari potest. Is igitur dicitur falso Scripturam interpretari, qui literalem illius sensum vel deprauat, vel non assequitur. Qui autem sensum mysticum ad res alias accommodat, non tam censetur Scripturam interpretari, quam ad aliud applicare. Et quidem, si ita applicet, ut nulla interueniat falsitas, vel repugnantia, vel absurditas, censetur bene applicare: Sin secus male.

124 Pontifices, quos citasti, non voluerunt propriè interpretari Scripturam secundum sensum literalem; sed illius testimonia mystice ad suum institutum accommodarunt sine omni falsitate & repugnantia. Hoc patet in exemplis allatis. Nam duo gladij, quos Apostoli exhibebant Christo, secundum sensum literalem

ralem significant veros & materiales gladios. At mystice possunt accommodari ad significandum duplice potestatem spiritualem & temporalem. Nulla hic falsitas.

Imo, cum gladius sit signum potestatis (Rom. 13.4.) potest figurate sumi pro ipsa potestate, quam significat. Sicut circumcisio, quæ est signum pacti inter Deum & Abrahamum initi, solet sumi pro ipso pacto, ut manifestum est Gen. 17. Rursum, cum nomen gladij in Scriptura sumatur dupliciter, vel pro gladio corporali, ut Lucæ 22. 38. vel pro gladio spirituali ut Ephes. 6. 17. quid mirum, si per duos gladios intelligamus duplē potestatem, temporalem scilicet & spiritualem? An non similiter Christus per duas claves intellexit duplē potestatem, claudendi & aperiendo? Seu soluendi & ligandi? Nemo dubitat.

225 Eodem modo, Duo luminaria, quorum mentio fit Genesis 1. 16. secundum literam significant Solem & Lunam: quorum alterum præest diei, alterum nocti. At secundum sensum mysticum, optime accommodantur ad significandos duos Principes Orbis Christiani, Pontificem & Imperatorem: quorum alter præest rebus spiritualibus, quæ sunt instar diei, alter temporalibus, quæ sunt instar noctis. Habemus similia in Scripturis, Nam Christus vocatur Sol: Ecclesia, Luna: Sancti stellæ. Item Henoch & Helias vocantur duæ oliae, Apocal. 11. 4. Apostoli sal terre, Matth. 5. 13. Nota sunt hæc. De aliis exemplis à te allatis est idem iudicium.

126 Vos Lutherani potius accusandi estis de falsa Scripturæ interpretatione. Quid tu in hoc negotio præstiteris, satis ostensum est cap. 1. §. 36. & sequentibus. Quid porro Lutherus effecerit, vñico exemplo

demōstrabo. Legimus Isaiæ 41.13. *Bene autem male si potestis, facite.* Quod secundum literam intelligitur de idolis gentium, quæ non possunt bene aut male facere, id est non possunt cultoribus suis prodesse, nec contemtoribus nocere. At Lutherus interpretatur de hominibus, ut inde probet, homines non habere liberum arbitrium. Huius interpretationis adeo te pudet, ut aperte fatearis, Lutherum hallucinatum esse. Sed de hoc alibi.

X. ARGUMENTVM GARDII.

Contra Pontificem.

127 **H**oc sic proponis. Quicunque ita quandoque dubius & incertus est, ut certo cognosci & adiri non possit, is supremus & infallibilis controuersiarum religionis Christianæ Iudex esse non potest.

Pontifex Romanus ita quandoque dubius & incertus est, ut certo cognosci & adiri non possit, Ergo, &c.

Minorem probas ex variis schismatibus, quæ fuerunt in Ecclesia. Nam aliquando duo, aliquando tres fuerunt Pontifices simul electi, ita ut nō potuerit certò constare, quis esset legitimus, quis intrusus. Si ergo Pontifex est Iudex controuersiarum, quid in hoc casu faciendum?

R E S P O N S I O.

128 **R**espondeo. In hoc casu faciendum est, quod solet fieri in simili casu, quando Rex aut Imperator est mortuus: vel etiam, quando duo Reges aut Imperatores à diuersis factionibus eliguntur. Tunc enim, si aliqualis oriatur, vel defertur ad Camerā Regiam

giam aut Imperatoriam; vel certe, tamdiu suspenditur, donec constet de legitimo Rege aut Imperatore, ut ad illum deferri possit. Eodem ergo modo, quando vel Pontifex moritur, vel duo in Schismate eliguntur; si tunc oriatur aliqua controversia de fide; vel potest deferri ad proximum Concilium generale; vel certe tamdiu suspendi, donec legitimus Pontifex designetur.

129 Deinde, retorquo argumentum. Nam sicut ego assero, Pontificem esse supra Concilium generale; ita tu asseris, Concilium generale esse supra Pontificem. At tu contra me sic disputas: Pontifex tempore Schismatis, quia certus non est, adiri non potest. Ergo & ego vicissim contra te dispergo: Concilium generale tam raro celebratur, ut saepe multis annis adiri non possit. Si aliquid euinco, captus es: Si nihil, nec tu conuincis.

XI. ARGUMENTVM GARDIL.

Contra Pontificem.

130 **H**oc sic proponis. Iudex supremus & infallibilis controversiarum religionis Christianæ, in iisdem nec debet, nec potest esse partialis, accusator & reus.

Pontifex Romanus in cōtrouersiis religionis Christianæ est partialis, accusator & reus. Ergo, &c.

Minorem probas. 1. Est partialis, quia est Caput Ecclesiæ Romanæ, quæ est pars litigans cum Lutheranis. 2. Est accusator, quia graniter accusat Ecclesias Augustianæ Confessionis de hæresi. 3. Est reus, quia vicissim accusatur à Lutheranis de Apostasia.

RESPONSI O.

131 **R**espondeo. Si sic velis ratiocinari , concludes ,
 nec Concilium generale , nec Imperatorem ,
 nec Scripturam posse esse iudicem , quos tu tamen Iu-
 dices agnoscis . Nam Lutherus vester habuit illos om-
 nes , vt partiales , vt accusatores , vt reos . Cum enim
 damnatus esset à Pontifice , appellauit ab illo , tanquam
 à partiali & accusatore , ad Concilium generale . A
 Concilio ad Imperatorem . Ab Imperatore ad Scriptu-
 ram . Denique à Scriptura , quam à Catholicis acce-
 pat , ad Scripturam , quam ipse sibi fingebat , id est , ad
 nouum Scripturæ Canonem , ad nouam versionem , ad
 nouam interpretationem . Vos Lutherani idem facitis .
 Pontificem Romanum , Concilium Tridentinum , Im-
 peratorem Catholicum , & Scripturam vulgatae edi-
 tionis , habetis pro parte litigante , pro accusatore , pro
 reo . Nullum admittitis iudicem infallibilem , nisi Scri-
 pturam , nouo Canone , noua versione , noua inter-
 pretatione reformatam , vt vos putatis : deformatam
 & vitiatam , vt nos merito conquerimur ,

XII. ARGUMENTVM GARDIL.

Contra Pontificem.

132 **H**oc est huiusmodi . Quicunq; non habet spi-
 ritualem authoritatem & potestatem coacti-
 uam , qua conscientiis hominum in iudicio fidei &
 morum per omnia satisfacere , partesque litigantes ad
 obedientiam fidei efficaciter cogere & flectere possit ,
 is supremus & infallibilis controuersiarum fidei &
 religionis Christianæ iudex esse non potest .

Pont

Pontifex Romanus non habet huiusmodi authoritatem & potestatem. Ergo, &c.

Maiorem probas, quia si supremus iudex non haberet talem potestatem efficaciter cogendi conscientias, iam frustra & sine omni fructu atque effectu de controversis fidei pronunciaret.

Minor, inquis, est manifesta: quia nec in Apostolorum, nec ullius alterius hominis potestate est, conscientias hominum efficaciter cogere ad obedientiam fidei, sed solius Dei & Scripturæ. Quod probas his testimoniis.

Deut. 29.4. *Dominus dat cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ audiant.*

Ieremiæ 31.33. dicit Dominus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Act. 16. 14. *Dominus aperuit cor Lydiae, intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

1. Cor. 3.7. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

2. Cor. 1.24. *Non dominamur fidei vestrae,*

Ephes. 1.17. *Deus det nobis Spiritum Scientia & regenerationis.*

1. Ioan. 2.27. *Vnctio docet vos in omnibus.*

R E S P O N S I O.

133 **R**espondeo. Si loquamur de supremo Iudice absolute, qui est solus Deus, tunc major propositio vera est. Si autem loquamur de supremo Iudice in hac vita, falsa est. Nam neque Scriptura, neque Pontifex, neque Concilium potest efficaciter cogere conscientias ad obedientiam fidei. Et tamen ex tua sententia, Scriptura est supremus index in hac vita: Ex mea, Pontifex & Concilium.

134 Quod autem Scriptura per se non possit efficaciter cogere partes litigantes ad obedientiam fidei, docet quotidiana experientia. Nam Lutherani & Caluinistæ quotidie prouocant ad Scripturam, tanquam ad supremum Iudicem, ut fateris. Vel ergo Scriptura pronunciat inter illos sententiam, vel non. Si non pronunciat, non est Index. Si pronunciat, vel efficaciter cogit partes litigantes ad obedientiam fidei, vel non cogit. Si efficaciter cogit, cur manet dissentio inter Lutheranos & Caluinistas? Si non cogit efficaciter, iam alterutrum sequi necesse est, vel non esse supremum Iudicem, vel non requiri, ut supremus Iudex efficaciter cogat ad obedientiam fidei. Vtrumque est contra te.

135 Quod autem obiicis, Iudicem frustra, & absque omni fructu & effectu pronunciare sententiam, si non potest efficaciter cogere conscientias, falsum est. Alioqui Apostoli in Concilio Hierosolymitano frustra, & sine ullo fructu pronunciasent sententiam; Quia non potuerunt efficaciter cogere partes litigantes ad obedientiam fidei. Nam multi ex litigantibus noluerunt illorum sententiæ acquiescere. Frustra Concilium Nicenum pronunciasset sententiam contra Arrianos: Frustra Constantinopolitanum contra Macedonium: Frustra Ephesinum contra Nestorium: Frustra Chalcedonense contra Eutychen & Dioscorum. Non enim potuerunt efficaciter cogere conscientias utriusque partis ad obedientiam fidei. Sed absit, ut hoc sentiamus. Habent Concilia suas utilitates, etiam multi maneant in sua pertinacia. Quid? quod idem dicendum esset de iis, qui Euangelium prædicant. Nec enim Apostoli, nec eorum successores, neque vos Lutherani potestis efficaciter cogere conscientias ad amplectendam fidei veritatem. An ideo prædicatio Euangelij frustra

stra & sine fructu est:

136 Testimonia Scripturæ, quæ obiicis, intelliguntur de Deo, non de Scriptura. Itaque ex illis non potes probare, Scripturam efficaciter cogere conscientias ad obedientiam fidei. Ego contrarium ex illis ostendam. Ac 1. Ex illo Ac. 16.14. *Dominus aperuit cor Lydia.* Unde sic concludo. Non sola Lydia, sed multi alij audiebant Scripturam propheticam ex prædicatione Pauli Apostoli. Lydia conuertebarūt, multi alij non conuerterebantur. An hoc Scripturæ tribuendum? Non. Quia Scriptura respectu omnium erat eadem, & ex sua parte æqualiter omnibus proponebatur. Cui ergo? Partim Deo, qui mouebat corda per internam gratiam, partim hominibus, qui vel acceptabant gratiam, vel respuebant. Lydia acceptabat. Respuebant illi, de quibus Act. 7.51. *Vos semper Spiritui S. restitistis,*

137 Deinde, ex illo 1. Cor 3.7. *Neque qui plātat, est ali- quid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quis est, qui plantat & rigat? Apostoli, per prædicationem Euangelij. Quis est, qui dat incrementum? Deus, per internam gratiam. Sub priori membro continetur Scriptura: sub posteriori, gratia. Igitur Scriptura per se nihil est, nisi accedat gratia. Non igitur per se efficaciter cogit conscientias hominum ad obedientiam fidei. Quod pulchre ex hoc ipso loco ostendit Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 6.

E P I L O G V S.


HAbes, Gardi, Apologiam meam pro Iudice controuersiarum, quam per amicos extorsisti. Intelligis, quid dicam. Si deinceps dissertare vis, hæc tria veritates, merito exigere à te possum.

Primò, ut abstineas à conuitiis, mēdaciis, falsis citationibus

tionibus, & similibus vitiis, quæ tibi familiaria sunt, ut initio Apologiæ demonstratum est. Nam neque decet hominem Christianum: neque causam tuam promouent, sed potius suspectam faciunt. Scio, me ægrè hoc obtenturum; aut si obtineam, obtenturum etiam, ut non amplius sis Lutheranus, sed Catholicus. Quod faxit Deus, qui potest ex lapidibus suscitare filios Abrahæ.

Secundò, ut disertè pronuncies, quem Scripturæ Canonem, quam editionem, quam interpretationem sequi velis. Si ex Scriptura disputandum est. Ego disertè pronuncio, me sequi illum Canonem, qui in Concilio Tridentino consignatus est, & quem maiores nostri cum Gelasio, Augustino, Innocentio, sequuntur sunt: illam vulgatam editionem, quæ iam multis seculis in Ecclesia viguit: illam interpretationem, quæ antiquis Patribus & communi Ecclesiæ Catholicæ confessui conformis est. Similem protestationem à te exigo. Designa certum Canonem, certam editionem, certam interpretationem, quam fecuturus es. Haec tenus non fecisti.


Tertiò, ut satisfasias de tua vocatione, quæ nuper in dabo vocata est, & à te probari non potuit. (Scis quo loco, quo tempore, & quibus præsentibus.) Nam si legitime ad Ministerium vocatus non es, condemnat te Christus, cum dixit 1. Ioan. 10. 1. *Amen, amen, dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & larvo.* Si autem à Christo, condemnatus es, quid opus est disputatione? Aut igitur probandum tibi est, legitime vocatum te esse; aut si id præstare non potes, omnis controversia, quæ inter nos intercedit, decisa est. Hic finis; & ex animo precor, ut bene tibi sit.



DE POSTERIORI PARTE EPISTOLÆ.

AD LECTOREM.

VT etiam hanc partem intelligas, sic accipe. Ante annos duodecim scripsi tractatum de fide hæreticis seruanda. Bis illum oppugnauit Bataeus Caluinista, amicus Paræi: bis repulsus est. Et iam silet toto decennio. Paræus, quamdiu Moguntiæ fui, nihil unquam tentauit. Nunc demum ante annum, quod sciret me Viennæ in Austria commorari, in absentem verbo & calamo debacchatus est: confidens, ex tam longa locorum distantia, nullam se plagam à me accepturum. Et forte securus fuisset, si Viennæ mansisset. Ibi enim de Paræo, vel Paræi libellis, vix aliquid in publico auditur. Verum aliter res accidit. Superiori mense ex Austria Moguntiam redij. Ibi libellus, quem in me scripsit, mihi oblatus est. Inspexi, legi, refutauis: ut iam videbis.



POSTERIOR PARS EPISTOLÆ.

DE FIDE HÆRETICIS seruanda.

NON ægrè feras, D. Paræ, si diutius te interpellam, quam velis. Occurrit aliud, quod suggeram. Cum istis diebus discuterem Acta Colloquiorum Svalbacensium à te conscripta, accessit Canonicus Moguntinus, amicus meus, & ecce alterum tuum Libellum exhibuit, cum hac inscriptione: *Oratio inauguralis de fide hæreticis seruanda.* Ac simul insinuanit, in eo diserte me perstringi, & perfidiæ Magistrum appellari. Facile id credebam; præsertim quod ex priori tuo libello probe iam nossem; familiare tibi esse, conuictis ac maledictis aduersarium impetere. De quibus nihil dicam vterius. Maneant tibi tua conuictia. De re ipsa, quæ in controuersiam venit tecum agam.

2 Igitur ex meo Tractatu de fide hæreticis seruanda, transcribis & exagitas hæc principia à me posita.

Primum: In promissis, pactis, & conuentis seruanda est fides hæreticis: modo promissa, pacta, & conuenta sint alias licita & honesta.

Secundum: Libertas fidei ac religionis illicita est; & Doctrinæ Christianæ contraria; & Reipublicæ noxia ac pernicioса.

Tertium: Princeps Catholicus, non potest præcipere, approbare, aut introducere libertatem religionis;

sed

sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire. Si tamen impedire non possit sine maiori incommodo boni publici; potest eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum maius malum, quod alioqui sequeretur. Et, si paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine maiorि detimento impedire non potest, fides pacti seruanda est.

Quartum: Promissum vel pactum per vim aut metum iniuste extortum, rescindi potest; si is, qui iniuste vim aut metum passus est, id postulet.

3 Agnosco hæc principia à me posita. Quid tu vero, D. Parè? Ais primum principium destrui per annexam hanc clausulam: *Modo promissa, pacta & conuentæ sint alias licita & honesta.* Vnde apparet, clausulam illam, ex tua quidem sententia, tollendam esse: Et absolute afferendum, in quibusunque pactis ac promissis, etiam illicitis & inhonestis, fidem seruandam esse. Quod nescio, an aperte ausis profiteri. Tertium principium nihil aliud esse affirmas, quam *vafrum persidia regumentum ac ludibrium.* De reliquis, vera an falsa sint, disertè non dicis. Omnia tamen vellicas, atrodis, & miras consequentias inde deducis. Vno verbo: Iracunde & fastidiose despuis, quicquid à me positum est. Sed obsecro, sepone aliquantulum istam animi tui turbationem; & pacatè audi, quæ pro me allaturus sum. Fortè aliter senties, quam hactenus.

4 Ac initio quidem postulo, quod negare non potes, ut remotis controversiis domesticis, quæ inter Pontificios & Caluinistas consistunt, hoc vnum præcisè nunc agamus: An hæreticis, qui verè hæretici sunt, seruanda sit fides, necne? Neque misceamus odiosas illas & particulares quæstiones: An Pontificij, an Lutherani, an Caluinistæ verè hæretici sint? Maneamus

mus in thesi generali, De hæreticis, qui verè sunt hæretici. Aut si lobet speciatim descendere ad hos vel illos in particulari; descendamus ad eos, qui & vestra, & nostra opinione, verè hæretici sunt, ut Donatistæ, Manichæi, Arriani. Sic enim futurum est; ut de fide hæreticis seruanda, maiori fide ac candore inter nos agatur. Hoc iacto fundamentū, accuratè examinemus, an principia à me posita, vera sint, necne. Neque vel tu cogites, Caluinistas à Pontificiis: vel ego cogitem, Pontificios à Caluinistis, pro hæreticis haberi. Hæc enim cogitatio solet turbare animum, ut sincerè iudicare vel non velit, vel ægrè possit, est igitur.

PRIMVM BECANI PRINCIPIVM.

5. *In promissis, pactis, & conuentis, seruanda est fides Manichæis & Donatistis, etiam si verè hæretici sint: modo promissa, pacta, & conuenta sint alias licita & honesta.*

HVius principij duæ sunt partes. Vna, in promissis, pactis, & conuentis, fidem hæreticis seruandam esse: Addo nec minus hæreticis, quam Catholicis. Ratio est, quia obligatio seruandæ fidei in promissis & pactis oritur ex virtute veritatis, fidelitatis, & iustitiae, ut fuse in supradicto meo Tractatu demonstratum est. Neque tu id negas, sed approbas. Iam vero virtutes illæ æquè nos obligant, siue paciscamur cum hæreticis, siue cum Catholicis. Sicut enim veritas me obligat, ut non mentiar Catholico; fidelitas, ut non sim perfidus Catholico; Iustitia, ut non faciam iniuriam Catholico: ita etiam me obligant, ut non mentiar, non sim perfidus, non sim iniurius hæretico.

Hinc

6 Hinc sequitur, si Catholicus pacificatur cum hæretico de commutatione aut venditione fundi, de feudo, emphyteusi, punctione, venatione, de saluo conductu, de dote matrimoniali, de subsidio in iustum bellum conferendo, & de aliis similibus, quæ iure gentium concessa sunt; pacti fidem seruandam esse. Nunquid idem sentis, D. Paræ? Si sic, mecum sentis. Sin aliter, iam tuo ipsius iudicio perfidiæ Magister es. Hunc enim titulum tribuis illis, qui vel negant, vel tua opinione videntur negare, fidem hæreticis seruandam esse.

7 Altera pars continet hanc clausulam: *Modo promissa, pacta & conuenta sint alias licita & honesta. Quid censes, Paræ? Recte ne posita est hæc clausula, an tollenda?* Si ais recte positam esse, mecum sentis. Neque verum est, primum principium per appositionem illius clausulæ destrui ac euerti. Si ais tollendam esse (sicut præ te fers) quid respondebis utriusque Iuris Doctoribus, qui mecum docent, promissiones etiam iuramento confirmatas, si sint de re illicita vel turpi, seruandas non esse? Audi ipsorum verba In iure ciuili sic habes: *Legibus expressum est, illicitæ rei insurandum seruari non oportere.* (L. Imperialis, §. quod eis permittitur, Cod. de Nuptiis.) In iure autem canonico, præsertim apud Gratianum, causa 22. q. 4. hæc pâssim obvia sunt. Primo: In malis promissis rescinde fidem. 2. Non est obseruandum Sacramentum, quo malum incautè promittitur. 4. Magnæ sapientiæ est, reuocare hominem, quod male locutus est. 4. Si aliquid forte incautius nos iurasse contigerit, quod obseruatum in peiorem vergat exitum, illud salubriori consilio mutandum nouerimus. 3. Iuramenta illicita laudabiliter soluuntur; damnabiliter obseruantur. 6. Iuramentum non est vinculum iniquitatis.

8 Quod etiam variis exemplis in utroque iure confirmatur. Primo, exemplo Herodis, qui peccauit seruando illicitam promissionem ac iuramentum. (can. Est etiam, 22. q. 4.) Secundo, exemplo Davidis, qui laudatur, quod non seruauerit iuramentum, quo promiserat se imperfecturum Nabal (can. si aliquid ibidem) Tertio, exemplo mulieris adulteræ, quæ iurauerat se adultero adhæsuram. Et quia hoc non fecit, non censetur violasse iuramentum, sed prudenter omisisse. (can. Mulier, ibidem.) Quarto, exemplo cuiusdam Hubaldi, qui iurauerat, se concubinam suam velle accipere in uxorem; & propriam matrem cum fratribus e domo expellere, nec ullam eis alimoniam praestare. Cui suasum fuit, ut posteriorem partem iuramenti, ut pote illicitam non seruaret (can. inter cætera, ibidem.) Quinto, exemplo mulierum scenicarum, quæ iuramento promiserant, se permansuras in suo peccato, & libidinis infamia. Quibus responsum est ab Imperatore, tali iuramento ac promissione eas non obligari. (L. citata, C. de Nuptiis.)

9 Si haec vera sunt (de quo nec Theologos, nec Iureconsultos vestros Heidelbergenses dubitare, certo mihi persuasum est) necessario sequitur, clausulam illam, quam addidi: *Modo promissa, pacta & conuenta sive alias licita & honesta*; omnino addendam esse. Et, si illorum iudicio, addenda est, non recte à te dictum, primum principium per illam clausulam destrui ac euerti. Hic velim, sincere tuam mentem aperias. Quod si contempta utriusque iuris & Interpretum auctoritate, putas te plus sapere, quam illi sapiant; & pertinaciter asseras, supradictam clausulam submouēdam esse; responde ad hunc casum, quem propono. Paræus cum Catharina pactus est de adulterio, & de veneno mari

marito ipsius porrigo. Quæftio est, an teneatur seruare fidem ; & vi illius pacti, adulterium committere, & venenum porrigeret? Vide, quid respondeas. Si putas te non teneri, hoc ideo est, quia pactum est turpe & illicitum. Et sic, tua opinione, clausula illa, quam addidi : *Modo pacta sint alias licita & honesta*; addenda est. Si autem putas te teneri, putas etiam teneri te ad peccatum. At nulla est obligatio, quæ hominem constringat ad peccatum. Nec ex illa virtute oriri potest talis obligatio. Alioqui virtus non esset virtus, sed vitium. Quo nihil absurdius.

SECUNDVM BECANI PRINCIPIVM.

10. *Libertas fidei ac religionis planè illicita est, & Christianæ doctrinæ contraria, & Reipublicæ noxia ac perniciosa.*

Hoc principium continet tres partes. Prima est, libertatem fidei ac religionis plane illicitam esse. Quam sic probo. Libertas religionis, de qua hic loquimur, in eo consistit, ut quilibet possit habere liberum exercitium hæreticæ religionis, id est, libere profiteri heresin Donatistarum, & eorum Sacra-
menta usurpare. Hoc sine dubio illicitum est, Nam, ut rectè docent Theologi, gravius peccatum est heresis, quam adulterium, homicidium, furtum. Si ergo liberum exercitium adulterij, homicidij, & furti plane illicitum est; multo magis liberum exercitium hæresis. Nemo sanæ mentis id negat.

11 Secunda est, liberum exercitium hæreticæ religionis contrarium esse doctrinæ Christianæ. Nihil certius. Nam doctrina Christiana est vera; hæretica religio, falsa. At verum falso contrarium est.

Quo

Quo spectat illud 2. Cor. 6. 15. Quæ societas luci ad tenebras? Rursum, doctrina Christiana est vna, Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Doctrina hæretica est multiplex ac varia, Hebr. 13. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. At vnum & multiplex, in hoc genere, non aliter opponuntur, quam unus & plures Dij. Vel, quam unus verus Deus, & multi falsi Dij.

12 Tertia est, liberum exercitium hæreticæ religiosis, Reipublicæ noxiū ac pernitiōsum esse. Et quidem dupliciter. Primo, quoad salutem animarum. Quod insinuat Apostolus 2. Tim. 2. 17. vbi de hæreticis sic scribit: *Sermo eorum, ut cancer, serpit.* Quasi dicat: Sicut cancer est morbus contagiosus, qui vbi vnam corporis partem occupauerit, sensim peruidit & corruptit totum corpus: sic hæresis est contagiosa doctrina, quæ vbi vnum aut alterum hominem in aliqua communitate possederit, paulatim innadit & peruertit totam communitatem, nisi mature occurratur. Secundo, quoad externam pacem & tranquillitatem. Hæc enim sine unitate fidei conseruari non potest. Vbi ergo diuersitas fidei est, ibi dissensiones & factio-nes esse, necesse est. Hoc testatur Christus, cum ait: *Omne regnum in se dissidium desolabitur.* Hoc testantur omnium pene sæculorum exempla. Arriani turbarunt totum Orientem: Macedoniani Græciam: Donastitæ Africam. Taceo cætera. Et quid hoc tempore turbat Hollandiam, nisi dissensiones vestrorum hominum, id est, Caluinistarum? Gommaristæ vi & ferro perse-quantur Armenianos. Nimirū Caluinistæ Caluinistas. Malim de hac re silere, quam loqui, quia odij ac inuidiæ plena est. Sed tamen, ut videoas Paræ, quam verum sit, quod asserui de exercitio hæreticæ religio

religionis; volui potius insinuare, quam penitus dissimulare.

TERTIVM BECANI PRINCIPIVM.

13. Princeps Catholicus non potest præcipere, approbare, aut introducere libertatem religionis, sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire. Si tamen sine maiori detrimento boni publici impedire nequeat, potest eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum maius malum, quod alioqui sequeretur. Et, si paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, fides pacti seruanda est.

HVius principij sunt etiā tres partes. Prima Principē Catholicum nō debere præcipere, approbare, aut introducere sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire liberum exercitium hereticæ religionis. Sequitur ex dictis. 1. Quia huiusmodi exercitium est illicitum. 2. Est doctrinæ Christianæ contrarium. 3. Est Reipublicæ perniciosum. 4. Est magis detestabile, quam exercitium adulterij, homicidij, furti. Quis autem neget, Principem in sua Republica debere omnibus modis, quantum fieri potest, impedire liberum exercitium adulterij, homicidij, furti? Quanto magis liberum exercitium hæresis? Hinc illa sāctio Imperatoria, L. Nullus, Cod. De summa Trinitate & fide Catholica: *Nullus hæreticis ministeriorum pateat locus.* Item, *Arceantur cunctorum hæreticorum ab illis cōgregationibus turbæ.* Item, *Si quid eruptio factiosa tentauerit, ab ipsis etiam urbium mœnibus propelli iubemus.* Et L. Cuncti, Cod. de hæreticis & Manichæis: *Cuncti hæretici proculdubio nouerint, omnia sibi loca admenda esse.* Vide plures leges ibidem.

14. Altera est, Si Princeps Catholicus, sine maiorि
Opusc. Tom. V. E e incommo

incommodo boni publici, non possit impedire exercitium hæreticæ religionis posse tunc illud tolerare seu permittere, ad maius illud incommodum evitandum. Ita sentiunt grauissimi Authores, qui passim docent: Ex duobus malis, si ambo simul evitari nequeat, minus malum eligendum esse. Et ratio est, quia in tali casu non eligitur minus malum, quatenus malum est, sed quatenus conduceat ad evitandum maius malum, quod aliter evitari non potest. Ac proinde eligitur sub ratione boni utilis seu conducibilis. Deinde, ipsa natura hoc dicit. *Quis enim ex instinctu naturæ non agnoscit; stultum esse, ex duobus malis occurrentibus eligere id, quod maius est?* Tu ipse dic Paræ; si latro alterutrum è duobus, vel pecuniam, vel vitam tibi vellat auferre; malleusne vitam, quam pecuniam amittere? Non opinor. Accommodemus ad rem, de qua agitur. Donatistæ petunt à Catholicæ Principe, ut permittat ipsis exercitium suæ hæresis in uno templo: Et simul minantur, nisi annuat, se omnia Catholicorum tempora occupaturos, & Catholicorum exercitium abolituros. *Quid faciet Princeps?* Si potest utrumque evitare, tenetur. Si alterutrum eligendum est, eliget quod minus est. Minus malum est, permittere hæreticis unum templum pro exercitio; quam permittere, ut omnia deuastentur, & fides Catholica penitus extirpetur. Nemo dubitat. Si tu aliter sentis, parum sanus es.

15. Tertia est, Si Princeps Catholicus pacificatur eum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine maiori incommodo boni publici impedire non potest, fidem pacti seruandam esse. Ratio patet ex dictis, quia fides seruari debet in omni pacto licto & honesto: atqui licitum & honestum est, tolerare liberta

libertatem religionis ad maius malum euitandum ; & de ea toleranda licite & honeste pacisci potest Princeps Catholicus , in tali necessitate : Ergo , si paciscitur , fides seruanda est : repetam exemplum , quod posui: Princeps paciscitur cum Donatistis de tolerando exercitio religionis ipsorum in uno templo, ad euitandum huiusmodi exercitium in reliquis templis, id est , paciscitur de tolerando minori malo ad euitandum maius malum ; teneturne seruare fidem , nec ne? Si ais seruandam esse , cur me perstringis , qui idem doceo? Si negas seruandam esse , cur seruanda non est? An quia pactum , vt tu putas fortasse , illicitum est: Concedis ergo fidem seruandam esse , cum hac clausula , modo pactum sit alias licitum. At hoc supra negasti , vel visus es negare. Dic rotunde & sine ambagibus , quid sentias.

QVARTVM BECANI PRINCIPIVM.

16. *Promissum vel pactum , per vim aut metum iniuste extortum , rescindi potest , si is velit , qui iniuste vim aut metum passus est.*

Propter hoc principium , quod etiam posui in supradicto meo Tractatu , vocas me perfidiæ Magistrum. Sed audi , mi homo. Non sum perfidiæ Magister , sed doceo , quod docent utriusque Iuris Doctores ac Interpretes. Illorū doctrina hæc est. Si quis vi vel graui metu iniuste coactus est contrahere vel pacisci; huiusmodi contractus vel pactum non est quidem planè irritum ; potest tamen à Iudice rescindi & in irritum reuocari , si is , qui iniuriam passus est , id postulet à Iudice. Hanc posteriorem partem , quam tu carpis , repieres in utroque iure. Et quidem in iure canonico , cap. 2.

De his, quæ vi sic legimus: Vnde, quia qua mitu est vi sicut, debent iure in irritum renocari; mandamus, quatenus prædicto R. cum integritate restituas omnia. Et ibidem cap. 4. Quæ vi metusue causa sunt, carere debent robore firmitatis, Et in iure ciuili, L. vltima, C. de his, quæ vi: venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extorta sunt, precipimus infirmari. Et ratio est, quia qui alteri vim, aut grauem metum iniuste incussit, iniuriā illi intulit, Ergo tenetur illum in priorem statum restituere; & alter habet ius exigendi hanc restitutionem. Quo spe-
 etat illud, L. si mulier, ff. quod metus causa: Si metu coa-
 etus adiui hereditatem, puto me heredem offici; quia quamuis,
 si liberum esset, noluisset; tamen coactus volui: sed per Pre-
 torem restituendus sum, ut abstinenti mibi potestas tribuatur.
 Si hæc, Paræ, tibi omnia desipiunt, transige cum Iure-
 cōsultis Heidelbergēsibus. Sed cœue, ne & ipsos, si ali-
 ter quam tu sentiant, perfidiæ Magistros appellaueris.
 Alioqui vapulabis,

C O N C L U S I O.

17 **H**Actenus repetui principia à me posita. Nunc
 diserte ex te quæro, vera an falsa sint, tuo iu-
 dicio? Si falsa, ostende falsitatem: Et sigillatim explica,
 quid vitij in singulis lateat: Et quomodo occurren-
 dum sit authoritatibus & rationibus, quibus ea confir-
 mavi. Idque præstari à te velim, vel publico scripto,
 vel coram Discipulis Heidelbergensibus, qui forte
 ad te accessuri sunt, & determinatam à te sententiam
 rogaturi.

18. Si vera sunt (quod puto te concessurū) carpi non
 debent. Nec vlla ex iis consequentia, nisi quæ vera
 sit, legitime deduci potest. Nam regula Dialectico-
 rum est: Ex vero non nisi verum. Vnde sequitur, me
 innocentem

innocentem hic esse , te nocentem. Nam & principia à me posita, vera sunt : Et similiter omnes conclusio-
nes, quæ legitime ex illis deducuntur, veræ. At tu no-
cens es. Nam multa concludis ex meis principiis, quæ
ais absurdæ esse. Vel ergo absurdæ sunt , vel non. Si
absurdæ sunt , tu culpandus es, qui ex veris principiis
illegitime colligis absurdas consequentias. Si absurdæ
non sunt , iterum culpandus es , qui inuidiose singis
absurdæ esse , qnæ non sunt. Quidquid hic dixeris ,
captus es.

19. Sed ut clare appareat, quæ & quales sint conse-
quentiæ , quas infers & ex meis principiis , ostendam
hoc vno aut altero exemplo. Igitur ex ultimo princi-
pio sic concludis. Beccanus docet, pacta rescindi posse:
quomodo ergo Euangelici possunt tuto pacisci cum
Pontificiis, si Pontificiis licitum est, pacta semel inita,
pro suo arbitrio rescindere , & in in irritum reuocare?
Respondeo. Ego doceo, quod Iureconsulti docent, pa-
cta per vim aut metum iniuste extorta rescindi posse;
quod est verissimum : Non autem absolute , pacta
quocunque modo inita , rescindi posse. Itaque iniu-
riam mihi facis. An autem Euāgelici (sic vocas Calui-
nistas) per vim & metum iniuste extorqueant pacta à
Pontificiis, de eo nihil dixi. Si tu supponis, iniuste eos
extorquere , iam fratrum tuorum accusator es. Vide,
ut legitime probes crimen , quod obiicis. Si autem
id non supponis, quid tecum litigas? Certe meum
principium, quo tu abuteris, æque pertinet ad omnes,
qui iniuste per vim aut metum extorquent aliquod
pactum, siue sint Pontificij, siue Euangelici, siue Ca-
tholici, siue Hæretici. Possum enim legitime sic argu-
mentari: Pactum, quod quis per vim aut metum iniu-
ste extorquet, rescindi potest : At , verbi gratia , hoc

pactum de tradendo feudo per vim & metum iniuste extorsit Petrus Catholicus aut Donatus Hæreticus: Ergo. hoc pactum rescindi potest. In quo syllogismo maior vera est. De minori quæritur vera sit, necne. Si vera est conclusionem veram esse necesse est. Si falsa, nihil efficitur. Simile est hoc argumentum ex Apostolo : Ebriosi , vt docet Apostolus, regnum Dei non possidebunt: At hic Catholicus, aut ille Hæreticus est ebriosus : Ergo hic Catholicus, aut ille Hæreticus regnum Dei non possidebit. Puto te agnoscere tuas ineptias & imposturas.

20. Aliud addo exemplum. Ex secundo meo principio sic concludis : Libertas religionis , vt docet Beccanus, est plane illicita: Ergo ex sententia Becani, non licet pacisci de libertate religionis , quod repugnat tertio ipsius principio. Respondeo. Tu omnia confundis. Aliud est libertas religionis, seu liberum exercitium hæreticæ religionis, aliud tolerantia illius exercitij : Liberum exercitium hæreticæ religionis semper est illicitum , & de eo pacisci non licet. At tolerantia illius exercitij potest esse licta , ac proinde de tolerantia licite pacisci quis potest. Omitto reliquias nugas , quibus Lectori conatus es imponere. Et serio rogatum te volo , vt in hac tua senectute magis sollicitus sis, quomodo per charitatē Deo placere, & saluari possis quam quomodo per fraudes & calumnias proximo nocere. Hoc fac & viues.

DE ECCLESIA CHRISTI,

*ITEMQUE DE ECCLESIA
Romana, quæ est Catholicorum; & de
Reformato, quæ est Lutherano-
rum & Caluinistarum.*

INDEX.

HIVIS Libelli tres sunt quæstiones præcipuæ. Prima, de Ecclesia Christi generatim. Altera, de Ecclesia Romana, quæ est Catholicorum. Tertia, de Ecclesia Reformato, quæ est Lutheranorum & Caluinistarum. Singulæ habent suas conclusiones, hoc ordine.

CONCLUSIONES

I. QVÆSTIONIS.

- 1 *Vera Christi Ecclesia in terris, visibilis est.*
- 2 *Hæc visibilis Ecclesia est una, sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, Columna & Firmamentum veritatis,*
- 3 *Extra hanc Visibilem Ecclesiam nemo potest saluari.*

- 4 Hec visibilis Ecclesia non potest deficere vel errare in fide.
 5 Ideoque magna debet esse ipsius autoritas in negotio fidei.
-

C O N C L V S I O N E S.

I I L Q V A E S T I O N I S.

- 1 Romana Ecclesia , si sumatur pro Particulari Ecclesia, quæ Roma est , fuit olim Mater & Caput omnium aliarum Ecclesiarum , quæ toto Orbe erant dispersæ. Et omnes aliae , nisi errare vellent , debebant illi esse conformes in fide & religione.
 2 Romana Ecclesia , si sumatur pro uniuersali Ecclesia toto Orbe diffusa , fuit olim S. Petro commissa, his verbis , Pasce oves meas. Itaque Petrus fuit Vicarius Christi , Caput & Pastor totius Ecclesie ; cui postea cum pari potestate successerunt Pontifices Romani.
 3 Ecclesia Romana , hoc posteriori modo sumpta , nunquam defecit ab ea fide , quam primis 500. Annis publicè professa est : ac proinde , sicut tunc erat vera Christi Ecclesia , ita & nunc est.
-

C O N C L V S I O N E S.

I I I . Q V A E S T I O N I S.

- 1 Ecclesia Reformata , in qua Lutherani & Calvinistæ sunt , non est una.
 2 Non est Sancta.

3 Non

- 3 Non Catholica.
- 4 Non Apostolica.
- 5 Non Sponsa Christi.
- 6 Non Domus Dei.
- 7 Non columna & firmamentum veritatis.
- 8 Non habet sanam doctrinam, sed dissentientem, à doctrina antiquorum Patrum.
- 9 Non habet constantem doctrinam, sed perpetuis contradictionibus obnoxiam.
- 10 Non habet Ministros bonae famae.
- 11 Nec legitimè vocatos.
- 12 Malis artibus propagata est.



D E E C C L E S I A C H R I S T I.

DUplex hoc tempore Ecclesia est apud Christianos. Una, quæ dicitur Catholica, Romana, Pontificia, in qua Catholicæ sunt. Altera, quæ dicitur Reformata, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt cum suis affeclis. Vtra illarum sit vera Christi Ecclesia, inquirendum est. Nam cum inter se discrepent in fide & religione, ambæ veræ esse non possunt. Non enim sunt duæ Christi Ecclesiæ, sed una: sicut *Vnus est Deus, una Fides, unum Baptisma*, teste Apostolo, Eph. 4. 5.

2. Lutherani & Calvinistæ sic fere sentiunt Primo, Ecclesiam Romanam seu Pontificiam, quæ vulgo Catholica appellatur, fuisse olim veram Christi

E e vulgo

Ecclesiam, præsertim primis quingentis annis. Se-
cundo, eandem post primos quingentos annos cepisse
paulatim deficere à vera fide & religione, ac tandem pe-
nitus defecisse, apostata esse, adulteram factam esse. Ter-
tio, in eius locum, tempore Lutheri & Caluini, suc-
cessisse Ecclesiam Reformatam, quæ sublatis Papi-
starum superstitionibus accorruptelis, pura, integra, &
incorrupta sit.

3. Catholici contra, sic ratiocinantur: Vera Christi Ecclesia non potest deficere vel errare in fide: At Ecclesia Romana seu Pontificia, primis quingentis an-
nis, fuit vera Christi Ecclesia, ut fatentur aduersarij,
Ergo non potuit deficere vel errare in fide: Ergo adhuc
manet vera Christi Ecclesia. Et consequenter, Ecclesia
Reformata, quæ illi contraria est in fide & religione,
non potest esse vera Christi Ecclesia.

4. In hoc discursu sunt tres potissimum partes. Pri-
ma, veram Christi Ecclesiam non posse deficere vel
errare in fide: altera, Romanam seu Pontificiam fui-
se olim veram Christi Ecclesiam. Tertia, Reforma-
tam non esse veram Christi Ecclesiam. Singulæ seor-
sim, per singulas quæstiones, explicandæ sunt.

I. Q V A E S T I O.

*An vera Christi Ecclesia possit deficere, vel errare
in Fide?*

Certum est, aliquam Ecclesiæ partem, id est, ali-
quos Christianos errare posse, & re ipsa errasse.
Errauit Arius, negans Christi diuinitatem. Errauit.
Macedonius, negat Spiritus Sancti diuinitatem. Errauit
Nestorius

Nestorius , afferens duas in Christo personas. Errarunt Eutyches & Dioscorus, afferentes unam in Christo naturam : Errarunt Pelagiani , negantes peccatum originale , & necessitatem gratiae . Errarunt Donatistæ , & alij plures. Qui omnes propter suos errores, ab Ecclesia damnati , & tanquam putida membra abscessi sunt.

2. At quæstio est, an tota Ecclesia Christi seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ouibus collata est, possit errare in aliquo punto vel articulo fidei ? Vel, ut clarius dicam, an Christus, qui Ecclesiam suam gubernat , permisurus sit , ut ipsa tota, quatenus toto Orbe diffusa est, publice profiteatur aliquid dogma , quod sit contra fidem vel Euangelium ? Aduersarij videntur affirmare. Nos negamus. Ex illorum sententia sequitur , neminem securum ac tutum esse in fide & religione , etiamsi sequatur id quod tota Ecclesia docet. Totam enim errare posse. Ex nostra sequitur , omnes securos ac tutos esse , qui totius Ecclesiæ iudicio ac sententiæ acquiescunt. Non enim mendacem esse Christum , qui dixit , *Potest inferi non preualebunt aduersus eam.* Nostra sententia deduci & explicari potest per sequentes conclusiones.

PRIMA CONCLVSIONE.

Vera Christi Ecclesia in terris, visibilis est.

³ **H**anc concedunt aduersarij, præsertim Calvinus lib.4. Institut, cap. 1. §. 4. ubi ex professo disputat de Ecclesia visibili , & Philippus Melanchthon in Examine ordinandorum , titulo de Ecclesia , ubi sic

sic ait: Ecclesia visibilis in hac vita est, catus visibilis, amplectentium incorruptam Euangely doctrinam, & recte uterum Sacramentis, in quo cœtu Filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam eternam.

4. Et res certa est. Primo, quia Christus in Evangelio comparat Ecclesiam suam sacerdotum missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: comparat conuiuio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt: comparat decem Virginibus, quarum quinque prudentes sunt, totidem fatuæ: comparat ouili, in quo periuntur oves & hædi. Denique Apostolus comparat illam magnæ domui, in qua sunt vasa omnis generis alia in honorem, alia in contumeliam. Hæc non possunt intelligi, nisi de Ecclesia visibili. Nam aduersarij, qui agnoscunt duas Ecclesiæ, unam visibilem & alteram inuisibilem, sic eas inter se distinguunt, quod in hac sint soli prædestinati, in illa boni & mali permixti. At in Ecclesia, de qua CHRISTVS & Apostolus loquuntur in supradictis parabolis, sunt boni & mali permixti: Ergo loquuntur de Ecclesia visibili. Loquuntur autem de vera Ecclesia. Vera igitur Ecclesia est visibilis. Et hoc fatetur Caluinus loc. cit. §. 13. cum de visibili Ecclesia sic scribit: *Allegant Ecclesiam Christi sanctam esse: Verum ut similiter intelligent, esse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiant in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neque scilicet donec in littore sint exposui. Et Melanchthon post definitionem Ecclesiæ visibilis paulo ante traditam, sic subiungit: Sunt tamen in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.* Idem docet Augustinus tract. 6. in Ioannem: *Nos fatemur, inquit, in Ecclesia Catholica bonos & malos esse: sed tanquam grana & paleas.* Igitur Catholica & sancta Christi Ecclesia, visibilis est.

§. Secun

5. Secundo, Illa Ecclesia necessario visibilis est, in qua Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, sacramenta administrare, peccantes corripere, contumaces ab aliorum communione separare: vicissim, ubi subditi debent agnoscere suos Pastores, eorum monitis, obtemperare, instructionem & Sacra menta ab eis petere. At haec omnia fiunt in vera Christi Ecclesia: Ergo vera Christi Ecclesia necessario visibilis est. Minor patet ex Scriptura, Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiae. Si Ecclesiam non audierit sibi sicut ethnicus & publicanus. Et Act. 20. 28. Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et Hebr. 13. 17. Obedite Prepositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

6. Tertio, Illa Ecclesia necessario est visibilis, in qua publicè inducuntur & celebrantur Concilia, sanctiuntur Canones, dirimuntur controuersiae de fide ac religione. Haec omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Nam Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, in quo haec constitutio facta est, *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.* (Act. 15. 28.) Et post tempora Apostolorum celebrata sunt Concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ ab aduersariis, tanquam legitima admittuntur. Sic enim de iis scribit Serenissimus Rex Anglie in Monitoria Præfatione: *Prima quatuor Generalia Concilia, tanquam Catholica & orthodoxa veneror atque recipio: que & publica ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, & ab Ecclesia nostra pro orthodoxis habentur.*

7. Quarto. idem à Deo prædictum est per Prophetas, ut Psal. 18,6. *In sole posuit tabernaculum suum.* Quod de Ecclesia Christi intelligendum est, ut pulchre explicat Augustinus in Enarratione illius Psalmi, his verbis: *In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto: non qualaretur, velut opera, ne forte fia sit operata super greges hereticorum.* Et Epist. 166. ad Donatistas: *Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est, in manifestatione, omnibus nota usque ad terminos terræ.* Omitto similes prophetias.

8. Quinto idem patet ex verbis Christi, Matth. 5, 15. *Non potest ciuitas abscondi super montem posita: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Vbi per ciuitatem, quæ abscondi non potest, & per lucernā quæ omnib⁹ lucet, intelligitur Ecclesia Christi. Vnde idem Augustinus in libro de unitate Ecclesiæ, cap. 16. *Non est, inquit, operata Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum.* Et de illa dictum est; non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Sed Donatistis velut opera est quæ audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam rotō Orbe demonstrat: & malis clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere. Et Epist. 170. ad Seuerinum: *Facile tibi est attendere & videre ciuitatem super montem constitutam.*

9. Sexto idem constat ex Symbolo fidei, vbi sic dicimus, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam:* quod de visibili Ecclesia intelligendum esse, non solum docent Catholici, sed etiam multis ex aduersariis, præsertim Caluinus lib. 4. cap. 1. §.2. & Melanchthon loco supra citato. Itaque dari Ecclesiam visibilem, est articulus fidei secundum aduersarios. Et recte. Nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, tamen

tamen quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum, hoc non videmus, sed credimus. Vnde visibilis Ecclesia partim cadit sub externos oculos, partim sub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt, interna fide credimus, veram Christi doctrinam apud eos tradi & conservari.

10. Hinc soluitur vulgare illud sophisma: *Quod fide credimus, non est visibile: Ecclesiam fide credimus: Ecclesia ergo visibilis non est.* Nam maior propositio sic debet intelligi. *Quod fide credimus, non est visibile ex ea parte,* qua sub fidem cadit: tametsi possit esse visibile ex alia parte, qua sub fidem non cadit. Huius rei varia existant exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem; credebant diuinitatem. In Baptismo videmus externam aquam & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, scripturam, Codicem ipsum, credimus, quod in eo continetur, esse verbum Dei. Idem dico de Ecclesia. Est aliquid in ea, quod credimus; est aliquid, quod videmus. Credimus veram esse doctrinam, quae in Ecclesia traditur: Videmus homines, externos ritus & Sacra menta, quae in Ecclesia sunt.

11. Accedit consensus Patrum. Omnes, qui de hac re ex professo scribunt, Ecclesiam visibilem affir mant. Augustinus (ut omittam testimonia ipsius supra citata) epist. 166. ad Donatistas sic habet: *in Scripturis didicimus Christum: in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus. quare non in eis Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Et post multa: *Ecce, Scripturae communes: Ecce, ubi nouimus Christum, ibi nouimus Ecclesiam. Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum, quem legiis & non videtis,*

videtis, tamen propter Scripturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis?

12. Et ne longus sim, in enumerandis aliis Patribus, omnes illi supponunt Ecclesiam esse visibilem, qui recensent ordine Successores Petri in gubernatione Ecclesiæ, ut Irenæus, Optatus, Augustinus, Epiphanius, & Eusebius Cæsariensis. Omnes item, qui farentur ex Euangelio, bonos & malos in Ecclesia permixtos esse: qui agnoscunt potestatem soluendi, ligandi, excommunicandi, quæ nisi in Ecclesia visibili exerceri non potest. Denique qui asserunt Ecclesiam sine prædicatione Euangeli & Sacramentorum administratione, consistere non posse. Nec puto quenquam esse, qui hæc neget, si intelligat

SECUNDA CONCLVSION.

Hæc Visibilis Ecclesia est Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, Columna & firmamentum Veritatis.

13 **H**anc etiam admittit Calvinus loco citato. Et merito. Nam Scripturæ, Symbola fidei, & Patres passim ita docent. Dicitur autem Ecclesia *Vna*, propter unionem & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt. Omnes enim unam eandemque fidem profitentur, iuxta illud Apostoli. Eph. 4.5. *Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Et qui recedunt ab hac fidei unitate, propriè Sectarij & Hæretici appellantur. Itaque ad eam conseruandam sæpè hortatur nos idem Apostolus, præsertim Rom. 16. 17. *Rogo vos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis.*

Et 1.

Et 1. Cor. 1.10. Obsecro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata. Et Hebr. 13. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abducti.

14 Dicitur *Sancta*, ob has causas. Primo, quia nemo in eam ingreditur, nisi per Baptismum ablutus & sanctificatus. *1. Cor. 6. 11. Hoc quidem fuisti, sed abluti & sanctificati es tu.* Secundo, quia omnia ipsius instituta, ceremoniae, Sacra menta, & doctrina ad sanctitatem ordinantur. Eo enim spectant, ut vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus & conseruemur. Tertio, quia extra illam nulla potest esse sanctitas. Quartò, quia Christus, qui est Caput & Sponsus Ecclesiae, est Sanctus sanctorum. Addit Caluinus lib. 4. cap. 1. §. 17. vocari sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis aspirat. Nec obstat, quod multi maliti sint in Ecclesia. Potest nihilominus vocari sancta, tum propter rationes allatas; tum etiam, quia multi in ea sancti sunt.

15 Dicitur *Catholica*, seu universalis, tribus de causis Primo, ratione loci, quia per universalium Orbem diffusa est, Marci 16. 15. *Euntes in mundum universalis praedicare Euangeliū omni creature.* Secundo, ratione temporis, quia semper durabit. Dan. 2. 44. *Suscitabit Dominus cœli regnum, quod in eternum non dissipabitur.* Tertio, Ratione hominum saluandorum, quia quotquot saluantur in visibili Ecclesia saluantur, & nullus extra eam saluari potest. (infra, concl. sequenti.) Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi & Synagogam Iudeorum. Haec enim nullo istorum modorum fuit Catholica seu universalis. Non primo, quia non fuit diffusa per totum Orbem, sed per solam Palæstinam. Nec secundo quia non durauit, nisi certo tempore, nempe usque ad mortem Christi. Nec tertio, quia poterant saluari ho-

mines extra Synagogam, ut Niniuitæ & alij.

16 Dicitur *Apostolica*, primo, quia in Apostolis initium habuit. Secundo, quia ab Apostolis per Orbem terrarum propagata est. Rom. 10, 18. *In omnem terram exiit sonus eorum*. Tertio, quia sequitur doctrinam Apostolorum ad Gal. 1, 8. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizari vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit*. Denique, quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis. Vide Tertullianum lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 20. & duobus sequentibus.

17 Dicitur *Sponsa Christi*, quia Christus indissolubili vinculo eam sibi coniunxit. Osee 2, 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Et Eph. 5, 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhæredit uxoris sue, & erunt duo in carne una*. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Habet autem hæc Sponsa tria priuilegia. 1. quod sit fæcunda. 2. quod semper virgo. 3. quod ex latere Sponsi progenita. Quæ tria simul sumpta, nulli unquam Sponsæ obtigerunt. Beata Maria, Iosephi sponsa, fuit quidem fæcunda & semper Virgo; non tamen ex latere sui sponsi progenita. Eua è contrario fuit ex latere Adami procreata, & fæcunda; non tamen semper Virgo. At Ecclesia, Christi sposa, omnia simul nacta est. Ac primo, quod fæcunda sit, patet ex illo, Gal. 4, 31. *Non sumus ancillæ filij, sed liberae*. Quod Virgo, ex illo 2. Cor. 11, 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Quod ex latere Christi, colligunt plerique ex illo, Ioan. 19, 34. *Vnus miluum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua*. Vnde Augustinus in expositione Psalmi 126. Cum, inquit, dormiret Adam, costa illi detracta est, & Eua facta est. Sic & Dominus, cum dormiret in cruce, latus eius lancea

lancea percussum est, & Sacra menta effluxerunt, unde facta Ecclesia. Ecclesia enim coniux Domini facta est de latere, quomodo Eua facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta, nisi de latere dormientis, sic ista non est facta, nisi de latere dormientis. Et lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 2. Agite Iudei nescientes nuptias agni, dare præmium pecunia malo nebuloni Iude. Agite, ut ille qui natus est de Virgine, à Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lellum. Dormiat moriendo; aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat Vergo: Ut quomodo Eua facta est ex latere Adæ dormientis, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendens. Per ossum est enim eius latus, ut Euangelium loquitur, & statim manavit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesie gemina Sacra menta. Aqua, in qua est sponsa purificata: sanguis, ex quo inuenitur esse dotata. Vide eundem Augustinum lib. 12. contra Faustum cap. 8. & lib. 22. de civitate Dei cap. 17.

18 Dicitur *Domus Dei*, quia tametsi Deus ubique sit, ut ipse metatetur apud Ieremiam cap. 23. 24. *Cœlum & terram ego imdeo*: tamen peculiari modo habitat in Ecclesia, tanquam in domo sua propter specialem assistentiam & gubernationem, ut concl. 4. explicandum est. Hanc domum ipse sibi ædificauit supra firmam petram, ut nunquam ruitur sit, Matth. 16. 18. In hac habet dispensatorem familiæ suæ, Lucæ 12. 42. In hac generat filios per Baptismum, instruit per prædicationem Euangeli, nutrit per Eucharistiam, sanat per Pœnitentiam & Vnctionem. In hac habet vasa omnis generis, aurea & argentea, lignea & fictilia. 2. Timoth. 2. 20. In hac celebrat coniuicium nuptiale, Matth. 22. 2. Denique extra hanc, neminem saluum esse vult, ut paulò post videbimus.

19 Dicitur *Columna & firmamentum veritatis*, quia est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere nō potest: & sua firmitate ac stabilitate sustentat suos filios ne à veritate aberrent. Aduersarij paulo aliter explicant. Aliunt Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis: Vel quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, quam in Ecclesia, ut vult Beza in Commentario: Vel, quia Ecclesia est fida custos veritatis Dei, ut interpretatur Caluinus lib. 4. instit. cap. 1. §. 10. Vel, ut loquitur in Commentario, quia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit: Vel deniq; ut loquitur in cap. 43. Isaiæ. v. 10. quia veritatem tuerit & propagat, ut à posteris in omne eum colatur. Hæc omnia seruient nobis pro 4. conclusione,

III. CONCLVSION.

Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest saluari.

20 **I**Ta passim docent Patres, Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 19. *Ad ipsam vero salutem, inquit ac vitam eternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christi.* Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia. Et epist. 40. ad Bonifacium Comitem, sub finem: *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille caput est, saluator corporis sui.* Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus sanctus. Et paulò post: *Non habent itaque Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.* Et epist. 152. ad Donatistas: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate dis-*

innectus

iunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.
Et Sanctus Gregorius lib. 14. moralium cap. 2. Sancta
uniuersalis Ecclesia prædicat, saluari veracuer, nisi intrasse,
non posse: afferens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minimè
saluabuntur.

21 Consentient aduersarij. Caluinus lib. 4. cap. 1. §. 4.
Verum, inquit, quia nunc de visibili Ecclesia differere pro-
positum est, discamus vel uno Matris elogio, quam vultis sit
nobis eius cognitio, imo necessaria: quando non aliud est in vi-
tam ingessus, nisi nos ipsa concipiatur in utero, nisi pariat, nisi
nos alat suis uberibus, denique sub custodia & gubernatione
sua nos tueatur, donec exutis carne mortali, similes erimus
Angelis. Et paulò post: Extra eius gremium nulla est spera-
da peccatorum remissio, nulla salus. Et rursus §. 22. Tria,
inquit, hic nobis obseruanda sunt. Primum, quantalibet san-
ctitatis polleant filij Dei, hac tamen conditione semper esse, quā-
dū in mortali corpore habitant, ut sine peccatorum remissione
consistere nequeant coram Deo. Deinde, hoc beneficium sic es-
se Ecclesiæ proprium, ut non aliter eo fruamur, quam si per-
maneamus in illius communione. Tertio per Ecclesiæ Ministros
& Pastores nobis dispensari, vel Euāgeliū prædicacione, vel Sa-
cramentorum administratione.

22 Et Philippus Melanchthon in Examine ordinā-
dorum, titulo de Ecclesia: Non liquimur, inquit, de Ecclesia, ut de Idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam, iuxta
dictum, Dic Ecclesia. Hic necesse est intelligi visibilem Ecclesiā.
Et mox querit, An necesse sit, singulos homines sa-
uandos fieri ciues huius Ecclesiæ visibilis: Et respon-
det his verbis: Prorsus necesse est, &c.

23 Eius rei variæ assignantur causæ ab Augustino.
sermone 181. de tempore. Prima, quia in sola Ecclesia
immolatur hostia Redemptoris. Altera in sola vinea
laborantes, mercedem denarij accipiunt. Tertia, om-

Tertia , omnes qui extra arcā Noe fuerunt, diluvio extincti sunt. Quarta, membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. Quinta, ramus præcisus ab arbore , non potest germinare. Sexta, riuis à fonte separatus arescit. Alij hanc addunt Christus est sponsus Ecclesiæ: At Christus non est adulter, nec generat filios ex adultera: Ergo non generat filios, nisi ex sponsa sua Ecclesia. Nemo ergo filius Christi est , nisi matrem agnoscat Ecclesiam. Huc spectat Cyprianus in lib.de Vnitate Ecclesiæ , cum ait : *Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Et Augustinus lib.4.de Symbolo ad Catechumenos, cap. 13. *Si quis absque Ecclesia inuentus fuerit , alienus erit à numero filiorum.* Nec habebit Deum Patrem , qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

24 Eodem pertinet vaticinium Isaiae cap.60. 11. *Aperiensur portæ tuæ ingiter: die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium , & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruerit tibi peribit.* Quibus verbis duo prædictit. Vnum, quod Ecclesia Christi futura sit visibilis, quæ pateat omnibus gentibus , si velint intrare. Alterum quod omnes sint perituri , qui eam ingressi non fuerint.

III. CONCLV S I O.

Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere vel errare in fide.

25 **H**AEC tenus habuimus aduersarios consentientes. Nunc incipiunt tergiuersari. Ajunt totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem , postea errasse , & multis factu

sæculis, usque ad tempora Lutheri, in errore persistisse: Vel, ut alij loquuntur totam periisse & defecisse; non quod perierint aut defecerint homines, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, sed quod defecerit eorum fides & sincera religio. Ita paßim Lutherani & Calvinistæ.

26 Sed manifestè refelluntur ex concessis. Primo, quia ipsi concedūt, esse articulum fidei, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit: & hoc sensu interpretantur illud, quod in Symbolo profitemur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, ut conclusione prima ostensum est. At articuli fidei semper sunt veri, nunquam falsi: Ergo semper verum est, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit. Ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem post primos quingentos annos defecisse, & multis sæculis nullam fuisse visibilem Christi Ecclesiam. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*.

27 Secundo, concedunt etiam aduersarij Ecclesiam visibilem esse Sponsam Christi ut conclusione 2. dictum est. Hinc formo duplex argumentum. Vnum ex parte Sponsi qui indissolubili vinculo coniunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam Sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus Eph. 5.31. Et prædictum est ab Osea c. 2. 19. *Sponsabo tibi in sempiternum*. Ergo nunquam ab ea separari potest. Alterum ex parte sponsæ, quæ ad perpetuam subiectionem & fidem coniugalem obligauit se suo sposo, ut insinuat idem Apostolus, cum ait: *Sicut Ecclesia subiecta est Christi ita & mulieres viris suis subdita sint in omnibus*. q. d. Ecclesia est norma seu exemplar subiectionis & fidelitatis, cui mulieres conformare se debet. At non esset norma fidel-

tatis , si post aliquot annos deficeret à suo sposo , & fieret adultera. Vnde Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesie : *Adulterari non potest Sponsa Christi : incorrupta est & pudica.*

28 Tertio, Ecclesia visibilis est Domus Dei, de qua Christus in Euangelio, Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vbi duo promittit. Primo, quod velit Ecclesiam suam ædificare super petram. Secundo , quod portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In utroque alludit ad id, quod Matth. 7. 24. dixerat, sapientem architectum esse , qui ædificat domum super petram, stultum, qui super arenam. Causam addit, quia quando oriuntur aliqua vehemens tempestas , mox corruuit illa, quæ super arenam: non altera, quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & ædificare Ecclesiam suam super petram , ut nulla veterum aut imbrum vi possit disturbari. Hinc patet , eos magnam iniuriam irrogare Christo , qui asserunt Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere, & re ipsa defecisse. Nam inde sequitur , non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam , ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum. Imo , fuisse mendacem, quod promiserit se super petram ædificaturum & non fecerit : quod dixerit portas inferi non præualituras, & præualuerint. Hoc argumento usi sunt pleriq. Patres, ut postea videbimus.

29 Quartò , Ecclesia visibilis dicitur columnna & firmamentum veritatis , triplici sensu , ut supra dixi. Primo, quia est columnna firma & stabilis , quæ à veritate deflectere non potest , ut explicant Catholici. Secundo, quia est fida custos veritatis, eamque puram & sinceram ad posteros transmittit, ut vult Calvinus.

Tertio,

Tertio, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in Ecclesia, ut interpretatur Beza. Hinc sumo triplex argumentum. 1. Si Ecclesia visibilis est columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest, certum est non posse errare in fide. 2. Si est fida custos veritatis, nunquam sua culpa amittiit veritatem: aut si illam amittit, non est fida illius custos. 3. Si veritas non alibi habitat, quam in Ecclesia visibili; vel ergo superioribus saeculis non habitauit veritas in hoc mundo; vel si habitauit, non alibi, quam in Ecclesia visibili habitauit. Necesse ergo est, fuisse Ecclesiam visibilem.

30 Quinto, Nemo potest saluari extra Ecclesiam visibilem, ut cum Catholicis diserte fatetur Calvinus: At semper aliqui saluantur: Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Falso ergo est, Ecclesiam visibilem multis saeculis non extitisse. Nam si non extitisset, multis saeculis nemo fuisset saluatus. Perissent igitur omnes maiores nostri, quotquot ante Lutherum per aliquot saecula, toto Orbe vixerunt. Quis hoc credat?

Aliud argumentum ex Scripturis.

31 Atque haec argumenta sumpta sunt ex concessione aduersariorum. Accedunt tria alia. Unum ex Scripturis. Alterum ex consensu Patrum. Tertium ex heresi Donatistarum. Ex Scripturis habemus varia testimonia.

32 Primum, Matth. 16. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hoc iam explicatum est. Et eo virtutur Augustinus lib. 1. de Symbolo ad catechumenos cap. 6, cum ait: *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes heresies pugnans.* Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hereses omnes de illa

exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Porte inferorum non vincent eam. Vbi manifestè loquitur de Ecclesia visibili, ex qua exeunt haeretici. Non enim exeunt ex invisibili, in qua soli prædestinati sunt, quia in ea nunquam fuerunt. Igitur ex sententia Augustini, Ecclesia visibilis est una, vera, sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vinci aut expugnari non potest.

33. Secundum Matth. 28.20. *Ecce ego vobis sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Vbi Christus promittit Ecclesiae, se semper & sine intermissione illi ad futurum per directionem & gubernationem. Hoc etiam testimonio utitur Augustinus contra Donatistas conc. 2. in Psalm. 101. vbi introducit Ecclesiam ita loquentem cum Christo : *Quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdisti me perisse contendunt?* Certe enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. *An incazi mihi exiguitatem dierum meorum?* Quamdiu ero in isto seculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt; Fuit, & iam non est: apostatauit & perit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ecce ego vobis sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Hic aduerte, quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos & Calvinistas, qui etiam dicunt, quod illi dicebant; Ecclesia Catholica iam non est, sed fuit: apostatauit & perit. Contra quos similiter licebit exclamare: *Quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdisti me perisse contendunt?* Nonne tu Domine dixisti, Ecce ego tecum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi? Non dixisti, Ego tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot saecula te dese

deseram, usque ad tempora Lutheri & Calvini; sed diserte, omnibus diebus usque ad finem mundi.

34 Tertium Ioan. 16.33. *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici mundum.* Quo usus est Alexander Alexandrinus Episcopus in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, his verbis: Ecclesiam unam solam Catholicam & Apostolicam agnoscimus, quae sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat; sic omnem impiam hereticorum incursionem euincit, ac profligat; quandoquidem eius Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat; Confidite, Ego vici mundum. Vixit hic author tempore Concilij Nicæni, in quo Arius damnatus est. De eo Athanasius orat. i. cōtra Arrianos sic scribit: *Quod si res quoque nostri temporis contemplanda sunt, nostis quomodo Beatus Alexander usque ad mortem contra hanc heresin depugnarit, & quot tribulationes quantoque labores, quamquam iam senex, in decrepita etate sustinuerit, &c.*

35 Quartum, Eph. 4.11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei.* Hic per corpus Christi intelligitur Ecclesia. Igitur sensus est, Christum in visibili Ecclesia constituisse varios ministros seu operarios, qui illam edificant & perficiant non ad certum aliquod tempus, sed usque ad finem mundi. Hoc enim significant illa verba, *Donec occurramus omnes in unitate fidei.* Quod videtur etiam Calvinus fateri in commentario illius loci, cum ait: *Quod dixerat, horum ministerio gubernari Ecclesiam & ordinari, ut sit numeris omnibus absoluta; ne quis putet unius solum diei esse illam necessitatem, doceat usque ad finem oportere ita fieri.*

36 Quintum, Isaiæ 61.9. Fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Hic duo notanda sunt. Primo, quod Isaías dicat Ecclesiam Christi fore perpetuam, ut patet ex illis verbis, Fœdus perpetuum feriam eis. Secundo, quod loquatur de Ecclesia Christi visibili, ut colligitur ex sequentibus, Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, &c. Vnde idem Caluinus in commentario: Dixerit Propheta, inquit, de propagatione Ecclesia, quæ tunc velut in angusto terræ angulo conclusa erat, & postea propaganda per totum Orbem, ita ut conspicua sit omnibus gentibus. Nihil apertius dici potuit.

Aliud argumentum ex consensu Patrum.

37 Accedit consensus Patrum. Omnes, qui de hac re scripserunt, aiunt Ecclesiam non posse perire, deficere, aut errare in fide; sed stabilem, firmam, perpetuam ac immobilem esse. Aliquot eorum testimonia iam citavi. Nonnulla deinceps citanda sunt.

38 Eusebius Cæsariensis lib. 1. de præparatione Euæglica cap. 3. Certum est, inquit, Saluatorem nostrum predixisse, doctrinam suam, in testimonium omnium gentium, per uniuersum terrarum orbem prædicatum iri, & Ecclesiam, quæ postea virtute sua constituta est, inuictam atque inexpugnabilem fore: nec unquam futurum, ut à morte superaretur; sed firmam fore semper & immobilem, tanquam in lapide stabilitam atque fundatam.

39 Athanasius in Oratione, qua docet vnum esse Christum, citat illud ex Euangeliō, Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & mox addit: Fidelis sermo. & non vacillans promissio; Ecclesia inuicta res est, etiam si inferunt ipse

ipse commoueatur: etiam si, qui in inferno sunt, mundi Principes tenebrarum, tumultum faciant.

40 Cyrilus Alexandrinus lib. 4. Dialogorum de Trinitate, non longe post initium: Petram opinor, per agnominationem aliud nihil quam inconcussam & firmam Discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut non labeetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.

41 Chrysostomus serm. 26. qui est de Pentecoste: *Hic Sanguis Christi irrigat Ecclesiam: & ideo plantaria eius inarcessere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius. Non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per astatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non teneatur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gubernat gratia, & ideo non senescit, nec contrahitur: & multis impugnantibus, non opprimitur.*

42 Et paulo post: *Quando nouella erat, in nullo potuit laedi: & nunc, quando usque ad cœlum peruenit, existimas eam posse superari? Et tunc quidem, cum undecim essent Apostoli nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: Et nunc, quando omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse laedere: sed non poteris. Christus enim propter eam passus est: portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

43 Ambrosius lib. 4. Hexameron cap. 2. circa illud Psalm. 103. 19. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognovit occasum suum: sic scribit: Plerique hunc locum mystice de Christo & Ecclesia videntur accipere, quod agnouerit Christus proprijs corporis passionem, qui ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuum; ut ille occasu suo omnibus donaret vitam aeternam, qui perpetua mortis urgebantur occasu: Et Ecclesia tempora sua habeat persecutionis & pacis. Nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.*

44 Et in libro de Salomone cap. 4. explicans illud
 Proverb. 30. 18. Tria sunt difficultia mihi¹, & quarum pen-
 tium ignoro: Viam aquila in cœlo: etiam nauis in medio mari,
 & viam viri in adolescentia: sic habet: Nauem adequo
 Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam,
 quæ crebris ventorum fluctibus, id est, temptationum plagis &
 verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id est huius sa-
 culi potestas conuictrum ad saxa perducere. Quæ cisi undarum
 fluctibus aut procellis sepe vexatur, tamen nunquam potest
 sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est, in cruce Chri-
 stus erigitur: in puppi Pater residet gubernator: proram pa-
 raclitus seruat Spiritus.

45 Hieronymus in cap. 4. Isayæ, ad illa verba: Et ta-
 bernaculum erit in umbraculum diei ab aëtu, & in securita-
 tem & absconzionem à turbine & pluvia: sic ait: Hunc locum
 Iudei ad Antichristum referunt, quem per turbinem & tem-
 pestatem significari existimant, quando eos Dominus à po-
 tentissimo aduersario defensurus sit. Nos autem omnia refera-
 mus ad primum aduentum Christi, de quo & in Psalmis le-
 gimus: Protexit me in abscondito tabernaculi sui in petra
 exaltavit me, super quam fundata Ecclesia, nulla tempestate
 concutitur, nullo turbine ventisque subuertitur.

46 Et in cap. 48. Ezechielis, confert Ecclesiam Chri-
 sti cum Synagoga Iudeorum, his verbis: Nomen quoque
 ipsius ciuitatis nequaquam erit, ut prius, Hierosolyma, quæ in-
 terpretatur visio pacis; sed Adonai-sama quod in Latinum
 sermonem vertitur, Dominus ibidem, qui recedat nunquam
 ab ea, ut à priori populo ante discessit (dicens ad Discipulos:
 Surgite, abeamus hinc. Et ad Iudeos: Relinqueatur vobis do-
 minus vestra deserta) sed aeternam habeat possessionem, & sit ei
 ipse possessio, iisdem Discipulis repromittens: Ecce, Ego vobis-
 cum sum usque ad consummationem saeculi.

47 Et in cap. 9. Amos, circa ultima verba capitinis, Non
 euellam

enullam eos ultra de terra sua , quam dedi eis , dicit Dominus Deus tuus : sic scribit : Ex quo intelligimus , Ecclesiam usque ad finem mundi , concuti quidem persecutionibus , sed nequam posse subuerti : tentari , non superari . Et hoc sicut , quia Dominus Deus omnipotens , siue Dominus Deus cuius , id est , Ecclesia , se facturum esse pollicitus est ; cuius promissio , lex naturae est .

48 Augustinus in enarratione Psalm.47. circa illum versiculum , In ciuitate Domini virtutum , in ciuitate Dei nostri (id est , in Ecclesia Christi) sic habet : Sed forte ista ciuitas , quæ mundum tenuit , aliquando eueretur . Absit . Deus fundauit eam in aeternum . Si ergo eam Deus fundauit in aeternum , quid times ne cadat firmamentum ? Plura Augustini testimonia citabo paulò post , cum agam de heresi Donatistarum .

49 Gregorius Magnus in explanatione Psalmi 5. pœnitentialis , ad illum versiculum , Initio tu Domine terram fundasti , dicit per initium intelligi filium Dei , qui est initium omnis creaturæ . Et mox addit : In hoc initio fundata est terra , quia in ipso fundata est Ecclesia . Et post pauca : Terra autem dicta est Ecclesia , tum quia in messe fidelium populorum spiritali fecunditate exuberat : tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat . Vnde per Salomonem dicitur : Terra in aeternum stat . Terra quippe in aeternum stare dicitur , quia sancta Ecclesia in hoc saeculo à Catholica fide nequam deficiet , & in futuro cum Deo aeterna stabilitate permanebit . Nam quod in hac vita nullis adversitatibus frangenda sit , nullis persecutionibus superanda , ipse super quem adficata est , euidenter ostendit , cum ait : Portæ inferi non præualebunt aduersus eam .

50 Beda lib. i. in Proverbia Salomonis cap. 15. Domus Christi , id est , Ecclesia plurimam habet fortitudinem , ut pluviâ , ventis , fluminibus tentationum frequentiorum nequam

quaquam possit dirui. Et postea ibidem : Conuenticula hereticorum ceterorumque Ecclesiæ persecutorum demolitur Dominus: & firmos facit in Orbem uniuersum terminos eiusdem Ecclesiæ, Sponsæ videlicet suæ, pro cuius via mori dignatus est.

51 Paulinus Aquileiensis Episcopus aduersus Fœlicem Vrgelitanum, statim post initium : Sancta & uniuersalis Ecclesia super firmam petram immobiliter fundata est, & portæ inferi nequeunt præualere aduersus eam. Veruntamen quia in mari huius seculi constituta persistit, aduersis hereticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, spumantibusque maledicorum undis illisa concutitur, licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & Apostolico gubernaculo moderata; necessarium tamen existimo, contra hostes eius, fidei armis dimicare. Vide Tom. 3. Sacræ Bibliothecæ veterum Patrum, ex tertia editione Parisiensi.

52 Author operis imperfecti, hom. 20. in Matthæum: Ecclesiam ergo quam Christus vir sapiens super petram edificauit, neque pluia mendacis doctrinæ corrumpit. neq; diabolus ventus impellit, neque violentorum fluminum impetus mouet. Nam et si humiliatur Ecclesia propter tentationem, tamen perire non potest propter fidem Christi.

53 Et hom. 23. Ecclesia nauis est, qua nautigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu Sancto, prædicationis verbo ubique discurrit, portans secum magnum & inestimabile pretium, quo totum mundum sanguine Christi mercata est. Et infra: Vnde, quibusuis temptationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem.

54 Gennadius Scholarius Patriarcha Constantiopolitanus, in defensione quinque capitum Decreti Synodi Florentinæ, cap. 2. De mystico & sancto sacrificio, sect. 9.

sect. 9. Christus dicit nunquam suam errare Ecclesiam , quia se semper cum ea mansurum pollicitus est. Si ergo verus est CHRISTVS , & promissionem suam veram esse oportet. Ita enim dixit , Ego vobiscum sum omibus diebus usque ad consummationem seculi , Nosque ita credimus , eum cum Ecclesia sua semper esse permansurum , nec eam derelicturum unquam. Si vero , secundum vos , cum ea se semper mansurum pollicitus est , sed dereliquit illam & errare permisit , ex necessitate mendax est. Si vero mendax , Deus non est. Videte , in quam absurditatem incidistis , CHRISTVM vocando mendacem. Nam hoc omnem iniquitatem & blasphemiam superat. Sed cum ea fuit , & est , & erit , & manebit in secula , quamvis disrumpantur , qui contra , quam Ecclesia sentit , sentiunt & faciunt. Nos vero eam sequimur & obseruamus , perinde ac impossibile sit , ut ea errorem predicet , sed magis veritatem & rectam fidem , cum ea secum habeat sponsum suum CHRISTVM. Vide Tom. 4. Bibliothecæ sacrae.

Aliud argumentum ex hæresi Donatistarum.

55 Denique omnia argumenta , quibus olim Augustinus & alij Patres contra Donatistas usi sunt , valent etiam contra Lutheranos & Caluinistas. Et quidem potiori iure. Ut hoc melius intelligatur , prius explicandum est , quid olim Donatistæ docuerint de Ecclesia : quid nunc Lutherani & Caluinistæ doceant. Donatistæ docuerunt , Ecclesiam Catholicam , quæ antea toto Orbe fuerat dispersa , postea toto Orbe periisse , propter crimina Cæciliiani Episcopi , & solum remansisse in ea parte Africæ , quæ Donato adhærebat , ut testatur Augustinus in lib. de hæresibus , ca. 69. his verbis : *Donatiani vel Donatistæ sunt , qui primum propter Cæciliianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis*

Episcopum, schisma fecerunt : obvientes ei crimina non probata, & maximè quod à traditoribus diuinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo d'Etam atque finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmaa in hæresin schisma verierūt: tanquam Ecclesia Christi proprie crima Cæciliani de toto terrarum Orbe perierit, ubi futura promissa est, aique in Africa Donati parte remanserit : in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extinta.

56 Idem fere docent Lutherani & Caluinistæ. Nam primo asserunt, Ecclesiam Catholicam, quæ primis quingentis annis toto Orbe fuerat diffusa, postea propter crimina Pontificis (quem Antichristum vocant) toto Orbe periisse. Secundo, Ita penitus periisse, ut nusquam, nec in Europa, nec in Asia, nec in Africa, salua & incolmis permanaserit: sed ubique adultera & apostatica fuerit deprehensa. Tertio, postea nihilominus in ea parte Europæ quæ Luthero adhærebat, reuixisse. In primo & tertio punto similes sunt Donatistis, in secundo, deteriores.

57 Igitur quidquid Augustinus & alij Patres contra Donatistas olim scripserunt, id vel pari, vel potiori ratione cōtra Lutheranos & Caluinistas scripsisse putādi sunt. Et quidem Augustinus dupli potissimum argumento solitus fuit eos refellere. Vno, quia Ecclesia Christi vocatur Catholica : Esse autem Catholicam idem est, ac esse toto Orbe diffusam. Non igitur periit toto Orbe : alioqui Catholica non esset. Altero, quia Deus, tam in veteri, quam in nouo Testamēto s̄p̄e prædixit, Ecclesiam Christi futuram in toto Orbe. Ergo non debet concludi in sola Africa; alioqui prædictio Dei non esset impleta.

58 Priori arguento vtitur epist. 170. ad Seuerinum

Facile, inquit, tibi est videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Euangelio, quod abscondi non possit. Ipsa est enim Ecclesia Catholica. Unde Catholicum grecè appellatur, quod per totum Orbem terrarum diffunditur, Et l. de Vnitate Ecclesiæ, c. 2. Quæstio inter nos versatur ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos. Quæ viq; una est, quam maiores nostri Catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per eorum est. Et alibi sæpe.

59 Pro posteriori notandum est, dupliciter intelligi posse prædictionem Dei. Primo, quod prædixerit fore, ut Ecclesia Christi diffunderetur per totum Orbem: non tamen prædixerit fore, ut perpetuo maneret diffusa per totum Orbem. Hoc sensu admittebant illam Donatistæ, & fatebantur impletam esse, ut refert Augustinus lib. de Vnitate Ecclesiæ c. 13. vbi ponit hanc eorum confessionem: *Et ista credimus, & completa esse confluemur: sed postea Orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio.* Secundo, quod utrumque simul prædixerit, nempe Ecclesiam Christi, & diffundendam toto Orbe, & perpetuo mansuram in toto Orbe, nec unquam constringendam ad unam aliquam partem aut nationem. Hunc sensum urget Augustinus: *Et sic testimonia ipsius, quæ iam allatus sum, accipi debent.*

60 Igitur epist. 50. ad Bonifacium Comitem, de Donatistis sic scribit: *Agnoscunt nobiscum Christum in eo quod legitur, Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea: Et nolunt agnoscere Ecclesiam in eo, quod sequitur, Conuertentur ad Dominum uniuersi fines terra, & adorabunt in conspectu eius uniuersæ patriæ gentium. Agnoscunt nobiscum Christum in eo, quod legitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Et nolunt*

agnoscere Ecclesiam in eo, quod sequitur, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam ierminos terræ. Agnoscunt nobiscum Christum in eo, quod ipse Dominus in Evangelio loquitur, Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis terra die: Et nolunt agnoscere Ecclesiam in eo, quod sequitur, Et prædicari in nomine eius pœniteniam & remissionem peccatorum per omnes gentes, &c.

62 Et Epist. 166. ad Donatistas: In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. Hac Scripturæ communiter habemus: quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus? Nos ubi agnouimus eum, de quo dicit Apostolus, Gal. 3. Abraha dictæ sunt promissiones, & semini eius, quod est Christus: ibi agnouimus Ecclesiam, de qua dicit Deus ad Abraham, Gen. 12. In semine tuo benedictentur omnes gentes. Ubi agnouimus Christum in Psalmo de se Prophetantem, Psalm. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: ibi agnouimus Ecclesiam in eo, quod sequitur, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam ierminos terræ. Ubi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est. Psalm. 49. Deus Deorum Dominus locutus est: ibi agnouimus & Ecclesiam in eo, quod sequitur, Et vocauit terram à solis Ortu usque ad Occasum. Ubi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est, Psalm. 18. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: ibi agnouimus Ecclesiam in eo, quod paulo superius dicitur, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum: in sole posuit tabernaculum suum. Ipsa est Ecclesia in sole posita hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ. Ubi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est: Psalm. 56. Exaltare super cœlos Deus: ibi agnouimus Ecclesiam in eo, quod sequitur, Et super omnem terram gloria sua. Ubi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est. Psalm.

71. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio
Regis: ibi agnouimus & Ecclesiam in eo, quod de ipsa in Psal-
mo ipso dicuntur: Et dominabitur a mari usque ad mare, &
a flumine usque ad terminos Orbis terrarum. Vbi agnouimus
Christum in eo, quod scriptum est, Dan. 2. Lapidem de monte
sine manibus præcisum fregisse omnia regna terrarum, viisque
illa, que de culturis Dæmonum præsumebant: ibi agnouimus
& Ecclesiam in eo, quo d dictum est, Lapidem ipsum creuisse,
& factum montem magnum, & repleuisse omnem terram. Vbi
agnouimus Christum in eo, quod scriptum est, Soph. 2. Prae-
tebit Dominus aduersus eos, & exterminabit omnes Deos gen-
tium terræ: ibi agnouimus & Ecclesiam in eo, quod sequitur,
Et adorabunt in conspectu eius, unusquisque de loco suo, omnes
insulae gentium. Vbi agnouimus Christum in eo, quod scriptum
est, Abacuc. 3. Deus ab Africa venies, & sanctus de mon-
te umbroso: ibi agnouimus Ecclesiam in eo, quod sequitur,
& laudis eius plena est terra, &c. Vbi agnouimus Chri-
stum in eo, quod scriptum est, Es. 53. Sicut ovis ad immo-
landum ductus est: ibi agnouimus Ecclesiam in eo, quod il-
lic dicitur Isaiae 54. Latare sterilis qua non paris, erumpere &
exclama qua non parturis, quoniam muli filij deserteræ, magis
qua eius qua habet virum. Dixit enim Dominus, Dilata locum
tabernaculi tui, & aulaes tuas configere, non est quod parcas, por-
rige longius funiculos, & palos validos confirma, etiam atque
etiam in dexteram atque in sinistram extende. &c.

62. Et in lib. de agone Christiano cap. 29. Nec eos anti-
diamus, qui sanctam Ecclesiam, qua una Catholica est, ango-
gant per Orbem esse diffusam, sed in sola Africa, hoc est, in
partie Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt aduersus
Prophetam dicentem: Filius meus es tu, ego hodie genui te: pa-
stula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessio-
nem tuam terminos terra. Et alia multa, sive in veteris, sive in
nouo Testamenti libris, qua scripta sunt, ut aperiussime declarerentur.

Ecclesiam Christi per Orbem iera esse diffusam. Quod cum eis obitimus: dicunt iam ista omnia fuisse completa, antequam esset pars Donati, sed postea totam Ecclesiam periisse, & in sola Donati parte reliquias eius remansisse contendunt. O linguam superbam & nefariam! &c.

63 Et lib. 1. contra Epistolam Parmeniani c. 14. Noluit Dominus ante tempus eradicare zizania, & à frumentorum permixtione separare. Sinite, inquit, utraque crescere usque ad messem. Et cum inuolucrū eiusdem similitudinis querentibus discipulis explicaret, non ait: Ager est Africa, sed ait, Ager est hic mundus. Per totum ergo mundum seges seminata est, per totum superseminata zizania, per totum crescit utrumque usque ad messem. Nunquid aut Donatus fuit maior messor aut eo tempore, quo se isti (Donatistæ) à terrarum Orbe separarunt, tempus messis aduenerat? cum idem Dominus, ne alicui liceret interpretari, quod vellet apertissimè dixerit, MESSIS EST FINIS SÆCULI, messorum autem Angeli sunt. Tales enim messorum errare non possunt, ut vel frumenta pro zizaniis colligant, vel pro frumentis zizania religerint. Isti autem, cum quasi zizania germinata fugiunt, scipso esse zizania demonstrarunt, in manifestissimo sacrilegio contra sententiam Domini prædicantes, ut cum ille dicat, Sinite utraque crescere usque ad messem; isti per tam magnum agrum, id est, per totum mundum zizanta crescere, frumenta vero diminuta, & in sola Africa remansisse contendunt, Christo Principi & Regi nostro sacrilegam facientes iniuriam. Scriptum est enim. In lata gente gloria Regis: in diminutione autem populi contritio Principis. Proverb. 13. 28.

64 In eundem sensum scribit serm. 18. de verbis Domini, c. 19. Per totum, inquit, mundum seminatum est bonum semen. Bonus ille seminator filius hominis, nō in Africa sola, sed ubique sparsit semen bonum. Inimicus autem superseminalit zizania. Sed tamen quid ait pater familias? Si-

nite utraque crescere usque ad messem. Per quid crescere? Vtique per agrum. Quis est ager? Nunquid nam Africa? Non. Quis est ergo? Non interpretemur nos. Dominus dicat. Ager est, inquit, hic mundus. Quae est messis? Messis est, ait, finis saeculi. Qui sunt messores? Messores, inquit, Angeli sunt. Nunquid Africa est mundus? Nunquid messis hoc tempus? Nunquid messor Donatus? Per totum Orbem terrarum expectate messem, per totum Orbem terrarum crescere in messem, per totum Orbem terrarum Zizania tolerare usque ad messem. Non vos seducant peruersa palca nimis leues, que euolant ante aduentum ventilatoris ex area. Non vos seducant.

65 Et paulo post: Sinite utraque crescere usque ad messem. Per quid crescere? Per agrum. Quid est, per agrum? Per mundum. Hic illi (Donatistæ) dicunt: Creuerat quidem virumque per mundum, sed iam iam frumenta diminuta sunt & in ista nostram regionem paucitatemque reuocata. Non te permittit Dominus interpretari, quod vis. Ipse, qui exponit hanc parabolam, claudit os tuum, os sacrilegum, os impium, os prophanum, os tibi contrarium. Quid contradicis Testatori, etiam te ad hereditatem vocanti? Quomodo claudit os tuum? Dicendo, Sinite utraque crescere usque ad messem.

66 Et in lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 12. in fine, &c. 13. in principio: Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Euangelizata est nobis Ecclesia per totum Orbem terrarum futura. Hoc in lege, & Prophetis, & Psalmis esse prænunciatum, ipse Dominus testificatus est, qui eam ceperat ab Hierusalem, & per omnes gentes permanet natum esse prædictum, &c. Aliud autem euangelizat, qui per ruisse dicit de exterioro mundo Ecclesiam. & in parte Donatis, in sola Africa remansisse. Ergo anathema sit.

67 Et prefatione in 2. expositionem Psalmi 21. Christus pendens in ligno irrisus est, sedens in celo adoratur. An forie adhuc irridetur? & iam non irascendum Iudas, qui merita

rem deriserunt, non regnante? Et quis est, qui Christum adhuc irrideat? Vnum unus eset, vnam duo, vnam numerari possent. Et paulo post subiungit de Donatistis: Irrident Christum in re aperta, in ea re, ubi nemo potest dicere, Non intellexi. Possident enim uniuersum Orbem terrarum, pars offertur: & dicitur sedentii ad dexteram Patris, Ecce, quid hic habes? & protota terra ostenditur illi sola Africa.

68 Et infra ibide: Quae fuit mulier, quae intravit cum unguento? Cuius typum gerebat? Nonne Ecclesia? Cuius figura erat illud unguentum? Nonne odoris boni, de quo dicit Apostolus, Christi bonus odor sumus in omni loco? Ipsius enim Ecclesia insinuabat personam & Apostolus. Et quod dixit, Sunus, fidelibus dixit. Et quid dixit: Christi bonus odor sumus in omni loco. In omni loco dixit Paulus Christi bonum odorem esse omnes fideles. Et contradicuntur & dicuntur: Africa sola bene olet, totus mundus putet.

69 Et concione 2. in Psalm. 101. Sed existunt, qui dicunt: Iam hoc factum est: respondit ei in omnibus gentibus Ecclesia, pariens filios plures, quam illa quae habebat virum. Respondit ei in via fortitudinis sue. Credidit enim Christum surrexisse, crediderunt in eum omnes gentes. Sed illa Ecclesia quae fuit omnium gentium, iam non est. periret. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne & tu ideo non sis. Nam illa erit, et si tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem presumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate sufficiam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, emerariam, praecipuum, perniciosa, praeuidit Spiritus Dei, & tanquam contra illos, cum annunciaret unitatem, in conueniendo populos in unum, & reges, ut seruant Domino.

70 Et paulo post introducit Ecclesiam ita loquenter cum Christo: Quid est, quod nescio qui recedentes a me murmurant contra me? Quid est, quod perdisti me perisse

conuenienter

contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quandiu ero in isto saeculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt; Fuit, & iam non est: propter illos, qui dicunt, Impleta sunt Scripturae, crediderunt omnes gentes; sed apostatauit & periiit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Sed hic existunt & dicunt: Vobiscum sum, inquit, usque ad consummationem saeculi, quia nos praeuidebat, quia pars Donati erat in terra. Nunquid ipsa est, quae dixit, Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi, ac non illa potius, quae superius loquebatur, In conueniendo populos in unum, & Reges, ut seruant Domino?

71 Et in expositione Psalmi 147. Sed nescio, qui existunt & dicunt nobis: Ipse est quidem sponsus, quem creditis, quem & nos credimus: sed sponsa non est ipsa Ecclesia, quam teneatis. Et quae illa est? Pars Donati. Quibus praeter alia Scripturæ testimonia, opponit etiam illud ex Euangeliō, Oportebat Christum pati & resurgere a mortuis, & praedicari in nomine eius pænitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Et postea subiungit: Nihil verius, quam praedicari in nomine eius pænitentiam & remissionem peccatorum. Sed hoc ubi? Alij enim dicunt, Ecce hic: alijs, ecce illuc. Et quid ipse? Nolite credere. Exurgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dicent: Ecce hic, & ecce illuc. Non enim de ipso capite dicunt, Ecce hic & ecce illuc (notum est enim, quod Christus in cœlis est) sed de Ecclesia, ubi Christus est, qui ait, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Sed ait Dominus, Nolite credere. Qui dicit, Ecce hic & ecce illuc, partes ostendit: Ego totum emi.

72 Et tract. 3. in primam epistolam Ioannis, circa illum versiculum, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, sic scribit: Aut donatistæ a nobis exierunt, aut nos ab ipsis. Absit, ut nos ab illis. Habemus enim testamentum

dominicæ hereditatis, recitamus, & ibi nos inuenimus, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tenemus hereditatem Christi: Ilii eam non tenent, non communicant Orbi terrarum, non communicant universitati redemptæ sanguine Domini. Habemus ipsum Dominum resurgentem à moriuis, qui ait, Oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & praedicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Vbi? qua? quibus? Per omnes gentes. Securi sumus de unitate hereditatis. Quisquis huic hereditati non communicat, foras exiit. Sed non contristemur. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.

73 Et lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. Ecclesia sponsa Christi est gratia eius dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales eius; recitabo. Audite heretici, quid scriptum sit, Oportebat Christum pati & praedicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Quaecunque congregatio cuiuslibet heresis in angulis sedet: concubina est, non matrona.

74 His & similibus Scripturæ testimoniis usus et olim Augustinus contra Donatistas, quæ tam clara & efficacia sunt, vt Ticonius, qui tunc erat inter doctiores Donatistas, eorum vi ac pondere conuictus, sententiam mutarit, vt testatur idem Augustinus lib. i. contra epistolam Parmeniani, cap. i. Ticonius, inquit, omnium sanctorum paginarum vocibus circumclusus euigilauit, & vidi Ecclesiam Dei toto Orbe diffusam, sicut de illa multo ante per corda & ora sanctorum prauisum atque prædictum est. Utinam euigilent etiam nostri aduersarij: Et nobiscum fateantur, quod res est, Ecclesiam Christi neque superioribus saeculis fuisse toto Orbe extingtam, sed diffusam: neque hoc tempore in sola parte

Lutho

Lutheri aut Caluini , sed ubique terrarum , ut multo ante prædictum est , agnosci & honorari. Hoc enim conuincunt testimonia Augustini , quæ iam allata sunt . Ex quibus desumi possunt hæc argumenta .

75 Primo , Ecclesia Christi est Catholica , ut quotidie profitemur in Symbolo fidei : At non esset Catholica , nisi per totum Orbem esset diffusa . Quo etiam argumento usus est Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum , cum ait : *Ecclesia una est . Eam tu apud vos solos esse dixisti . Ergo , ut in particula Africa , in angulo parvæ regionis , apud vos esse possit , apud nos in alia parte Africa non erit : in Hispaniis , in Italia , in Gallia , ubi vos non estis , non erit , &c.* Et per tot innumerabiles insulas , & ceteras prouincias , ubi vos non estis , non erit . *Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis , cum inde dicta sit Catholica quod sit ubique diffusa ?*

76 Secundo , Christus prædixit venturos homines , qui dicturi sint , Ecce in Africa est Ecclesia Christi , Ecce in Saxonia est , Ecce in Geneua est : Et præmonuit nos , *Nolite credere . Quare ? Quia nunquam futurum est , ut Ecclesia sit in hac vel illa parte , sed perpetuo mansura est in toto Orbe usque ad finem mudi . Quod ipse ibidem insinuat , cum ait : Prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso Orbe , in testimonium omnibus gentibus , & tunc veniet consummatio . Vide Augustinum in Psal. 101. conc. 2. & lib. 1. quæstionum Euangelicarum , q. 38 .*

77 Tertio , Christus dixit suam Ecclesiam similem esse agro , in quo simul crescunt frumenta & zizania usque ad messum . At ager , totus mundus est ; & messis , finis sæculi , ut ipsem interpretatur . Ergo voluit significare , visibilem suam Ecclesiam , in qua boni & mali permixti sunt , duraturam in toto mundo usque ad finem sæculi .

78 Quarto, Totus mundus, vel, quod idem est, gentes toto orbe dispersæ sunt hæreditas Christi, quam Deus Pater illi promisit per prophetam dicentem, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* At hæreditas, quæ semel legitime adita & possessa est, manet perpetua & irrevocabilis. Cum ergo Christus, ut fatentur aduersarij, semel legitime adierit & possederit hanc hæreditatem, necesse est, ut perpetuo & irrevocabiliter eam retineat: nisi vel sponte alteri det, quod non facit (cui enim daret?) vel per vim cogatur cedere, quod nullo modo cogitandum est, cum ipse dixerit, *Ego vici mundum.* Et iterum, *Porta inferi non prænalebunt aduersus eam.* Et hæc sufficient ex Augustino.

Prima Obiectio aduersariorum.

79 Hactenus 4. modis demonstratum est contra aduersarios visibilem Christi Ecclesiam non posse deficere vel errare in fide. 1. ex propria ipsorum cōcessione. 2. ex sacra Scriptura. 3 ex consensu Patrum. 4. ex hæresi Donatistarum. Nunc videamus, quid contra tam clamam & luculentam veritatem ipsi obiiciant.

80 Primo igitur sic obiiciunt: *Synagoga Indœorum* sēpe defecit à fide: Ergo etiam Ecclesia Christi potest deficere, eum sit par ratio. Antecedens probatur, quia primo defecit tempore Mosis, quando Aaron cum toto populo adorauit vitulum, Exodi 32. Secundo, tempore Heliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Helias, ut ipsemet conqueritur, 3. Reg. 19.14. *Derelictus sum ego solus, & querunt animam meam, ut auferant eam.* Tertio tempore Isayæ & Ieremiæ, quando omnes recesserint à Deo, Isayæ 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit.* Et Ierem. 2. 13. *Duo mala fecie* populus;

*populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viua, & fo-
derunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent
aquas.* Et 2. Paralipom. 15.3. *Transibunt multi dies in
Israel absque Deo vero, & ab' que Sacerdote doctore, & absq.
lege.* Quarto, tempore mortis Christi, quando tota
Synagoga cum omnibus ceremoniis suis exspirauit.

81 Respondeo. Quidquid sit de antecedente (de quo paulò post) neganda est consequentia: Non enim se-
quitur, *Synagoga defecit: Ergo Ecclesia deficiet.* Primò,
quia Ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac
stabilitate, quam Synagoga non habuit. Non enim de
Synagoga, sed de Ecclesia dictum est, *Portæ inferi non
prænalebunt aduersus eam.* Secundo, Ecclesia est libera;
Synagoga fuit ancilla: Et illa designatur per Saram,
quæ fuit vxor Abrahæ; hæc per Agar; quæ fuit ancilla.
(Galat. 4. 24.) At Agar fuit dimissa & repudiata, non
item Sara: Ergo similiter Synagoga debuit repudiari,
non item Ecclesia. Tertio Ecclesia est Catholica seu
vniuersalis, non solum ratione loci, sed etiam ratione
hominum saluandorum. Quotquot enim saluantur, in
Ecclesia saluantur: Et extra illam saluari nemo potest.
(supr. concl. 3.) Igitur, si deficeret tota Ecclesia, nullus
omnino saluaretur. At Synagoga non erat Catholica
seu vniuersalis, quia extra illam poterant homines sal-
uari, vt Niniuitæ & alij. Tametsi ergo defecisset tota
Synagoga, adhuc tamen potuissent homines saluari.

82 Hæc de consequentia. In probatione anteceden-
tis multa assūmuntur, quæ examinanda sunt. Primum
est, *Synagogam tempore Mosis, in adorando vitulo,*
defecisse à fide. Falsum est. Non defecit tota Syna-
goga, sed pars eius. Nō enim defecit Moses, nec Leuitæ
& Sacerdotes, vt patet ex illo, Exod. 32.36. *Videns ergo*

Moses

Moses populum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregati que sunt ad eum omnes filii Leui. Erant autem filii Leui viginti duo milia, ut habetur num. 3.39.

83 Alterum est, Synagogam tempore Heliæ, Isayæ & Ieremiæ defecisse à fide. Hic opus est distinctione. Nam duo regna pertinebant ad Synagogam, alterum Iuda, quod constabat duabus; alterum Israel, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio, sub primo Rege Ieroboam, defecit à vera fide, & publice cepit idola adorare. (3. Reg. 12.28.) Et in eo statu permanxit usque ad captiuitatem, iuxta illud 4. Reg. 17.22. *Ambulauerunt filii Israel in uniuersis peccatis Ieroboam, quæ fecerat, & non recesserunt ab eis usquequo Dominus auferret Israel à facie sua in Assyrios.* Nihilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstinerent ab idololatria, & verum Deum agnoscerent, etiam tempore Heliæ. Nam cum ipse putaret, se solum relictum esse, audiuit responsum à Deo, 3. Reg. 19.18. *De reliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Et similiter de Tobia legimus, Tob. 1.5. *Cum irent omnes ad vitulos aureos quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel.*

84 In regno Iuda aliter res habuit. Nam aliqui Reges fuerunt boni, & cultores veri Dei, ut Asa, Iosaphat, Azarias, Ioathan, Ezechias, & Iosias, sub quibus vera religio vel restaurata vel conseruata est. Alij mali & idololatræ, ut Achaz, Manasses, Amon. Alij denique, non quidem idololatræ, sed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse usus sacrificiorum secundum legem Mosaicam, usque ad captiuitatem Babyloniam, ut colligitur ex illis verbis,

verbis, 2. Machab. 1. 19. *Cum in Persidem ducerentur Pa-tres nostri, Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus.* Loquitur de igne cælitus à Deo misso, quo vtebantur Sacerdotes in quotidianis sacrificiis. (Leuit. 9. & 10.) Igitur ignis ille fuit conseruatus in templo usque ad illud tempus, quo Iudei in Persidem captivi abducebantur.

85 Tertium est, Synagogam tempore Christi defecisse. Hoc verum est. Non quod tunc defecerit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis ceremoniis & sacrificiis, & in eius locum successit Ecclesia Christi. At non sequitur, hanc similiiter repudiandam. Imo contrarium sequitur. Primo, quia ut ante dixi, Synagogam repræsentabat Agar, an-cilla Abrahæ, quæ fuit repudiata: Ecclesiam represen-tat Sara, vxor Abrahæ, quæ non fuit repudiata. Secun-do, Synagoga propterea fuit repudiata, quod neque perfecta esset, neque sufficiens ad salutem, iuxta illud Hebr. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et hoc sensu, ceremoniæ & Sacramenta Synagogæ, vocantur ab A-postolo *infirma & egena elementa.* (Galat. 4. 9.) At Eccle-sia Christi est perfecta & sufficiens ad salutem, quia Sacra menta ipsius, quæ à Christo instituta sunt, habent vim iustificandi & tollendi peccata. Vnde Augustinus in Psalm. 73. *Sacra menta, inquit, noui testamenti dant salutem: Sacra menta veteris testamenti promiserunt Saluatorem.* Tertio Synagoga continebat umbram futurorum (Hebr. 10. 1.) Ecclesia continet lucem, qui est Chri-stus (Ioan. 1. 9.) At umbra necessario deficit, acceden-te luce. Debuit igitur cessare Synagoga cum sacrificiis Mosaicis, quando venit Ecclesia cum Christo. Quar-to, Synagoga erat instituta pro seruis; Ecclesia

pro

pro filiis. At serui accipiunt temporalem mercedem à suis Dominis, & sic dimittuntur: filii autem succedunt in perpetuam hæreditatem. Quod insinuat Apostolus ad Galatas. 4.30. *Ence ancillam & filium eius. Non enim bares erit filius ancillæ cum filio libera.*

Secunda Obiectio.

36 Secundo obiiciunt: Ecclesia deficiet à fide, tempore Antichristi, ut prædixit Apostolus, 2.Thess.2.3. *Nisi venerit discessio primum, (id est, defectio à fide) & reuelatus fuerit homo peccati, (id est, Antichristus, &c.)* At iampridem reuelatus est Antichristus, quem constat esse Pontificem Romanum: Ergo iampridem Ecclesia defecit à fide. Respondeo. Minor aperte falsa est. Maior dupliciter potest intelligi. Primo, de defectione omnium fidelium. Secundo, de defectione aliquorum. Priori modo falsa est, non solum ex nostra, sed etiam aduersariorum sententia. Nam ipsi dicunt Antichtistum iam venisse, & tamen negant omnes fideles defecisse à fide: alioqui faterentur se quoque defecisse, cum & ipsi, suo iudicio, fideles sint. Posteriori modo vera est, quia aliqui fideles deficient à fide, tempore Antichristi. Quod tamen minus non est. Nam à tempore Apostolorum, singulis ætatibus aliqui defecerunt, ut Nicolaitæ, Marcionistæ, Nouatiani, Arriani, Donatistæ, Pelagiani, Seueriani, Iconomachi, Cathari, Vvaldenses, Anabaptistæ & plures alij. An vero Apostolus, qui adducitur ad probationem maioris, loquatur de defectione à fide, certum non est. Multi putant illum loqui de defectione ab Imperio Romano, ut D. Hieronymus epist. 151. ad Algasiam, quæst. 11. *Nisi, inquit, venerit discessio primum, quod Græce dicitur apostasia, ut omnes gentes, qua Romano Imperio subiacent, recedant*

ab eo,

ab eo, &c. Et nisi fuerit Romanum Imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: qui ideo venturus est, ut Antichristum destruat. Idem sentiunt Tertullianus lib. de resurrectione carnis, cap. 24. & multi in commentario illius loci. Sed quidquid sit de sensu verborum Apostoli, certum est, non totam Ecclesiam, sed aliquos de Ecclesia defecturos à fide, tempore Antichristi: quod non est contra nos.

Tertia Obieclio.

37. Tertio obiiciunt illud Dan. 9.27. *Deficiet hostia & sacrificium;* quod interpretantur de defectione Ecclesiæ. Respondeo. Extant clarissima testimonia in contrarium, quæ hactenus citata sunt. Cur illis aduersarij fidem non habent? Cur vnum illud ex Daniele, quod obscurum est, his omnibus anteponunt? Nimirum in hac re imitantur Donatistas, qui ut ostenderent Ecclesiam in sola Africa remansisse, citabant illud Cant. 1. 6. *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vnde sic ratiocinabantur: Ecclesia cubat in meridie: sed Africa est in meridie: Ergo Ecclesia cubat in Africa: Extra Africam ergo non est. Quos refellit Augustinus in lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 16. hoc potissimum argumento: Multa sunt clara Scripturæ testimonia, quæ docent Ecclesiam toto orbe diffusam esse: Ergo perperam faciunt Donatistæ, cum ex uno obscurlo loco conentur probare, Ecclesiam esse in sola Africa.

38. Verba Augustini sunt hæc: *Scrutamini Scripturas canonicas, eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam in sola Africa remansisse, &c. Aliquid pro-*
Opusc. Tom. V. H h ferte

ferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Videlicet enim nunc illud unicum, quod proferre consuestis, Vbi pascis, ubi cubas in meridie, quemadmodum excusis omnibus eiusdem loci verbis, longe aliud indicat, quam vos putatis. Et, si hoc sonaret, quod vultis, Maximiniastæ vos in eo vincerent. Magis enim meridies Prouincia, Byzantium, Tripolis, ubi illi sunt, quicunque sunt, quam Numidia, ubi vos prepolletis. Ita ergo ipsi possunt germanius & distinctius gloriari de meridie: ut eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum & Catholicum teneatis. Aliiquid ergo proferte, quod non contra vos verius interpretetur, sed quod interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete, Terra tua orbis terrarum, &c. Sicut non eget interprete, Conuerterunt ad Dominum uniuersi fines terre, &c. Sicut non eget interprete, Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudea & Samaria, usque in totam terram, &c.

89. Simili modo refellendi sunt nostri aduersarij. Scrutentur Scripturas canonicas, & eruant aliquid manifestum, quo demonstrent Ecclesiam à fide defecisse. Aliiquid proferant, quod non egeat interprete. Sicut non eget interprete, Portæ inferi non prænalebunt aduersus eam. Sicut non eget interprete, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Sicut non eget interprete, Confidite, Ego vici mundum. Sicut non eget interprete, Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. Et quæ similia sunt. Nam illud, quod proferunt ex Daniele, Deficiet hostia & sacrificium, nihil ipsis patrocinatur, nisi ipsi sint interpretes. Nam alij non interpretantur de defectione Ecclesiæ Christianæ, vt ipsi, sed de defectione Synagogæ Iudeorum. Ex eo autem, quod Synagoga detece